COMMENTARIUM TEXTUS
CODICIS IURIS CANONICI

LIBER V.

DE DELICTIS ET POENIS

CUM DECLARATIONIBUS AUTHENTICIS USQUE AD DIEM 1 MAII 1924 (A. A. S. XVI, FASC. 5)

AUCTORE

FR. ALBERTO BLAT O. P.

MAG. S. THEOL. AC IURIS CAN. DOCT.

ET CODICIS PROFESSORE IN PONTIFICIO COLLEGIO INTERNATIONALI
" ANGELICO "

ROMAE
COLLEGIO « ANGELICO »
VIA S. VITALE 15

1924

ROMAE — EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA IN INSTITUTO PII IX.

TIBI

O VIRGO MARIA IESV PARENS

MATER CLEMENTIAE ET MISERICORDIAE

VOLVMEN ISTVD LIBENTER DEDICO

VT OPE TVA SINGVLARI

VNIVERSVM NOVI CODICIS COMMENTARIVM

FELICITER VALEAM EXPLERE

BENEVOLO LECTORI

Dum offertur tuo studio Commentarium istud in Lib. V Codicis, cui volumina praecesserunt in alios Libros, ne putes ad finem Commentarii me pervenisse.

Alias iam recessi ab ordine Codicis sequendo in editione, dum laborem interpretationis prosequerer, et ad hoc me movit desiderium iuvandi tyrones canonicae disciplinae per sollicitam editionem eorum librorum, quorum iidem opere magis indigerent.

Nunc vero circa materiam « De delictis et poenis » fuerunt quidem exaratae optimae elucubrationes ante Codicem. Inter harum Auctores facile praeeminent Suarez « De censuris », Thesaurus « De poenis », necnon proximiori tempore cl. Card. Lega in Opere suo « De Iudiciis ». Nec desunt labores utiliter assumpti ad exponendas praesertim illas poenas medicinales, quae in usum quotidianum magis venire possunt, ac censurae vocantur. Inter alios scripserunt « De censuris » clar.[i] Cerato et Cappello, atque « Ius poenale » editum est a clar. Chelodi. Commentarium vero totius Libri est publici iuris factum paucis abhinc annis a Professore emerito et Auditore S. R.

R. Dom. Sole, qui morte praereptus opus suum iam exhaustum iterum in lucem edere prohibitus fuit.

De methodo huiusce Commentarii nihil addere censeo, nam eadem prosequutus sum via, illiusque defectus ac dotes tibi, benevole lector, notos reputo ex recensionibus praecedentium librorum, quas dignati sunt noti scriptores ephemeridum divulgare.

Hunc librum tibi aliisque proficuum fore arbitror, atque ut in Domino valeas, summopere exopto.

Datum Romae, die 17 Maii 1924.

fr. ALBERTUS BLAT, O. P.

CENSURA ECCLESIASTICA ET LICENTIAE

Opus cui titulus « *Commentarium Textus Codicis Iuris Canonici, Liber V, De delictis et poenis* » ab adm. Rev. P. Mag. fr. Alberto Blat O. P. compositum, ex mandato Rev.mi P. Magistri Generalis O. Praed. attente perlegimus, et nihil obstare quominus typis mandetur et in lucem edatur, declaramus.

Romae, 8 Maii 1922.

P. Sabinus Alonso O. P.
S. Theol. Lector
et Iuris Canon. Dr. ac Professor.

Fr. August. M. Darmanin, O. P.
S. Theol. Lector
et Iuris Canon. Dr. ac Professor.

Imprimi permittimus:

Romae, die 21 Iulii 1922.

Fr. Lud. Theissling, O. P., *Mag. Gen.*

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi, O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Iosephus Palica, Arch. Philippen., Vicesger.

ERRATA CORRIGE.

Pag. 140 lin. 11	supple	*can. 2266*
Pag. 143 lin. 11 inf.	»	*Can. 2268*
Pag 155 lin. 8 »	»	*Can. 2276*

LIBER QUINTUS
DE DELICTIS ET POENIS

PARS PRIMA
De Delictis

TITULUS I.
De natura delicti eiusque divisione.

CAN. 2195. – § 1. Nomine delicti, iure ecclesiastico, intelligitur externa et moraliter imputabilis legis violatio cui addita sit sanctio canonica saltem indeterminata.

§ 2. Nisi ex adiunctis aliud appareat, quae dicuntur de delictis, applicantur etiam violationibus praecepti cui poenalis sanctio adnexa sit.

CAN. 2196. – Qualitas delicti desumenda est ex obiecto legis; quantitas vero dimetienda non solum ex diversa gravitate legis laesae, sed etiam ex maiore minoreve imputabilitate aut damno illato.

CAN. 2197. – Delictum est:

1°. *Publicum*, si iam divulgatum est aut talibus contigit seu versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri;

2°. *Notorium notorietate iuris*, post sententiam iudicis competentis quae in rem iudicatam transierit aut post confessionem delinquentis in iudicio factam ad normam can. 1750;

3°. *Notorium notorietate facti*, si publice notum sit et in talibus adiunctis commissum, ut nulla tergiversatione celari nulloque iuris suffragio excusari possit;

4°. *Occultum*, quod non est publicum; *occultum materialiter*, si lateat delictum ipsum; *occultum formaliter*, si eiusdem imputabilitas.

CAN. 2198. – Delictum quod unice laedit Ecclesiae legem, natura sua, sola ecclesiastica auctoritas persequitur, requisito interdum, ubi eadem auctoritas necessarium vel opportunum iudicaverit, auxilio brachii saecularis; delictum quod unice laedit legem societatis civilis, iure proprio, salvo praescripto can. 120, punit civilis auctoritas, licet etiam Ecclesia sit in illud competens ratione peccati; delictum quod laedit utriusque societatis legem, ab utraque potestate puniri potest.

1. **Libri et Partis inscriptio** fuit valde convenienter ultimo Codicis Libro reservata. Quatuor namque alii sacros continent canones, qui normalem seu rectum agendi modum in Ecclesia praescribunt pro diversitate personarum qua talium, mediorum ad Ecclesiae ipsius finem a singulis quoque assequendum, et processuum

ex pluribus ac successive ordinatis actibus servandorum, ut veritas factorum ac recta canonum applicatio singularibus casibus obtineatur, quantum humana conditio nosse sinit. Sed Ecclesia, uti societas perfecta, pollere debet illa efficaci potestate ad hoc necessaria, ut eius membra, quae ordinem statutum non servant sic, ut finis multum periclitetur sive in eis singulis propter sanctificationem quaerendam, sive in aliis propter scandalum vel ordinis socialis perturbationem, cogere queat illos fideles physice vel moraliter, ad hoc ut, quod sponte exsequi vel omittere nolunt, saltem ob damni subeundi timorem sibi pareant, vel subeundo damnum discant ipsi a pravitate recedere atque scandalo vel perturbationi praedictis, quantum possibile sit, remedium afferatur.

2. **Delicti notio.** — In authenticis collectionibus atque Doctorum libris verba delictum et crimen promiscue usurpantur. Codex autem, etiamsi hoc vocabulum adhuc adhibeat, v. gr. canones condens de iudicio criminali, illud *delicti* verbum praetulit, fortassis alterum relinquendo foro civili, ubi magis est in usu, sicuti et civili societati. Nec sine ratione ita egit, si verbum delicti a derelictione viae dictum putaverimus. Ad cuius evidentiam considerandum est, quod quamvis unusquisque de via multipliciter exire possit, ille proprie derelinquit, qui animo et facto constituitur in tali conditione, ut terminum illius consequi non possit facile aut ordinario adiutorio. In moribus hominum via statuitur per leges, quarum observatio ad finem eorum proprium ducit. Hic finis distingui potest secundum societatum diversitatem, quibus leges dantur. Adest primaria et naturalis hominum sub Deo societas, quae iure naturali regitur, et illius finis est in praesenti naturae humanae statu, felicitas aeterna singulorum hominum; haec autem utpote supernaturalis eo quod in Dei, sicuti est, cognitione consistat, lege quoque supernaturaliter condita est adipiscenda. Iure igitur divino sive naturali sive positivo praedicta societas gubernatur. Ab eius ergo praeceptis ita deviare, ut felicitas aeterna consequi non posset, vere delictum constitueret, sed appellatur communiter peccatum seu culpa, habito respectu ad iniuriam et offensam quae irrogatur Creatori et Optimo Benefactori.

Praeter illam sunt diversae societates, tum civilis, tum ecclesiastica, iure ac perfectae existentes, in quibus homines per aptas leges ad uniuscuiusque societatis finem consequendum ordinantur.

Illarum legum inobservantiae sunt semper transgressiones viae ad finem ducentis, et quae debent esse humano peractae modo, idest: cum deliberata voluntate; hominibus enim leges imponuntur. Relicto igitur transgressionis communi nomine pro quibuslibet legum inobservantiis, proprie delicta erunt illae transgressiones, quae valde opponuntur fini earum legum consequendo. Hic est bonum commune socialiter consequendum. Quanta vero sit oppositio praevaricationis contra leges erga illum finem determinanda est ab eo, qui huius curam habens leges condidit, cui proinde competit coercere transgressiones praedictas propter boni communis defensionem. Illa ergo determinatio delictorum ad humanum legislatorem pertinet.

3. **Actuum diversitas** super delictorum materiam est praevie perpendenda, quando agitur de Ecclesia. Huius societatis finis est sanctificatio animarum socialiter prosequenda. Haec sanctificatio per fidelium actus obtinetur vel nocetur in singulis, unde Ecclesia curam illius gerens delicta etiam non aliis manifesta determinare atque coercere debet. Attamen diximus illam sanctificationem esse socialiter prosequendam, idest: potestate societatis humana, quae ad actus mere internos etsi sanctificationi valde contrarios pertingere nequit, « homines enim vident ea quae parent, Deus autem intuetur cor ». Proinde illa delicta debent designare saltem actiones externas, quae nempe sensibus percipi saltem possint. Praeterea sanctificatio quoque aliorum fidelium interest maxime Ecclesiae, illaque per actus non solum externos, sed aliis paucioribus vel quamplurimis notos, cum scandalo vel ordinis socialis perturbatione nocetur. Has ergo actiones damnare delicti appellatione, atque propter finis custodiam poenis persequi, adiudicandum est ecclesiasticae potestati. Quae cum non debeat omnia huiusmodi punire, ne accidat, ut multa bona impediantur secundum societatis humanae conditionem, ipsius ius et officium est determinare delictorum numerum poenis coercendorum. Et hinc patet inscriptionis sensus completus, quam praesefert *Liber V. De delictis et poenis*, et mutua verborum connexio.

De illa actuum diversitate sufficiant duo Decretalium textus. Primo ait Alex. III in cap. 4 « de temporibus ordinationum... » (I, 11): « Ex tenore tuarum litterarum accepimus quod N. clericus adeo deliquit, quod si peccatum eius esset publicum, degradaretur ab ordine quem suscepit, et amplius non posset ad superiores ordines promoveri. Verum quoniam peccatum ipsius forte occultum

dixisti: mandamus quatenus poenitentiam ei condignam imponas, et suadeas, ut parte poenitentiae peracta, ordine suscepto utatur, quo contentus existens, ad superiores amplius non ascendat ». Aliud caput Decretalium sit 34 « de simonia » (V, 3), in quo Innoc. III sic loquitur: « Licet autem taliter duximus respondendum (nempe: quod « receptio in canonicum fieri poterit absque scrupulo simoniacae pravitatis »): quia nobis datum est de manifestis (proinde de externis) tantummodo iudicare: si tamen is qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona quae offert, spiritualia valeat adipisci: et clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri: sine dubio tam ille quam isti apud districtum iudicem (qui scrutator est cordium, et cognitor secretorum) culpabiles iudicantur ».

Denique, quia ex dictis poena decernitur intuitu delictorum, et haec illi subeundae praerequirantur, *Pars prima* optime inscribitur *De delictis.*

4. **Partis in titulos divisio.** — Imprimis pro Codicis more afferuntur delicti significatio atque diversitates, seu ut inscribitur *Titulus I — De natura delicti eiusque divisione.* Supra vidimus delicta profluere ab deliberata voluntate, propter quam sunt imputabilia, in illam vero multae causae influunt nobis ex morali philosophia ac theologia cognitae, atque in iure effectus ex delictis proveniunt. Porro haec omnia *Titulus II* complectitur eiusdem inscriptione, quae antiquo more rubrica dicitur. *De imputabilitate delicti, de causis illam aggravantibus vel minuentibus, et de iuridicis delicti effectibus.* Demum legibus noscitur delictum, quae plures circumstantias ad illud exigunt, et hinc consequitur ut pravus fidelis ad delictum tendens in illarum aliqua deficiat, quod considerat *Titulus III* inscriptus *De conatu delicti.*

5. **Inscriptio Tituli.** — Studio nostro se offert *Titulus I* ad introductionem edocens *De natura* seu elementis *delicti* circa quod canones sub hoc Libro praescribunt, *eiusque* « delicti » *divisione*, ut videbimus, unica, quae ab eiusdem cognitione per alios habita desumitur.

6. **Canonum ordo** lucidus est, nam dante can. 2195 illius verbi significationem, atque praescriptorum circa delicta extensionem ad alias transgressiones, sequuntur delictorum distinctiones, quaedam

ex delicti elementis petitae sub can. 2196, alia ex illius cognitione per can. 2197, cui ultimus tituli subinfertur determinans inter potestates publicas civilem atque ecclesiasticam, quaenam in casibus ius habeat persequendi singula delicta.

7. **Delicti naturam,** non philosophice seu abstracte consideratam, sed, ut ait *can. 2195* in concreto loquens, iuxta Codicis morem respicientis praxim fidelium, tradit § *1. Nomine delicti*, seu huius verbi significatione propria, *iure* tamen, sub diversis huiusmodi acceptionibus, *ecclesiastico* seu apud Ecclesiam vigente, praesertim in Codicis usu *intelligitur* a) *externa*, prout ab actibus mere internis distinguitur, qui hominis facultatibus solis sensuum internorum, intellectus ac voluntatis complentur, ac proinde « quae sensibus externis percipi ex se possit », etiamsi nullus alius, nec forsan delinquens percipiat, v. gr. surdus proferens solus blasphemiam vel haeresim, b) *et moraliter imputabilis*, eo quod adsint intellectus deliberatio et voluntatis consensus, tunc enim solummodo homini ut actionis domino haec attribuitur c) *legis* ecclesiasticae, universalis vel particularis, canon enim non distinguit, *violatio,* faciendo quod vetitum vel omittendo quod preceptum ab ea sit, sed d) *cui* supple « legi » *addita sit* per legislatorem ac in ipsius contextu, eo quod dicitur: *sanctio canonica* idest: per ss. canones in hoc Libro Codicis recognita, et ex qua lex munitur ab illa facili violatione. sicut de rebus sanctis in antiquitate fiebat, *saltem indeterminata*, « si prudenti arbitrio iudicis vel Superioris relicta sit (legis) verbis » (can. 2217, § 1, 1°). Ex hac definitione facile eruuntur duo elementa delicti subiectiva: *a*) materiale, quod est « legis violatio », *b*) formale constans imputabilitate, aliaque duo elementa obiectiva, scilicet: *c*) adsit violata « lex secum edicens poenam », ex quo sequitur *d*) damnum inferri bono communi, teste legislatore, qui sic illud efficaciter vitare intendit.

Hae leges poenales pro universa Ecclesia Latina vigentes, non iam peculiares iuxta declarationem in Commentario Textus datam num.[1] 5[1] ad can. 6, inveniuntur omnes in huius Libri V Parte tertia.

Non aliam delicti significationem dat § *2*, sed tantum brevitatis causá canonum praescripta extendit, admonens praeceptive: *Nisi ex adiunctis* canonum singulorum *aliud* diversum vel contrarium sequenti normae *appareat*, proinde sufficienter liqueat, *quae*

dicuntur praesertim in hoc Libro *de delictis* proprie ad normam §[1] 1[1], *applicantur etiam* eadem praescripta ex legislatoris voluntate *violationibus* pariter dictis ac in praec. §° eademque ratione quam innuimus ibidem, *praecepti* a Superiore ecclesiastico singulis vel pluribus dati, quod legis naturam non induat proprie, sed vi iurisdictionis ecclesiasticae impositi, nam subditur: *cui* supple « praecepto » *poenalis*, quae supra dicta est « canonica », *sanctio adnexa sit* per ipsum Superiorem, qui praeceptum imposuit.

8. **Qualitas delicti et quantitas** in iure aequipollent denominationibus speciei actuum moralium eorumque gravitati, prout haec adhibentur verba in Philosophia et S. Theologia. Cum igitur delictum non respiciatur in ordine ad legem divinam, nec etiam ad humanam sicut obligantem in conscientia, sed uti poena sancitam, convenienter expressit *can. 2196* suum praescriptum congruens iuri antiquo. Sic enim habetur in cap. 6 « de homicidio voluntario vel casuali » (V, 11) X: « Sane cum vir discretus existas; plenius nosti, quod in excessibus singulorum, non solum quantitas et qualitas delicti, sed aetas, scientia, et sexus, atque conditio delinquentis sunt attendenda; et non solum secundum locum et tempus quo delictum committitur, unicuique poenitentia debet indici: cum idem excessus, magis sit in uno quam in alio puniendus ».

En canonis expositio: *Qualitas delicti,* per quam unum ab altero est iuridice diversum, *desumenda est* ex natura illius, cui conformatur legislatoris seu Codicem digerentis intentio hic manifesta, *ex obiecto legis* poenalis, quae delicto violatur, seu ex materia ipsius actus praescripti seu vetiti, et consequenter ex canonum poenalium numerica distinctione, etiam quoad paragraphos et commata, si diversa sint dictorum praescripta; *quantitas vero* idest: delicti gravitas *dimetienda* ex pluribus sequentibus simul consideratis, videlicet *non solum* a) *ex diversa,* maiori minorive *gravitate legis* poenalis *laesae* per violationem, et quae gravitas est, tum moralis ex virtute magis vel minus excellenti, cuius actus praescribitur, vel cui opponitur actus vetitus, tum in ratione propria delicti cognoscenda ex « gravitate poenae a lege sancitae » [1], *sed etiam* b) *ex maiore minoreve imputabilitate* ad normam tituli sequentis, qui magis ac perfectius exponit cit. caput Decretalium, c) *aut damno*

[1] Dec. « Quum singulae » S. C. de Religiosis, num. 9. 16 Maii 1911. CO. III, 236.

v. gr. morali tum scandali tum detrimenti bonae famae, aut materiali quod bona temporalia, *illato* per delictum singulis patientibus illud, vel « Communitati » ecclesiasticae, quamvis imperfectae. Hoc enim damnum partis est quoque damnum boni communis. Unde unicum ex elementis delicti obiectivis pertinet ad qualitatem, dum omnia simul concurrunt ad delicti gravitatem. Haec sic recensita fuerunt in loc. cit.: « 9. Gravitas delicti desumenda est non tantum a gravitate legis violatae, sed etiam a gravitate poenae a lege sancitae, a gravitate doli, et a gravitate damni, sive moralis sive materialis Communitati illati ».

9. **Delictum occultum, publicum et notorium** sunt membra alterius divisionis, quae frequenter inveniuntur in fontibus iuris cognoscendi, videlicet: tum in Decretalibus, tum in Conc.[1] Tridentini Decretis, tum in aliis S. Sedis documentis. Hanc divisionem accurate exponit stabilemque statuit *can. 2197*. — *Delictum*, prout declaratum manet ad can. 2195, § 1, *est:*

1.° Publicum, ratione igitur cognitionis apud communitatem minorem vel maiorem, v. gr. conventum, oppidum, paroeciam, dioecesim, a) *si iam divulgatum est*, nempe: apud illius maiorem vel saltem vere notabilem relative partem, b) *aut talibus* in circumstantiis *contigit* illud, c) *seu* nunc temporis *versatur in adiunctis*, tum quando continuatum est, tum quando ad eorum notitiam pervenit, qui ob eorum qualitates vel voluntatem ad ceteros illam referent, tum ob delicti sequelas in eius notitiam ducentes, semper ac declarata adiuncta sint huiusmodi, *ut prudenter*, quoad praevisionem in hypothesi alterutra sub litteris b) et c), *iudicari possit* secundum hominum inter quos illa versantur, vel talia contigerunt, mores *et debeat* ob illarum circumstantiarum vel adiunctorum tanquam rationum pondus *facile* proindeque brevi tempore *divulgatum iri* modo ad litteram *a*) declarato. Unde qua publicum delictum est iure habendum non solum ex divulgatione de facto, sed ex divulgatione facile futura secundum prudens iudicium. — Delictum in seipso consideratur sub hoc canone ita, ut non obstet, si auctor ipsius delicti sit ignotus.

Eo quod societati qua tali, eiusque publicae auctoritati pro illius regimine adsunt media iure ab omnibus admissa, ut facta, quae intersunt societatis, innotescant eidem, datur *2.° Notorium notorietate iuris*, quod non semper supponit publicitatem supra expo-

sitam, et est « delictum » a) *post sententiam* proprie dictam iuxta can. 1868, § 1, sed in iudicio criminali declarantem vel infligentem reo delicti legitimam sanctionem, quando illa sit b) *iudicis competentis* cognoscendi ut plurimum ex can. 1566, et c) *quae* « sententia » *in rem iudicatam transierit* uno ex tribus modis, quo « res iudicata habetur » (can. 1902), *aut* praevie ante sententiam a) *post confessionem delinquentis* qua talis, seu de tali delicto, nec sufficit facta uni, pluribus, aut publice, sed solum b) *in iudicio* proprie *factam* et adhuc c) *ad normam can. 1750* quoad confessionis circumstantias ibi explicandas;

E contrario ad praecedentem numerum, praescribitur *3.° Notorium notorietate facti* est « delictum », *si* a) *publice notum sit* de facto quoad divulgationem, *et* superadditur: b) *in talibus adiunctis*, non iam « versetur », ut declaravimus in n.° 1°, sed « sit » *commissum*, *ut* propterea duo sequantur: c) *nulla tergiversatione celari*, prout delictum est legis poenalis violatio ceu factum, d) *nulloque iuris* seu canonum *suffragio* in favorem violationis praedictae *excusari* qua delictum formaliter, seu in eius elementis, v. gr. imputabilitatis defectu, legis poenalis exceptione, *possit*.

Explicatio prius data de publico delicto confirmatur a canone, quando subdit: *4.°* « Delictum est » *Occultum*, *quod non est publicum,* utpote divisio delictorum completa per hoc ultimum numerum et primum; sed « delictum est » *occultum materialiter, si lateat* communitati, nunc et, quantum prudenter iudicari possit, in proximo futurum, congruenter n.° 1°, *delictum ipsum* qua tale, propter quod intelligatur, sive uti factum, sive solummodo uti contrarium legi poenali; *occultum formaliter*, *si eiusdem* delicti elementum, quod vocatur *imputabilitas,* « lateat » respectu divulgationis bimembris sub n.° 1°, quamvis illud delictum sit, quod ad cetera pertinet elementa, publicum. « Imputabilitas » hic considerata est, non iam quae « in foro externo praesumitur » ad normam can. 2200, § 2, sed quae positive constet; alias non daretur delictum occultum formaliter, quin esset etiam occultum materialiter. E contra parum refert, an ipse delinquens sit cognitus publice vel occultus atque ignotus.

Exempla proponantur ad distinctiones et commentarii elucidationem. Delictum: I° ab Urbis ephemeridibus relatum est certo publicum de facto, II° ad fores ecclesiae commissum, dum egrediuntur

fideles ex auditione missae parochialis est publicum statim propter futuram saltem divulgationem, III° erit notorium notorietate facti, si publice notum sit, quod sacerdos qua talis bene notus contraxerit matrimonium civile, IV° occultum materialiter esset adulterium solum delinquentibus notum, item delictum sacerdotis celebrantis publice missam, cum ieiunium eucharisticum occulte non servet, V° occultum formaliter adesset delictum procurati abortus effectu sequuto, qui publice habetur veluti casualis.

Ad notoria vero delicta notorietate facti quod attinet recte noscenda plurimum confert doctrina Bened. XIV in ep. « Ex omnibus »[1] §§ 4-6. Ecce ipsam: « publici autem atque notorii sunt refractarii, in casu, de quo agitur (scilicet: Constitutioni « Unigenitus », praeter ibi declaratos, nempe « notorios notorietate iuris » ad normam canonis declarati) qui. in anteactae vitae decursu aliquid evidenter commisisse noscuntur, manifeste oppositum venerationi, obsequio et obedientiae eidem Constitutioni debitae, in eoque facto moraliter perseverare; quod ita vulgo cognitum est, ut publicum scandalum inde exortum, non adhuc cessaverit; in his enim casibus eadem omnino adest moralis certitudo, quae habetur de iis factis, super quibus iudex sententiam tulit, vel saltem alia suppetit moralis certitudo praedictae similis et aequipollens ».

Addit quoque notabilem delictorum distinctionem illo sub respectu « § 5. In quo tamen prae oculis habenda est differentia quae intercedit inter notorium illud, quo merum aliquod factum deprehenditur, cuius facti reatus in ipsa sola externa actione consistit, ut est notorietas usurarii aut concubinarii; et aliud notorii genus, quo externa illa facta notari contingit, quorum reatus ab interna etiam animi dispositione plurimum pendet; de quo quidem notorii genere nunc agitur. (Videlicet in eadem epistola). Alterum enim illud (nempe: prius dictum) in gravibus sane probationibus evinci debet; sed alterum gravioribus certioribusque argumentis probari oportebit ».

De certitudine supra dicta in § 4, subiungit Papa Benedictus. « § 6. Ea vere, quam supra innuimus, certitudo minime adesse dicenda est in aliis casibus, in quibus crimen nititur coniecturis, praesumptionibus incertisque vocibus, quae originem suam plerumque

[1] 16 Oct. 1756.

debent hominibus aut malo animo affectis, aut qui praeiudicatis opinionibus, vel partium studiis ducuntur; quibus dum fides habetur, satis compertum est, tum praeteritorum temporum, tum aetatis nostrae experientia, quot modis homines errare et falli, ac in transversum agi contingat ».

10. **Delictorum persequutio** poenarum inflictione tam iudiciali quam extraiudiciali defertur per generalem normam in huius tituli fine. *Can. 2198.* — *Delictum,* « iure ecclesiastico » (can. 2195, § 1), nam subditur: *quod unice laedit* per transgressionem, et adverbium excludit societatem civilem, eo quod exprimit *Ecclesiae legem*, « cui addita sit sanctio canonica » (loc. cit.), *natura sua*, ut patet secundum legum notionem, quae ordinantur ad bonum commune societatis pro qua illae rogantur, *sola* cum exclusione alterius publicae auctoritatis *ecclesiastica* secundum diversos gradus et officia distributa *auctoritas* ad hoc competens *persequitur* iudicialiter vel extra iudicium secundum canones infligendo, declarando atque urgendo illas sanctiones, et haec prima est canonis pars sic complenda iuxta veterem disciplinam damnatione propositionum [1] suffultam: *requisito interdum,* vel « cum ecclesia non habeat ultra quid faciat », ut ait Coelestinus III [2], vel « si opus fuerit » ad hoc ut fidelium compulsio efficax sit [3], vel adversum pravos homines quoslibet, qui « Ecclesiae libertatem, immunitatem atque iurisdictionem impediunt, seu quae ecclesiastici iuris sunt, laedunt » [4], ac propterea dicitur, in canone, ubi pro diversitate locorum eadem supra declarata *auctoritas* pro casibus singulis *necessarium* physice aut moraliter, *vel* saltem *opportunum* respectu ad aliquem ex triplici scopo citato *iudicaverit*, attentis equidem omnibus adiunctis ac praesertim spe felicis exitus ex invocando *auxilio brachii saecularis*, idest: potestatis laicae coactivae, ipsi Ecclesiae debito propter ius divinum, quod eam constituit superiorem civili societati ac spiritualem sed

[1] Martinus V (in Conc. Constantiensi), const. « Inter cunctas », 22 Febr. 1418, art. 14, Ioannis Husz, damn., art. 32 de quo interrogandi errorum Wicleff et Husz suspecti: « utrum credat, quod inobedientia sive contumacia excommunicatorum crescente, praelati vel eorum vicarii in spiritualibus habeant potestatem aggravandi et reaggravandi, interdictum ponendi et brachium saeculare invocandi; et quod illis censuris per inferiores sit obediendum ». Denzinger, num. 682. Enchiridion Symbolorum...

[2] Cap. 11 « de iudiciis » (II, 1) X. — [3] Cap. 18 « de excessibus Praelatorum et subditorum » (V, 31) X. — [4] Conc. Trid. sess. XXV de Ref. cap. 20.

perfectam, et illud debitum a gubernio catholico esset recognoscendum, quandoque per concordata est agnitum vel etiam promissum ad minus partialiter, ac semper huiusmodi auxilio quod per leges nationum civiles praestatur ceteris associationibus legitimis privatisque civibus.

Sequamur canonis interpretationem in secunda eius parte: *delictum*, nempe ex contextu hoc in loco « intelligitur externa etc. legis violatio cui addita sit sanctio » (can. 2195, § 1) legalis, additur enim: *quod unice* respectu ad primam canonis partem *laedit legem* equidem poenalem, nam in Codicibus poenalibus est principium hodie passim admissum « nullum crimen sine lege », et canon hanc exprimit *societatis civilis*, seu pro huius regimine latam: illud ergo « delictum », *iure proprio* idest: potestate publica coactiva ad societatem civilem pertinente propter ipsius naturam societatis perfectae, cum hac prima limitatione: a) *salvo praescripto can. 120* ibi explicato ob clericorum immunitatem seu fori privilegium, sub quo praescripto exprimuntur etiam concordata, *punit* de facto iudicialiter vel extraiudicialiter *civilis auctoritas* secundum istius attributionem pro societatum diversitate, b) *licet*, seu non obstante secunda limitatione, quod *etiam* seu cumulativa potestate *Ecclesia* uti societas spiritualis *sit in illud* supra declaratum quodlibet « delictum » *competens* ad punitionem decernendam erga suos subditos, ac deficiente poenali Ecclesiae lege, attamen *ratione peccati* contra legem saltem divinam et ad normam can. 2222, § 1.

De hac postrema clausula sufficiat Innoc. III testimonium sic aientis in cap. 13 « de Iudiciis » (II, 1) X: « Cum ...non humanae constitutioni, sed divinae potius innitamur: quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo, nullus qui sit sanae mentis, ignorat, quin ad officium nostrum spectet de quocumque mortali peccato corripere quemlibet christianum: et si correctionem contempserit, per districtionem ecclesiasticam coercere. Sed forsan dicetur, quod aliter cum regibus, et aliter cum aliis est agendum. Caeterum scriptum novimus in lege divina: Ita magnum iudicabis ut parvum, nec erit apud te acceptio personarum ».

Ultima canonis pars edicit: *delictum* ad normam can. 2195, § 1, nam sequitur: *quod laedit* simul *utriusque* ut supra *societatis* « civilis et Ecclesiae » *legem*, secundum praedicta poenales unam et alteram, *ab utraque potestate* « ecclesiastica et civili » supra de-

claratis *puniri potest* consequenter ad duas canonis priores partes. Quomodo autem in his casibus se gerere debeat « iudex » in Ecclesia, praescribet canon 2223, § 3, 2°, 3°.

Canon iste supponit salva principia iuris publici ecclesiastici quoad relationes Ecclesiae erga societates tum catholicas, tum acatholicas, sed quae conventionem habent cum Sede Apostolica vigentem, tum reliquas. Imo in praxi sunt prae oculis habendae tum doctrinae ab Auctoribus illius iuris traditae, tum leges civiles uniuscuiusque societatis, quae ad rem faciant, tum ea quae prudentia pro casuum diversitate dictat.

TITULUS II.

De imputabilitate delicti, de causis illam aggravantibus vel minuentibus et de iuridicis delicti effectibus.

Can. 2199. – Imputabilitas delicti pendet ex dolo delinquentis vel ex eiusdem culpa in ignorantia legis violatae aut in omissione debitae diligentiae; quare omnes causae quae augent, minuunt, tollunt dolum aut culpam, eo ipso augent, minuunt, tollunt delicti imputabilitatem.

Can. 2200. – § 1. Dolus heic est deliberata voluntas violandi legem, eique opponitur ex parte intellectus defectus cognitionis et ex parte voluntatis defectus libertatis.

§ 2. Posita externa legis violatione, dolus in foro externo praesumitur, donec contrarium probetur.

Can. 2201. – § 1. Delicti sunt incapaces qui actu carent usu rationis.

§ 2. Habitualiter amentes, licet quandoque lucida intervalla habeant, vel in certis quibusdam ratiocinationibus vel actibus sani videantur, delicti tamen incapaces praesumuntur.

§ 3. Delictum in ebrietate voluntaria commissum aliqua imputabilitate non vacat, sed ea minor est quam cum idem delictum committitur ab eo qui sui plene compos sit, nisi tamen ebrietas apposite ad delictum patrandum vel excusandum quaesita sit; violata autem lege in ebrietate involuntaria, imputabilitas exsulat omnino, si ebrietas usum rationis adimat ex toto; minuitur, si ex parte tantum. Idem dicatur de aliis similibus mentis perturbationibus.

§ 4. Debilitas mentis delicti imputabilitatem minuit, sed non tollit omnino.

Can. 2202. – § 1. Violatio legis ignoratae nullatenus imputatur, si ignorantia fuerit inculpabilis; secus imputabilitas minuitur plus minusve pro ignorantiae ipsius culpabilitate.

§ 2. Ignorantia solius poenae imputabilitatem delicti non tollit, sed aliquantum minuit.

§ 3. Quae de ignorantia statuuntur, valent quoque de inadvertentia et errore.

Can. 2203. – § 1. Si quis legem violaverit ex omissione debitae diligentiae, imputabilitas minuitur pro modo a prudenti iudice ex adiunctis determinando; quod si rem praeviderit, et nihilominus cautiones ad eam evitandam omiserit, quas diligens quivis adhibuisset, culpa est proxima dolo.

§ 2. Casus fortuitus qui praevideri vel cui praeviso occurri nequit, a qualibet imputabilitate eximit.

Can. 2204. – Minor aetas, nisi aliud constet, minuit delicti imputabilitatem eoque magis quo ad infantiam propius accedit.

Can. 2205. – § 1. Vis physica quae omnem adimit agendi facultatem, delictum prorsus excludit.

§ 2. Metus quoque gravis, etiam relative tantum, necessitas, imo et grave incommodum, plerumque delictum, si agatur de legibus mere ecclesiasticis, penitus tollunt.

§ 3. Si vero actus sit intrinsece malus aut vergat in contemptum fidei vel ecclesiasticae auctoritatis vel in animarum damnum, causae, de quibus in § 2, delicti imputabilitatem minuunt quidem, sed non auferunt.

§ 4. Causa legitimae tutelae contra iniustum aggressorem, si debitum servetur moderamen, delictum omnino aufert; secus imputabilitatem tantummodo minuit, sicut etiam causa provocationis.

Can. 2206. - Passio, si fuerit voluntarie et deliberate excitata vel nutrita, imputabilitatem potius auget: secus eam minuit plus minusve pro diverso passionis aestu; et omnino tollit, si omnem mentis deliberationem et voluntatis consensum praecedat et impediat.

Can. 2207. - Praeter alia adiuncta aggravantia, delictum augetur:

1° Pro maiore dignitate personae quae delictum committit, aut quae delicto offenditur;

2° Ex abusu auctoritatis vel officii ad delictum patrandum.

Can. 2208. - § 1. Recidivus sensu iuris est qui post condemnationem rursus committit delictum eiusdem generis et in talibus rerum ac praesertim temporis adiunctis ut eiusdem pertinacia in mala voluntate prudenter coniici possit.

§ 2. Qui pluries deliquerit etiam diverso in genere, suam auget culpabilitatem.

Can. 2209. - § 1. Qui communi delinquendi consilio simul physice concurrunt in delictum, omnes eodem modo rei habentur, nisi adiuncta alicuius culpabilitatem augeant vel minuant.

§ 2. In delicto quod sua natura complicem postulat, unaquaeque pars est eodem modo culpabilis, nisi ex adiunctis aliud appareat.

§ 3. Non solum mandans qui est principalis delicti auctor, sed etiam qui ad

Titulus II.

- De imputabilitate delicti — ratione —
  - triplicis fontis — Can. 2199
  - doli — » 2200
- de causis illam aggravantibus vel minuentibus — ex parte —
  - qualitatum delinquentis — » 2201
  - facultatum —
    - intellectus —
      - ob ignorantiam — » 2202
      - ob negligentiam — » 2203
    - voluntatis —
      - propter aetatem — » 2204
      - propter vim et metum — » 2205
    - sensitivarum — » 2206
  - aliorum adiunctorum — » 2207
- — ob multiplicitatem —
  - actuum — » 2208
  - delinquentium — » 2209
- et de iuridicis delicti effectibus — iudicialibus —
  - actionum — » 2210
  - in solidum sustinendis — » 2211

delicti consummationem inducunt vel in hanc quoquo modo concurrunt, non minorem, ceteris paribus, imputabilitatem contrahunt, quam ipse delicti exsecutor, si delictum sine eorum opera commissum non fuisset.

§ 4. Si vero eorum concursus facilius tantum reddidit delictum, quod etiam sine eorundem concursu commissum fuisset, minorem imputabilitatem secumfert.

§ 5. Qui suum influxum in delictum patrandum opportuna retractatione abduxerit plene, ab omni imputabilitate liberatur, etiamsi exsecutor delictum ob alias causas sibi proprias nihilominus patraverit; si non abduxerit plene, retractatio minuit, sed non aufert culpabilitatem

§ 6. Qui in delictum concurrit suum dumtaxat officium negligendo, imputabilitate tenetur proportionata obligationi qua adigebatur ad delictum suo officio impediendum.

§ 7. Delicti patrati laudatio, fructuum participatio, delinquentis occultatio et receptatio aliive actus delictum iam plene absolutum subsequentes, nova delicta constituere possunt, si nempe poena in lege plectantur; sed, nisi cum delinquente de illis actibus ante delictum conventum fuerit, non secumferunt delicti patrati imputabilitatem.

Can. 2210. - § 1. Ex delicto oritur:

1° Actio poenalis ad poenam declarandam vel infligendam et ad satisfactionem petendam;

2° Actio civilis ad reparanda damna, si cui delictum damnum intulerit.

§ 2. Utraque actio explicatur ad normam can. 1552-1959; et idem iudex in criminali iudicio potest ad instantiam partis laesae civilem actionem ad examen revocare et definire.

Can. 2211. - Omnes qui in delictum concurrunt ad normam can. 2209, §§ 1-3 obligatione tenentur in solidum expensas et damna resarciendi quae ex delicto quibuslibet personis obvenerint, licet a iudice pro rata damnati.

11. **Inscriptio tituli et canonum coordinatio.** — Deinde considerare oportet diligenter, quae continet *Titulus II.* Eius inscriptio tribus constat partibus, quibus respondent successive canones. Horum duo sunt *De imputabilitate delicti,* quae definiri potest « recognitus iure respectus violationis legis poenalis ad personam physicam vel moralem uti causam illius voluntariam », a quo triplici fonte illa pendeat discimus ex can. 2199, dum sequens priorem tantum originem considerat. Canones post hos duos ceteri, et duobus postremis exceptis, complete praescribunt *de causis illam* imputabilitatem quandoque *aggravantibus* vel non, *vel* forsan *minuentibus*, et sunt sequentes: ratione delinquentium can. 2201, ex parte intellectus can. 2202, 2203, sicut ex parte voluntatis can. 2204, 2205, dum passionum influxum et aliorum adiunctorum perpendunt can. 2206, 2207. Quid proveniat ex actuum repetitione nos docet canon 2208, atque can. 2209 mensuram imputabilitatis applicat omnibus qui ad delictum concurrere possunt. Actiones iudiciales ex delicto ortae considerantur in can. 2210, et 2211 est de obligatione.

12. **De imputabilitate delicti** in seipsa plene agit *can. 2199. Imputabilitas delicti* cuiuslibet ad normam totius can. 2195, quae

sub inscriptione manet declarata, *pendet* ab aliquo ex tribus continentibus moralem legis violationem, videlicet: a) *ex dolo delinquentis* per can. seq. declarando, b) *vel ex eiusdem*, intellige « delinquentis » seu violantis legem, *culpa* morali, quae includitur *in ignorantia* equidem voluntaria, quae propter quamlibet rationem subeatur, scilicet: vel ob alias occupationes non necessarias studium legum debitum impedientes, vel ob addiscendi socordiam, quae crassa seu supina vocatur ignorantia, vel demum propter voluntatem non cognoscendi eas, quas scire oportet, propter quod dicitur « ignorantia » *legis violatae*, c) *aut in omissione* culpabili eo quod sit *debitae diligentiae*, seu mentis attentionis curaeque adhibendae ad vitandum legis violationem damnumve propter quod illa data fuit. Ratio commentarii sit principium reg. 23 iuris in 6°: « Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus ». Regula intelligitur de poena proprie dicta propter quam lex est poenalis.

Exceptio vero, « nisi subsit causa » respicit poenam lato sensu acceptam, scilicet: privationem alicuius boni, et quamvis haec sit lege constituta, non tamen ad delinquentis emendationem vel delicti punitionem, v. gr. amissio distributionum in absente canonico, quia praesentia eius in choro ad illas lucrandas est conditio a legislatore constituta.

Cum illae sint diversae imputabilitatis causae, subinfertur consequenter in canone tanquam generale principium: *quare omnes* subiectivae seu delinquentis, *causae*, nempe: *quae* a) *augent*, b) *minuunt*, c) *tollunt* omnino respective ad primam canonis partem a) *dolum* in seq. can. cognoscendum, b) *aut culpam* dupliciter designatam prius, ibique declaratam, *eo ipso* seu ex rei natura a) *augent*, b) *minuunt*, c) *tollunt*, respectu ad easdem supra positas litteras, *delicti* uniuscuiusque *imputabilitatem*, uti effectum illius doli vel culpae secundum priorem canonis partem, unde secunda patet. Harum causarum exempla videri queunt in textibus iuris praecedentis, qui citantur in fontibus Codicis. Data opportunitate eos referemus in sequentibus canonibus, eo quod illae causae singillatim perpenduntur.

13. **Doli notio** in definitione imputabilitatis positi explicatur per *can. 2200. § 1. Dolus*, cuius verbi significatio proposita fuit aliter ad can. 103, § 1, ubi potest inspici quoque commentarium, *heic* scilicet: quando agitur de imputabilitate delicti seu in can.

praec., *est* cum iuridica significatione stricta *deliberata voluntas,* quae praesupponit rationis exercitium cum voluntatis libertate de hoc obiecto, nempe: *violandi legem*, *eique* iuxta declarationem *opponitur* consequenter, idest: aufert vel minuit dolum, a) *ex parte intellectus* quilibet actualis vel habitualis *defectus cognitionis* circa violatam legem, *et* b) *ex parte voluntatis* directe *defectus* partialis vel totalis *libertatis* quoad illam legem servandam. Hinc in Clementinis quoad irregularitates ex delicto, declaravit Clem. V in Conc. Vienn.: « Si furiosus, aut infans seu dormiens, hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem ».

Cum dolus sit quid internum, posset unusquisque delinquens excusari dicens, se non egisse ex dolo. Attamen Salomon in Parabolis docet: « Sicut noxius est. qui mittit lanceas et sagittas in mortem; ita vir, qui fraudulenter nocet amico suo, et cum fuerit deprehensus, dicit, ludens feci » [1]. Huic concordat § 2. *Posita* per aliquem *externa* secundum naturam ecclesiasticae *legis* poenalis *violatione*, *dolus* seu « deliberata (sufficienter) voluntas violandi legem » (§ 1) illam *in foro externo*, idest: coram Ecclesiae publicam potestatem, quidquid sit in veritate seu coram Deo et conscientia fidelis, *praesumitur* extitisse, sed praesumptione iuris simpliciter (can. 1825, § 2), quae nempe « ab ipsa lege statuitur », *donec contrarium*, idest: dolum abfuisse propter aliquid ei oppositum, *probetur:* et hoc tenendum, sive idipsum appareat ex circumstantiis, sive dubium sit, prout discernit cap. 4 « de sententia excommunicationis », (V, 39) dicens: « Si vero aliquis in clericum nutrientem comam manus iniecerit violentas, propter hoc non debet Apostolico praesentari conspectui; nec etiam excommunicatione notari, dummodo ipsum esse clericum ignoraverit: Vel si hoc dubium fuerit, propria manu dumtaxat praestiterit iuramentum, quod eum esse clericum ignorasset. Ab illo autem (si praestare noluerit iuramentum) quia violentas manus constat eum in clericum iniecisse, sicut ab excommunicato, donec de mandato Summi Pontificis absolvatur, convenit abstinere ». Quod ultimum supponit canonis declarati praesumptionem sub 2° §°.

[1] Cap. 1 « de praesumptionibus » tit. XXIII, Lib. II.

14. **Defectus perfecti usus rationis** gradatim ac diversis ex causis considerat ac eorum perpendit vim *can. 2201.* — *§ 1.* Ex rei natura ob imputabilitatis exclusionem totalem, *Delicti* ad normam totius can. 2195, *sunt incapaces* ex naturali defectu, *qui actu*, nempe: quando legem poenalem violarent, *carent*, sive habitualiter v. gr. infantes, amentes, sive ad breve tempus v. gr. in furiam versi, *usu rationis* ad deliberandum necessario, etsi facultatem illam ut homines habeant ac forsitan expeditam habuerunt habebuntque. Haec iuri veteri concordant citatae Clementinae.

§ *2. Habitualiter*, idest: ob aliquam infirmitatem ac praesertim organicam cerebri laesionem ordinarie *amentes*, idest: absque rationis usu, ac tunc sub §⁰ praec. comprehensi, *licet* a) *quandoque* videlicet: transeunter atque ad brevius tempus, *lucida* propter luminis rationis usum *intervalla* quoad statum eorum habitualem *habeant* b) *vel* « habitualiter » *in certis quibusdam* quoad obiectum vel casus *ratiocinationibus*, quae deliberationem monstrant, *vel* ponendis *actibus* moralibus, *sani* a mentis defectu *videantur*, quia veram istiusmodi sanitatem taliter non consequuntur ex medicinae peritia, *delicti tamen*, quamvis naturaliter capaces re vera sint, *incapaces* ex « rei incertae probabili coniectura » *praesumuntur*, ceu habentur ab ipsa lege, quae vocans eos « incapaces », statuit « praesumptionem iuris et de iure », contra quam « admittitur probatio tantum indirecta » (can. 1826).

Postquam canon defectum rationis naturalem ac inde habitualem consideravit, transit ad similem defectum voluntarie causatum et proinde temporaneum. Huiusmodi causa magis ordinaria inter homines primo ponderatur secundum diversas hypotheses, ut normae canonicae tradantur de imputabilitate, quae postea deserviunt in similibus. § *3. Delictum* (can. 2195) *in ebrietate*, quae est amissio liberi usus rationis ex potu illam causante, qui ut plurimum est vinum immoderate haustum, *voluntaria*, quando nempe sciens inebriantem liquoris vim, a bibendo quis non retrahitur, *commissum* in tali statu, a) *aliqua imputabilitate non vacat*, quia haec pendet « ex delinquentis culpa » se inebriandi, secumferente ignorantiam vel omissionem de quibus in can. 2199, *sed*, b) *ea* imputabilitas *minor est quam cum idem* quoad cetera *delictum committitur ab eo qui sui plene compos sit*, nam actu liber ponit imputabilitatis causam ex can. 2199 delicto proximam, dum se volun-

tarie inebrians posuit eandem fortassis remotam, excepto casu sequenti dolum continente: c) *nisi tamen ebrietas* supra definita *apposite* seu ex « deliberata voluntate violandi legem » (can. 2200, § 1), idest: *ad delictum* ad normam can. 2195 *patrandum,* a quo forsan alias retraheretur, *vel excusandum* coram hominibus *quaesita sit*, directe illam ebrietatem intendens quoque, vel indirecte propter gerendum aliis morem. Sequitur secunda §[1] pars: *violata autem lege* poenali ex inscriptione et contextu *in ebrietate involuntaria*, seu in huiusmodi statu inculpabili, a) *imputabilitas exsulat omnino,* quia dolus et culpa, a quibus illa pendet, absunt, *si ebrietas* praedicta *usum rationis adimat ex toto*, tunc enim recidunt hi sub §° 1: *minuitur* « imputabilitas » propter existentem illius aliquam originem ad normam can. 2199, *si ex parte tantum* « usus rationis adimatur ». Quantum vero ratione potest deliberare, tantum erit ei delictum « moraliter imputabile » (can. 2195).

Sic explicit § 3: « *Idem,* ac dictum est tum de ebrietate voluntaria, nisi tamen apposite (ut ibi) quaesita sit », tum « de violata lege in ebrietate involuntaria », sub distinctione « si ebrietas usum rationis adimat ex toto, vel ex parte tantum », *dicatur* quoque uti iure constitutum *de aliis similibus*, v. gr. de somnambulismo, magnetismo passivo, hypnotismo, mentis alienatione ex deliquio, acuta nevrastenia, et aliis *mentis perturbationibus* quoad rationis expeditum exercitium ad deliberatam voluntatem.

Denique § *4* statuit: *Debilitas mentis,* sive ex impubertate proveniens aut corporis complexione, sive ex facultatibus sensitivis, sive ob eumdem facultatis intellectivae gradum, propter quam adulti quoque magis vel minus pueris assimilantur rationis usum habentibus, *delicti imputabilitatem* evidenter *minuit* ob deliberatae voluntatis deficientiam, *sed non tollit omnino*, quatenus mens, ut supponitur, sufficienter deliberare potest.

15. **De ignorantiae influxu quoad imputabilitatem.** — Rememorari convenit notiones datas in Commentario Textus ad can. 16. His praesuppositis facilior evadit *can. 2202.* § *1. Violatio,* seu actus liber, quo transgreditur praescriptum aut vetitum *legis* poenalis ex contextu, ad quam proinde fidelis supponitur obligatus, et quam scire tenetur, propter quod subiungitur: *ignoratae* proprie, cum ceteroquin unusquisque posset eam cognoscere facile ex hoc Libro V, vel adeundo Christi ministros; attamen *nullate-*

nus imputatur, seu abest in casu delictum ad normam can. 2195, *si ignorantia fuerit* moraliter *inculpabilis,* et recte: quia « ignorantia de se habet quod faciat actum quem causat, involuntarium esse », vel saltem « non volitum »[1], atque in casu praefatam violationem. Prosequitur paragraphus e contrario statuens: *secus,* nempe: « si ignorantia fuerit culpabilis »: tunc *imputabilitas* existit ob can. 2199, sed *minuitur* respectu imputabilitatis « ex dolo delinquentis », *plus minusve pro ignorantiae ipsius,* videlicet: legis violatae, *culpabilitate* maiori vel minori, dummodo haec sit gravis prouti ad delictum requiritur. Gradus vero tres huius culpabilitatis exhibentur in 6° Decretalium, quando Bonif. VIII in cap. 2 « de constitutionibus » decernit: « ut animarum periculis obvietur: sententiis per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes (equidem cum gravi culpabilitate, secus nihil concederet) dum tamen (subdit) eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina ». Huic vero supereminet alia, de qua Greg. X in Conc. Lugd.[2], ait: « Eos clericos parochiae alienae absque superioris ordinandorum licentia scienter seu affectata ignorantia (ubi hanc scientiae aequiparat), vel quocumque alio figmento quaesito praesumpserint ordinare ». Hi tres typici gradus alias iam declarati quamlibet ignorantiam comprehendunt, ita ut eius maior vel minor culpabilitas ex circumstantiis violantis legem dimetiri secure possit.

Scimus ad delictum requiri violationem legis non cuiuslibet, sed « cui addita sit sanctio canonica » (can. 2195, § 1), per quam lex poenalis in seipsa fortior efficitur ad eiusdem observantiam consequendam. Potest ergo accidere, ut ait § 2, *Ignorantia solius poenae,* quae addita est cognitae legi, sed illa *imputabilitatem delicti,* tum quae pendeat ex dolo delinquentis, ut evidens est ex definitione doli sub can. 2200, § 1, tum quae proveniret ex culpa « in omissione debitae diligentiae » (can. 2199), *non tollit,* manente legis violatae cognitione, *sed aliquantum minuit,* quatenus de substantia delicti est, ut lex sanctione sit munita, vel « praecepto poenalis sanctio adnexa sit » (can. 2195, § 2).

Cum ignorantia in canone sit considerata, in quantum excludit legis cognitionem, quando illa violatur, scite complet canonem § 3. *Quae de ignorantia statuuntur* legislatoris voluntate, eadem

[1] D. Thomas, I-II, quaest. LXXVI, a. 3. c. — [2] Cap. 2 « de temporibus ordinationum » tit. IX, Lib. I.

valent quoque vi huius §[1] *de inadvertentia* eiusdem cognitae legis quae violatur, *et errore*, qui non est mera carentia scientiae legis, sed contrarium legis vetito vel praescripto iudicium includit.

16. **Imputabilitas ex omissione debitae diligentiae**. Quia talis omissio est origo tertia illius imputabilitatis ad normam can. 2199, ideo, postquam in can. 2201 egit Codex directe de dolo et in can. 2202 de culpabili ignorantia, illam omissionem examinat *can. 2203. § 1. Si quis* poenalem ex contextu *legem* actione aut omissione *violaverit, ex* eiusdem culpabili ad normam can. 2199, quod praesumitur, *omissione debitae* iuxta prudentiae normas *diligentiae*, ut haec declarata est ad cit. canonem, *imputabilitas*, quae ab illa pendens supponitur adesse, *minuitur* respectu ad aliam « ex delinquentis dolo » (can. 2199), *pro modo*, seu mensura *a prudenti iudice* poenam infligente aut declarante, *ex adiunctis* singulorum casuum *determinando*, prout eadem in actis constent. Hypothesis peculiaris statim subinfertur sic: *quod si rem* scilicet: violationem vel sequuturum damnum *praeviderit* de facto, *et nihilominus cautiones ad eam* declaratam « rem » *evitandam omiserit, quas diligens quivis* seu communiter loquendo *adhibuisset*, non vero si magis exquisitas « cautiones omiserit », *culpa* illius moralis sed iuridice considerata *est* iure *proxima dolo*, idest « deliberatae voluntati violandi (directe) legem » illam.

Congruentiam canonis cum veteri iure sequentes ostendunt Decretales. In cap. 1 « de custodia Eucharistiae, chrismatis et aliorum sacramentorum » (III, 44) ait Innoc. III: « Si vero is, ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur ». Porro hanc omissionem diligentiae vero dolo minorem esse ostendit Lucius III in cap. 3 « de his, qui filios occiderunt » (V, 10) X dicens: si « non apparet, utrum a patre vel a matre oppressus sit ipse (infans), vel suffocatus, vel propria morte defunctus; non debent inde securi esse parentes, nec etiam sine poena: sed tamen consideratio debet esse pietatis, ubi non voluntas, sed eventus mortis causa fuerit. Si autem eos non latet, ipsos interfectores esse, scire debent se graviter deliquisse ». — Exempla negligentiae culpabilis in Exodo quamplura inveniuntur, ex quibus selecta sunt capp. 2 et 3 « de iniuriis et damno dato » (V, 36) X, ac denique ipsam negligentiam exponit cap. ult. eiusdem tituli, aiente Greg. IX: « Si culpa tua datum est damnum, vel iniuria

irrogatum, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut haec imperitia tua sive negligentia evenerunt iure super his satisfacere te oportet: nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo iniuriam verisimiliter posse contingere vel iacturam ».

Atque sic explicit illud caput: « Sane licet, qui occasionem damni dat, damnum videatur dedisse: secus est tamen in illo dicendum, qui ut non accideret, de contingentibus nihil omisit ». Huic aequipollere implicite decernit Innoc. III in cap. 11 « de sepulturis » (III, 28) X sequentem fortuitum casum: « Quocirca mandamus, quatenus cum illa non sponte praecipitaverit se de ponte, sed (sicut superius est expressum) casu ceciderit, corpus eius tradi facias ecclesiasticae sepulturae: praesertim cum ex honesta causa fugisse noscatur, et cui communicabatur viventi, communicandum sit iam defunctae ».

Hanc refert disciplinam plene § 2. *Casus* seu eventus *fortuitus* quatenus proveniens ab alia causa, quam sit hominum voluntas, alterutro sequenti modo, *qui* nempe a) *praevideri* prudenter « nequit », b) *vel cui praeviso* vitando *occurri nequit* tum physice, tum adhibendo media in propria voluntate posita, *a qualibet imputabilitate* talem fidelem seu omnino *eximit.*

17. **De delictis puerorum** est rubrica tit. 23, Lib. V Decretalium Greg. IX. Duo tantum in eo sunt capita. In 1° ait Gregorius: « Pueris grandiusculis peccatum nolunt attribuere quidam, nisi ab annis 14 cum pubescere ceperint: ... Quis vero audeat affirmare furta, mendacia et periuria non esse peccata? At his plena est puerilis aetas, quamvis in eis non ita ut in maioribus punienda videantur ». Et Alex. III ait in cap. 2: « Unde quoniam in pueris relinqui solet inultum, quod in aliis provectioris aetatis humanae leges dicunt severius corrigendum. Mandamus, quatenus si constiterit, filium praedicti H. infra decimum quartum aetatis suae annum, eundem excessum commisisse », etc. Ac postremo Clem. PP. XIII in ep. « Quemadmodum » [1] § 5 rationem affert huius disciplinae his verbis: « iustissimum est, maximeque cum aequitate coniunctum, maiores discernere a minoribus; quod discrimen leges ipsae in eo recognoscunt, quod minoribus non illa sit perfecta ratio, cuius defectu plena ab eorum criminibus videtur abesse malitia, ut

[1] 25 Maii 1763

idcirco statuerint minus severe in illos animadvertendum. Pari vero, seu potius eadem plane ratione, quam differentiam agnoscunt saeculi leges in poenis sanciendis adversus reos, eadem aequum est in eisdem reis immunitatis beneficio defendendis ecclesiasticas leges recognoscere ».

Absque dubio deferens huic rationi praescribit *can. 2204. Minor* et non stricte « puerilis » ut in Decretalibus *aetas*, idest: « infra vicesimum primum aetatis annum expletum » (can. 88, § 1), atque in seipsa considerata, *nisi aliud constet*, ac proinde ut praesumptio iuris statuitur norma, quod illa a) *minuit* in se ac iuris favore *delicti* cuiuslibet ad normam totius can. 2195 *imputabilitatem* ex triplici origine, b) *eoque magis* « minuit » *quo ad infantiam* scilicet: « ante plenum septennium » (can. 88, § 3) *propius accedit*.

18. **De his, quae vi metusve causa fiunt** adest in Decretalibus rubrica tit.[1] 40, Lib. I. Cum statuta canonum hac de re sint quamplura iuxta diversa iuris instituta, sapientis legislatoris voluntas in diversis Codicis locis easdem causas pertractat, ut canones sine obscuritate proponat. Ad delicti imputabilitatem quod attinet, ponitur *can. 2205*, ad cuius intelligentiam cum [1] Innoc. III « distinguimus, utrum is qui communicat excommunicatis invitus, sit per coactionem adstrictus, aut per metum inductus. In primo casu talem non credimus excommunicatione teneri, cum magis pati, quam agere convincatur. In secundo licet metus attenuet culpam; quia tamen eam non prorsus excludit, cum pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari ».

His principiis concordat canon, sub §§ diversis plene normas exhibens circa delictum, ut diximus. § *1. Vis*, scilicet: causae independentis a voluntate impulsus ad agendum vel repulsio ab agendo, *physica*, quia impulsus vel repulsio in corpus eiusque facultates saltem internas ac fortassis sensitivas recipitur, sive a causa naturali, tum intrinseca v. gr. morbo aliquo, tum extrinseca v. gr. amente quodam, sive a causa libera ut plurimum producatur vis, *quae* tamen *omnem adimit agendi* hoc est: legi poenali se conformandi *facultatem* liberam, tunc *delictum*, utpote quod esse debet

[1] Cap. 5, tit 40, Lib. I, X.

« externa et moraliter imputabilis legis violatio » (can. 2195), *prorsus excludit* evidenter. Non aliter ac Innoc. III ait in cap. 3 « de baptismo et eius effectu » (III, 42) X : « sicut nec ille notam alicuius reatus incurrit, qui contradicens penitus et reclamans thurificare idolis cogitur violenter ». A sensu canonis contrario sequitur, quod si « vis non omnem adimit agendi facultatem » declaratam, in tantum est locus delicto.

De metu autem in duobus §§ rem absolvit canon. § *2*. a) *Metus quoque gravis* idest : « imminentis mali causa mentis trepidatio », dummodo malum grave sit ac imminere prudenter praevideatur, *etiam relative tantum*, ita ut supradictae duae conditiones respectu patientis metum verificentur, quia obstare incutienti metum nequit et damnum pro metum patiente vere sit magnum, b) *necessitas* v. gr. in lecto decumbendi, a loco abessendi ad conciliandam pacem, ac proinde tum physica, tum moralis, legitur enim in cap. 4 « de regulis iuris » (V, 41) X : « Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Nam et sabbatum custodiri praeceptum est : Machabaei tamen sine culpa sua in sabbato pugnabant : sic et hodie si quis ieiunium fregerit aegrotus, reus voti non habetur »; *imo et* c) *grave incommodum* legi extrinsecum sed ex legis observantia sequuturum, *plerumque* seu ordinarie *delictum* ex natura huius secundum benignam ecclesiasticae potestatis voluntatem, propter quod subiungitur : *si agatur de legibus*, quae vim obligandi saltem partialem a iure divino non mutuant immediate, nempe : *mere ecclesiasticis*, *penitus tollunt*.

Consequenter affert dictis maiorem lucem § *3*. *Si vero actus* positus contra poenalem ecclesiasticam legem *sit intrinsece* seu ex natura sui morali malus, divinae quoque legi contrarius, v. gr. homicidium, sacrilegium, *aut vergat* b) *in contemptum* alterutrum *fidei*, aut ex seipso, ac tunc directe oppositus erit divino-positivae legi, aut saltem ex circumstantiis talis efficiatur, *aut ecclesiasticae auctoritatis*, v. gr. vocatio Episcopi in iudicium laicale propter crimen, c) *vel in animarum damnum*, v. gr. omissio denuntiandi sollicitantem in confessione, in praedictis singulis actibus *causae* tres, *de quibus in § 2, delicti* ad normam can. 2195 totius *imputabilitatem* requisitam *minuunt quidem*, quatenus « deliberata voluntas » defectum quemdam ex illis patitur, *sed non auferunt*, nec ex rei natura quia lex ecclesiastica in illis casibus urget nec ex benigni-

tate legislatoris ecclesiastici, qui custos indeficiens censendus est divinae legis, fidei, ecclesiasticae auctoritatis ac indemnitatis animarum, unde connivere nequit praefatae violationi.

Metus est peculiaris causa, quam considerat § *4*. Innoc. IV in Conc. Lugd. testatur [1]: « Praeterea cum omnes leges omniaque iura vim vi repellere, cunctisque sese defensare permittant; licuit utique ipsi Decano », etc. ac infra prosequitur: « Et quidem cum liceat cuilibet suo vicino vel proximo propter repellendam ipsius iniuriam suum impertiri auxilium, imo si potest et negligit, videatur iniuriantem fovere, ac esse particeps eius culpae, licuit profecto ipsi decano », etc. — Hinc iure decrevit Clem. V in Conc. Viennensi [2]: « Et idem de illo censemus (quod nullam ex hoc irregularitatem incurrit), qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem ».

His concordat, aliosque textus comprehendit, normamque tradit completam praescribens canon: *Causa* seu motivum a) *legitimae*, idest: quantum leges permittunt, *tutelae* seu defensionis b) *contra iniustum* proprie, eo quod nostra bona, incolumitatem seu vitam quoque impetit, *aggressorem* tum nostri, tum proximi, cui subvenire possumus, *si debitum servetur moderamen*, ita ut proportionata damno sit tutela et quantum sit necesse ad efficacem illorum conservationem, unde manent vitandae in praxi propositiones 30-33 damnatae in Dec. S. Officii [3]; illa ergo causa tripliciter determinata *delictum* seu « legis violationem (quae fiat illa de causa) moraliter imputabilem » (can. 2195) *omnino aufert*. Post punctum et virgulam prosequitur canon: *secus*, scilicet: ex contextu verbum hoc respicit solummodo « si debitum (non) servetur moderamen », *imputabilitatem*, quam canon supponit inde exstantem *tantummodo minuit* « causa legitimae tutelae contra iniustum aggressorem », cui aequiparatur iure quoad imputabilitatis diminutionem, seu ut subdit legislator: *sicut etiam causa provocationis*.

Huius exemplum nobis offert cap. 18 « de homicidio voluntario vel casuali (V, 11) X, in quo Innoc. III ait: « Si vero (quemadmodum perhibetur) sacerdos iste, prius ab illo percussus sacrilego (en « causa provocationis »), mox eum cum ligone in capite

[1] Cap. 6 « de sententia excommunicationis » tit. XI, Lib. V in 6⁰. — [2] Cap. un. « de homicidio voluntario vel casuali » tit. IV, Lib. V in Clem. — [3] 2 Martii 1679. Denzinger, n. 1180-1183.

repercussit, quamvis vim vi repellere, omnes leges et omnia iura permittant, quia tamen id debet fieri cum moderamine inculpatae tutelae non ad sumendam vindictam, sed ad iniuriam propulsandam, (quod deest semper in solae provocationis causa), non videtur idem sacerdos a poena homicidii penitus excusari, tum ratione instrumenti cum quo ipse percussit, quod cum grave sit, non solet levem plagam inferre: tum ratione partis in qua fuit ille percussus, in qua de modico ictu quis lethaliter solet laedi ».

Demum « legitimae tutelae » declarationem continet cap. 3 « de sententia excommunicationis... » tit. XXXIX, Lib. V, X, ubi Alex. III sic respondit: « Si vero clericum vim sibi inferentem vi quis repellat, vel laedat: non debet propter hoc ad Sedem Apostolicam transmitti: si in continenti vim vi repellat; cum vim vi repellere omnes leges omniaque iura permittant. — Nec ille compellendus est ad Sedem Apostolicam venire, qui in clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventum, manus iniecerit violentas. Caeterum si in stupro vel adulterio, quod committit cum ea, quae ipsum ita proxima consanguinitatis linea non contingit, ceperit, aut in eum violentas manus iniecerit, non erit a sententia illius excommunicationis immunis ».

19. Passionis influxus quoad imputabilitatem undequaque exponitur a *can. 2206. Passio*, nempe: motus seu inclinatio facultatum sensitivarum internarum, v. gr. amor, odium, ira, *si fuerit voluntarie* ex parte illius, qui talem motum sentit, *et deliberate* quoad plenam eius motus cognitionem, idest: consequenter deliberatae voluntati a) *excitata* v. gr. per liberam receptae iniuriae considerationem in illum finem, *vel* b) *nutrita*, dum praevie inclinatus tali aestu, positive dat ei pabulum; sic declarata « passio » ad legis poenalis violationem impellens, *imputabilitatem* delicti illa de causa sequuti *potius auget*, cum « deliberata voluntas » ad legis violationem dupliciter perveniat, nempe: causans passionem et illam peragens violationem. Porro illa passio excitari potest, quin nobis queat plene attribui moraliter, cum desit motus illius excitatio aut nutritio supra declaratae, et propterea subdit canon: *secus eam* « imputabilitatem » provenientis inde violationis legis poenalis *minuit plus minusve,* quia passiones tum mentem obnubilant tum ad voluntatis deiectionem tendunt, sed *pro diverso passionis* seu illorum diversorum motuum *aestu*, quem illi in sanguinem inducunt aequipol-

lentem maiori motui vel minori. Denique pro quibusdam exceptionalibus casibus, qui temporibus his praesertim dantur, sic explicit canon: *et* « passio » quaelibet *omnino tollit* « imputabilitatem » delicti eidem subsequentis, *si* a) *omnem mentis deliberationem*, non solum partialiter turbando, *et voluntatis consensum* de legis violatione *praecedat*, quo excluditur hypothesis sub initio canonis, *et impediat* quando evenit legis violatio. Et patet, quia tali modo exclusi manent fontes a quibus « imputabilitas delicti pendet » (can 2199).

20. **Circumstantiae quantitatem delicti augentes.** — Docti sumus canone 2166 hanc « etiam dimetiendam esse ex maiore minoreve imputabilitate aut damno illato ». Hucusque Codex introspexit ad mensurandam directe imputabilitatem, *canon* vero *2207* illam et istud indirecte perpendit, statuens: *Praeter alia*, quae in Codice non relata, facile a prudenti quolibet praesertim iudice perspici queunt, *adiuncta* legis poenalis violationi, hanc *aggravantia*, sive ex parte delinquentis, cui magis tale repugnaret delictum, sive ex parte offensi, cui maius quam aliis damnum infertur, sive ob maius ex delicto proveniens scandalum, sive ex relatione inter delinquentem et illud patientem v. gr. consanguinitatis, beneficiorum receptorum, etc., *delictum* ut in can. 2195 *augetur*, ergo quantitate:

1° Pro maiore dignitate, sive scientiae, sive virtutis, sive status, officii, gradus, *personae* singularis, a) *quae delictum* idem *committit*, *aut* b) *quae* commisso *delicto*, ceteris paribus, *offenditur*, seu damnificatur. Ad horum probationem considerare oportet omne delictum importare morale peccatum, cui addit ut sit externum et publica auctoritate punitum, unde rationes, quae convincunt maiorem vel minorem gravitatem in peccato, ex consequenti valent ad statuendam parem gravitatem in delicto.

a) Quoad « dignitatem personae quae delictum committit », animadvertatur quod delicta « sunt peccata ex deliberatione procedentia, et ista peccata tanto magis alicui imputantur, quanto maior est [1]. Et hoc potest esse propter quatuor: primo quidem quia facilius possunt resistere peccato maiores, puta qui excedunt in scientia et virtute: unde Dominus dicit (Luc. XII, 47), quod *servus sciens*

[1] D. Thomas, I-II, q. LXXIV, a. 10 corp.

voluntatem domini sui, et non faciens, plagis vapulabit multis. Secundo propter ingratitudinem; quia omne bonum quo aliquis magnificatur, est Dei beneficium, cui homo fit ingratus peccando: et quantum ad hoc quaelibet maioritas, etiam in temporalibus bonis, (sed praesertim in ecclesiastica societate, quoad delicta), peccatum aggravat, secundum illud (Sap. VI, 6): *Potentes potenter tormenta patientur.* Tertio propter specialem repugnantiam actus peccati ad magnitudinem personae; sicut si princeps iustitiam violet, qui ponitur iustitiae custos; et si sacerdos fornicetur, qui castitatem vovit. Quarto propter exemplum sive scandalum; quia, ut Gregorius dicit in Pastorali (part. 1, cap. 2 a med.), " in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia gradus peccator honoratur „. Ad plurium etiam notitiam perveniunt peccata magnorum, et magis homines ea indigne ferunt ».

b) « [1] Potest igitur ex parte trium considerari maior vel minor gravitas in peccato secundum conditionem personae in quam peccatur. Primo quidem ex parte Dei, cui tanto magis aliquis homo coniungitur, quanto est virtuosior vel Deo sacratior; et ideo iniuria tali personae illata magis redundat in Deum, secundum illud (Zachar, II, 8): *Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei.* Unde peccatum fit gravius ex hoc quod peccatur in personam magis Deo coniunctam vel ratione virtutis vel ratione officii. Ex parte etiam sui ipsius manifestum est quod tanto aliquis gravius peccat, quanto aliquis magis in coniunctam personam seu naturali necessitudine, seu beneficiis, seu quacumque coniunctione peccaverit; quia videtur in seipsum magis peccare (quem praecipue debet diligere); et pro tanto gravius peccat, secundum illud (Eccli. XIV, 5): *Qui sibi nequam est, cui bonus erit?* » Haec tamen ratio urget non dignitatem illius personae « quae delicto offenditur », sed « alia adiuncta aggravantia ». Prosequitur Angelicus Doctor: « Ex parte vero proximi tanto gravius peccatur, quanto peccatum plures tangit; et ideo peccatum quod fit in personam publicam, puta regem, vel principem, qui gerit personam totius multitudinis, est gravius quam peccatum quod committitur contra unam personam privatam, unde specialiter dicitur (Exodi, XXII, 28): *Principi populi tui non maledices;* et similiter iniuria quae fit alicui famosae personae, videtur

[1] D. Thomas I-II, q. LXXIII, a. 9, corp.

esse gravior ex hoc quod in scandalum et turbationem plurimorum redundat ».

Ultima canonis pars est: « delictum augetur » *2° Ex abusu* ob canones seu leges non servatas aut ob praeteritionem aequitatis ac prudentiae in exercitio cuiuslibet *auctoritatis*, civilis quoque, ast praesertim ecclesiasticae, *vel officii* fortassis absque illa, atque lato quoque sensu « ex contextu sermonis » (can. 145, § 2), dum praefatus abusus occasio sit eidem *ad delictum patrandum*. Ad corroborationem ex veteri iure sufficiant, primo auctoritas Innoc. III in cap. 11 « de excessibus praelatorum et subditorum » (V, 31) X aientis: « cum in illis magis plectibilis sit offensa, per quos ad excusandas excusationes in culpis delinquendi auctoritas usurpatur », ac est quaestio de cantore « ad quem (succentoriae Pictaviensis) donatio pertinebat » — Bonifacius vero VIII statuit [1]: « Quapropter si Princeps, senator, consul, potestas, vel alius dominus, sive rector contra praesumptores praedictos praesentis constitutionis tenorem non fecerit observari: tam ipse, quam officiales ipsius infra mensem, postquam res ad eorum notitiam pervenerit, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant ».

21. **De recidivo ac pluries delinquente** est ultimus canon augmentum imputabilitatis perpendens in uno eodemque delictorum subiecto. *Can. 2208. § 1. Recidivus,* quamvis sit vocabulum in morali theologia ac legibus civilibus adhibitus diversa sub significatione, *sensu iuris,* seu iuridica significatione propria, tum Codicis praesertim, tum in foro Ecclesiae externo, quando de poenis et delictis agitur, *est* ille *qui* a) *post condemnationem,* idest ad poenam subeundam decreto vel sententia Superioris ecclesiastici adactus ratione alicuius delicti, b) *rursus*, etiam semel tantum, aut sine alia interruptione dum agitur de continuato delicto, *committit delictum* proprie ad normam can. 2195, § 1, c) *eiusdem generis* seu qualitatis, ut hanc noscimus ex can. 2196, quamvis de obiecto materiali distincto, v. gr. ut decernit Alex. IV [2] his verbis: « Cum vero qui in una haeresis specie vel secta commisit, aut in uno fidei articulo seu Ecclesiae sacramento erravit, et postmodum haeresim simpliciter vel generaliter abiuravit, si ex tunc in aliam etiam haeresis speciem, sive sectam, aut alio articulo seu sacramento

[1] Cap. 5 « de poenis » (V, 9) in 6°. — [2] Cap. 8 « de haereticis » (V, 2) in 6°.

committat, volumus ut relapsum in haeresim iudicari », vel etiam cum diverso complice, ut explicat Conc. Trid. de clericis concubinariis in cap. 14, sess. XXV, de Ref.: « Sin vero in delicto eodem cum eadem, vel alia femina perseverantes, secundae monitioni adhuc non paruerint », adaugent Patres poenas. Et infra: « Sed si, postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias huiusmodi scandalosas mulieres sibi adiungere ausi fuerint: praeter praedictas poenas, excommunicationis gladio plectantur ». Sed adhuc requiritur d) *et in talibus rerum*, sub quibus veniunt quoque loca, media adhibita, *ac praesertim temporis*, intervalli unum inter ac alterum delictum, *adiunctis* seu circumstantiis, nam si profluxit longum tempus, non esset praesumendum ultimum requisitum, nempe: e) *ut eiusdem pertinacia* seu stabilitas *in mala voluntate* delicti origine *prudenter*, seu probabiliter ab homine, idest: Superiore vel iudice *coniici* ex illis « adiunctis » *possit*.

Deficiente igitur aliqua ex distinctis per litteras conditionibus, delinquens dici nequit proprie recidivus in iure, sed admonet scite § *2* praescribens: *Qui pluries*, etiam bis, quia (reg. iuris 40 in 6°) « pluralis locutio, duorum numero est contenta », vel sine interruptione in delicto continuato, iuxta illud Alex. III in cap. 3 « de simonia » (V, 3) X: « quia diuturnitas temporis non diminuit peccata, sed auget », *deliquerit* ad normam quoque totius can. 2195, et *etiam* si *diverso in genere* delicti supra declarato, *suam* in eo altero delicto, respectu simplicis delinquentis huiusmodi *auget culpabilitatem*, seu quantitas delicti maior reputatur ex maiori voluntatis propensione ad legis poenalis violationem, atque attendendo cum Conc. Lateranensi: « quod tanto graviora sunt crimina, quanto diutius infelicem animam tenuerunt alligatam » [1].

22. **De his qui partem habent in delicto seu de conreis** proponitur unicus sequens canon. Ut liqueat horum conreorum distinctio, considerare oportet plures posse concurrere praevie in delictum vel in eodem patrando. Concursus vero intelligatur positivus, quamvis a participatione non sit immunis aliquando per omissionem, qui delictum impedire potuit. Alii vero sunt qui actiones ponunt ad delictum iam patratum consequenter colligatas, quorum etiam disquirere oportet imputabilitatem. Inter concurrentes ad de-

[1] Cap. 9 « de simonia » (V, 3) X.

lictum communerantur, primo mandans, secundo inducens aliqualiter ad illum patrandum, ac demum partem habentes secundariam in exsequutione illius. Impedire autem delicta non omnium est iure, quamvis possent de facto, ac proinde requiritur quoque ut ad impediendum illud, non solum moraliter, sed coram Ecclesia teneantur.

De his omnibus successive ac ordinatim pertractat maximi momenti *can. 2209.* Attamen duo paragraphi considerant prius peculiares delinquendi ac delicti conditiones. § *1. Qui communi* seu mutuo pertractato *delinquendi* determinate *consilio*, et acceptato, (seu assumpto aequipollenter factis, ut in cap. 18 infra referendo), nam sequitur: a) *simul* in illius consequentiam atque b) *physice*, opera nempe manuum, verborum, scriptorum, etc. pro legis poenalis obiecto diverso *concurrunt* tanquam socii *in delictum* proprie dictum perficiendum, quia et doli non expertes, et violationis legis participes existunt, *omnes eodem modo* coram lege ac in foro Ecclesiae externo *rei* illius *habentur, nisi* quoad mensuram *adiuncta* convenientium in delictum et partis assumptae, etc., *alicuius,* idest: singulariter unius alteriusve *culpabilitatem* iuridicam, seu imputabilitatem *augeant vel minuant* secundum applicationem praecedentium canonum huius Tituli. Haec norma applicationem nanciscitur generaliter circa singula delicta, quae persequuntur canones tertiae partis huius Libri. Quapropter etiamsi prout intendimus, mentionem huius §[1] numquam vel fere numquam tunc faciemus, commendatam sic illam retineamus, ut e memoria non excidat.

E contra nonnullos eorum canonum respicit § *2. In delicto* ad normam totius can. 2195, *quod sua natura,* non solum occasionaliter, *complicem* seu socium ad illud patrandum *postulat,* v. gr. concubinatus, editio libri, quando editor distinctus est a typographo, *unaquaeque pars,* idest: singuli socii ad illud delictum perficiendum necessarii, *est eodem modo* seu aequaliter quoad imputabilitatem *culpabilis* coram Ecclesia, seu in iure, *nisi ex adiunctis* seu singulorum huiusmodi delictorum circumstantiis *aliud* idest: diversa imputabilitatis mensura pro aliquo complice *appareat.* Haec exceptio normam ut plurimum constituet in complicitate occasionali, v. gr. ad procurandum abortum. Notare iuvat hanc paragraphum esse subintelligendam praecipue, quando poenalis canon delictum directe puniat, potiusquam nominet personas delinquentes.

Ad praedictarum paragraphorum declarationem iuvant sequentes Decretales. Sit prima cap. 6 « de homicidio voluntario vel casuali » (V, 11) X, ubi Alex. III decrevit: « Illi autem, qui animo occidendi, feriendi, aut capiendi illum sanctum et reverendum virum quondam Cantuariensem archiepiscopum, citra manuum iniectionem se fatentur venisse; si de illa captione mors eius secuta fuisset, pari poenitentia, vel fere pari existerent puniendi ». Et in cap. 18 eiusdem tituli refert Innoc. III: « Significasti nobis, quod cum quidam maleficus ingressus ecclesiam, Eucharistiam cum altarium ornamentis, et libris ecclesiasticis, extra ecclesiam asportasset, L presbyter ecclesiae canonicus regularis, praefatum iniquitatis filium, fossorio arrepto percussit, sed si ad mortem fuit ictus huiusmodi, tu et ipse penitus ignoratis, quem parochiani ecclesiae videntes ornamenta ecclesiae asportantem, arreptis gladiis et fustibus, in eodem loco protinus occiderunt ». Et infra respondet S. Pontifex: « Quod si discerni non possit ex cuius ictu percussus interiit. in hoc dubio tanquam homicida debet haberi sacerdos ».

De complicitatis delicto. normam canonis invenimus iam in praxim deductam per Alex. III in cap. 8 « de simonia » (V, 3) X, ubi prohibens illam in diversis rebus ita complet propriam legem: « Unde quisquis contra hoc decretum attentare praesumpserit tam ille qui dederit quam ille qui receperit, vel consenserit, partem se cum Simone non dubitet habiturum ». Normae autem exceptionem nobis offert alibi Pontifex idem, videlicet: in cap. 5 « de adulteriis et stupro » (V, 16) X, ubi ait: « quid fieri debeat, cum negante adultero mulier in confessione persistat, consilium requisisti. Ideoque mandamus. quatenus condignam poenitentiam praefatae imponens adulterae,... praedicto autem sacerdoti, ne (contra Apostolum) infirmorum corda mala fama ipsius percutiantur, et ne vituperetur ministerium nostrum, neque securiores presbyteri exsistentes. in peccatum licentius prolabantur, cum vicinis quinque presbyteris, quos se nolle peierare cognoveris, iuxta arbitrium tuum purgare se poterit, in officio suo ministrare permittas: alioquin ob officio suo ipsum suspendere non postponas ».

Iam acturo legislatore de omnibus conreis, oportet prius eosdem recensere verbis Clem. V in Conc. Viennensi [1]: « Si quis suadente

[1] Clem. 1 « de poenis » (V, 8).

diabolo in hoc sacrilegii genus proruperit, quod quemvis pontificem iniuriose, vel temere percusserit, aut ceperit seu banniverit (en « delicti exsecutor » in canone), vel haec mandaverit fieri (qui a canone dicitur « principalis delicti auctor »), aut facta ab aliis rata habuerit, vel socius in his fuerit facientis (vel ut ait canon: « in delicti consummationem concurrunt »), aut consilium in his dederit (idest « in illam consummationem inducunt »), aut favorem, seu scienter defensaverit eumdem (quod idem sonat ac « quoquo modo » in illam concurrere) in illis casibus de praedictis, in quibus excommunicationem per iam editos canones non subiret, sit huius nostrae constitutionis auctoritate (non obstante quacumque consuetudine, quam reputamus approbante sacro concilio potius corruptelam) anathematis mucrone percussus, a quo nequeat, nisi per Summum Pontificem (praeterquam in articulo mortis) absolvi ».

Placet ac iuvat hic referre verba clar. Card. Lega, quae distinctas notiones huic utiles commentario prae se ferunt, atque praecedentem textum magis exponunt [1]. Ait lex 34, ff. De iniur. « Singulorum proprium est maleficium », nimirum crimen a pluribus patratum imputatur singulis, non universis, quasi cuidam personae iuridicae. Intellige: nisi haec personalitate sua abutens illud perpetret. Item: quandocumque non habetur complicitas, sive natura delicti, ut in praec. § 2, sive « communi delinquendi consilio », sicut in §° 1°, iubet L. 17 ff. Ad leg. corn. de sic. « Si rixa percussus homo perierit, ictus uniuscuiusque in hoc collectorum contemplari oportet ».

« Iamvero, duo sunt delicti elementa necessaria; propositum delinquendi (« moraliter imputabilis » can. 2195) et delicti executio (« externa legis violatio » can. cit.). — Qui propositum delinquendi suscipiunt idemque fovent ut alii ad delictum exequendum perducantur, sunt *conrei principales*, quippe concurrunt in alterum criminis essentiale elementum. Eiusmodi conrei sunt *mandantes, iubentes* et hinc haec conreitas appellari potest moralis. (Putamus huic proximius accedere, qui consilio excitat in delictum perpetrandum, alterum ab hoc proposito alienum). Deinde *conrei* aeque sunt *principales*, qui operam dant crimini exsequendo, plane conscii de aliorum voluntate cuius proposito deliberate satisfaciunt. — Re sane

[1] Praelectiones in Textum Iuris Canonici. Lib, II, Vol. III, num. 39, 40 et 43.

vera planum est,... dummodo et ipsi intendant propositum exequi criminosum adeo ut non sint executores omnino *materiales* seu *instrumentales*. Haec conreitas appellatur physica. (Ad hos pertinere videntur *auxilium, opem seu favorem praestantes*, quando haec sunt ad delictum necessaria).

Conrei vero sunt *accessorii* qui efficiunt, ut crimen *facilius* et *efficacius* perpetretur, veluti *consulentes*, qui viam docent magis expeditam exequutioni criminis iam *deliberati*; necnon qui, crimine iam perpetrato, contendunt sive ut delinquens poenam effugiat debitam, sive ut crimen suos latius producat effectus; isti dicuntur *auxilium, opem praestantes* (diversimode ac antea concurrentes), *fautores* (receptores), *receptatores, defensores* ».

Sic parata via, ad interpretationem § *3* procedamus. *Non solum* a) *mandans* patrari aliquod delictum, sive auctoritate aliqua iubens, sive absque ea mandatum dans iniustum alicui ad modum commissionis, sive pecunia vel rei temporalis promissione addita, cuilibet horum sequentem innuit lex notam: *qui est principalis*, tum sicut explicavit cl. Card. Lega, tum quia origo primaria ex dolo delinquens seu *delicti auctor*, id confirmante regula iuris 72 in 6°: « Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum », *sed etiam qui* b) *ad delicti consummationem*, idest: completam legis poenalis violationem iuxta illius tenorem praescripti etsi partialis, si multiplex illud sit, *inducunt*, consilio, minis, hortatione, ecc. *vel* c) *in hanc* supple: « delicti consummationem » declaratam *quoquo modo*, physice v. gr. adiuvando manibus seu opem forsan pecuniariam praebentes, vel moraliter v. gr. favorem commendationis intercessionisve pro eo qui delictum est patraturus, sarcinas interim custodientes vel vigiliam exercentes ne delictum impediatur, quia omnes praedicti *concurrunt*, seu pergunt simul ad illam « consummationem » cum praecipuo exsecutore « delicti ». Comprehensi ergo multipliciter sed proprie sub clausulis litterarum a) b) c), *non minorem*, idest: aequam saltem, *ceteris paribus*, scilicet: considerato delinquendi dolo tantum, vel culpabili legis violatae ignorantia, *imputabilitatem contrahunt*, ac proinde rei pariter sunt, *quam delicti* directus *exsecutor* seu ponens actionem canone poenali vetitam. Verumtamen praescriptum intelligatur sane, scilicet: *si delictum* hoc vel illud singulariter *sine eorum* singulorum praefatorum *opera* seu adiumento physico moralive *commissum non fuisset*. Sub

hac tantum conditione, illi vere participes fiunt sequutae violationis legis poenalis, dum ex dictis praeterea verum dolum vel saltem culpabilem legis violatae ignorantiam eis defuisse praesumi nequit. Hinc sunt conrei principales, prout hi supra per clar. Card. Lega declarati sunt.

Prudens iudicium de illa delicti participatione atque praesertim de postrema paragraphi conditione deferendum est, pro foro interno confessario discreto aut viro iuris perito secundum circumstantiarum veritatem, pro foro autem externo pertinet ad Superiorem aut ecclesiasticum iudicem, atque promendum iuxta ea quae apparent vel deducta fuerunt.

De conreis accessoriis loquitur evidenter § *4* dicens. *Si vero eorum* singulorum, qui iuxta interpretationem datam sub §[i] 3[i] clausulis tribus comprehensi sunt, *concursus* scilicet: influxus vel participatio *facilius tantum reddidit delictum* quoad eius exsecutionem, *quod etiam sine eorumdem* qui considerantur, omnium vel aliquorum, *concursu* vere *commissum fuisset,* ac proinde quando ob defectum conditionis postremae paragraphi praecedentis sunt conrei proprie accessorii, *minorem* ac in delicti exsecutore *imputabilitatem*, sed hanc *praesefert,* quia dolus verus eis propter talem concursum non defuit.

§ 5. Inter eos conreos principales vel accessorios, *qui suum influxum*, v. gr. mandato, consilio fortassis docendo viam ignotam delicti patrandi, auxilio, favore, aliove modo, *in delictum patrandum* saltem facilius, ac propter hoc praevie et ad hoc illum ordinatum, *opportuna retractatione*, v. gr. mandati revocatione, consilii reprobatione forsan adiectis rationibus, auxilii denegatione ulteriori, adversus favorem verbis vel scripto, qualibet earum convenienter intimata pro earum diversitate relativis personis, a) *abduxerit plene*, ita ut respective moraliter ac physice influxus cesset quantum ex parte conrei pendet, *ab omni imputabilitate* sequuti delicti illius *liberatur*, nam taliter dolus illius excluditur quando fit violatio, propter quod adiicitur: *etiamsi exsecutor delictum* illud *ob alias causas sibi proprias*, tum personales, tum ceterorum conreorum, tum datas prius sed sufficienter retractatas, *nihilominus patraverit* per effectivam legis poenalis violationem. Prosequitur praescriptum *si,* « qui suum influxum... » ut in §[i] initio, *non abduxerit plene,* quia retractavit minus quam necesse fuerat secundum prudens iudi-

cium, attentis influxus dati adiunctis, *retractatio* serio facta *minuit* ob mutationem voluntatis, *sed non aufert culpabilitatem*, ea mensura qua defuit unusquisque in retractatione.

De non impediente delictum agit § *6*. rem iuridice perpendens, quidquid sit de culpa morali, quam quis ob caritatis violationem incurrere potest, quando praevidens possibilitatem non impedit proximi peccatum, etsi hoc contra legem sit poenalem.

En textus paragraphi: *Qui in delictum*, prout « iure ecclesiastico intelligitur » proprie (can. 2195, § 1), *concurrit*, id est fit particeps culpae, nihil equidem operando, seu *suum dumtaxat officium*, nempe: munus quodlibet a se susceptum *negligendo* proprie, *imputabilitate* eiusdem « delicti » in can. 2199 declarata *tenetur proportionata* iuxta prudentem iudicis aut Superioris considerationem *obligationi qua* ex officio eodem *adigebatur ad delictum* illud singulare *suo officio* exercito *impediendum*.

Conreos semper accessorios respicit postremus § 7. *Delicti* cuiuslibet ad normam can. 2195 iam a) *patrati laudatio* simplex, vel a fortiori ratihabitio « in factis criminosis, quae nomine alieno peragi possunt, quippe mandari possunt et perfici in utilitatem mandantis, veluti homicidium, incendium, alienarum rerum subreptiones,... dummodo tamen ratum habens delictum, illud saltem laudaverit iuxta canonem, vel insuper) probaverit utpote factum nomine suo, » quamvis ad veram ratihabitionem requiritur insuper, ut « delictum perpetrare potuisset eo tempore quo admissum fuit ». ut scite animadvertit cl. Card. Lega [1], b) *fructuum* ex delicto provenientium *participatio, delinquentis* qua talis, « quia secus non haberetur propositum delinquendi, ut ecce si quis reum defendit, receptat, quippe sibi sanguine coniunctum ne gravissimam subeat poenam » [1], c) *occultatio,* qualitercumque illa fiat, v. gr. ambiguitate verborum, factis ad iustitiae ministros decipiendos, *et* d) *receptatio,* tum physica, quae est (arg. l. 1, § 3, De furtis et servo corrupto): « refugium abscondendi causa praestare in suo vel alieno loco », tum moralis, quae idem est ac defendere privatim vel per publicam civilem auctoritatem, quod est « ab oppugnationibus aliquem protegere », propter quas defensionem ac ratihabitionem et si quid aliud excogitetur, expresse addit canon: e) *aliive actus.*

[1] Praelectiones in textum Iuris canonici. Lib. II, Vol, III, num. 43.

Horum similitudo omnium in hoc statuitur, quod sint « actus » *delictum* proprie ad normam can. 2195 § 1 *plene absolutum* seu « consummatum », sicut in §° 3° declaratum fuit, *subsequentes*. In hoc supposito a) *nova* seu distincta saltem numero *delicta* singuli, plures, vel omnes *constituere possunt*, et subditur declaratio: *si nempe*, seu casu tantum quo *poena* « saltem indeterminata addita » (can. 2195, § 1) *in lege plectantur* explicite; *sed*, alias, cum exceptione: *nisi cum delinquente* videlicet: delicti exsecutore *de illis* ponendis post crimen *actibus* singulis *ante delictum* perpetratum *conventum fuerit* saltem implicite, sed expresse, (atque vi huius conventionis subauditur, evidenter agi cum deliquente qua tali, etiamsi consanguineus fuerit), *non secumferunt* (singuli declarati sub §° actus) *delicti* praecipui iam *patrati*, ut dictum est, *imputabilitatem*. Quod patet, nam dolus aut culpa violationi legis poenalis praecedens nec concipi potest.

Praescripta huius canonis a iure veteri recte intellecto non differunt, uti probari potest per diversa Decretalium capita in fontibus Codicis indicata. Solummodo Auctorum sententia una vel altera erit corrigenda, quatenus praescriptis eis super iuridica principia rite fundatis non congruat.

Censemus quod utilitate non destituitur summaria doctrinae canonis exhibitio. I. Commune delinquendi consilium, vel propria delicti complicitas, facit partes eodem modo culpabiles (§§ 1, 2), nisi ex adiunctis aliud appareat. — II. Conrei vere principales ac ipse delicti exsecutor parem imputabilitatem contrahunt (§ 3). — III. Contrarium magis vel minus asserendum est de conreis ante delictum vel in eius perpetratione accessoriis, vel propter opportunam serio factam retractationem (§§ 4° et 5°) in quibuslibet conreis praedictis. — IV. Non obstans imputabilitate tenetur proportionata obligationi officii neglecti (§ 6). — V. Conrei accessorii delicto subsequentes, aut poena peculiari plectuntur lege, secus, aut imputabilitatem contrahunt ex praevio condicto, aut nullam, hoc deficiente (§ 7).

23. **Delictorum iuridicae sequelae.** — Hanc duplicem decernit *can. 2210* et quidem iudicialem. § *1. Ex delicto* ad normam can. 2195 § 1 patrato *oritur*, et quidem propter illius imputabilitatem in correos quoque:

1° Actio, scilicet: ius a lege concessum invocandi iudicis of-

ficium et potestatem, *poenalis* ob eiusdem obiectum relative ad legem poenalem delicto violatam, et quod tripliciter explicatur: *ad poenam* legi adnexam ipso facto incurrendam a) *declarandam* iudicialiter, vel saltem indeterminatam ferendaeque sententiae b) a iudice *infligendam*, ita ut deliquens eamdem subire cogatur, *et* c) *ad satisfactionem*, quatenus a privati damni reparatione discernitur, v. gr. in reparationem scandali, retractationem haeresis, *petendam*. Inter haec tria notanda est differentia, quod « actio in ordine ad poenam infligendam vel declarandam (can. 1552, § 2, 2°) uni promotori iustitiae, ceteris omnibus exclusis, reservatur » (can. 1934), dum « ad satisfactionem petendam » actio nullibi reservatur;

2° *Actio* idest: « ius persequendi in iudicio quod nobis debetur vel nostrum est », [1] proindeque vocatur *civilis* cum hoc taxato fine *ad reparanda* per delinquentem vel etiam conreos, prouti debetur ex naturali iustitia, *damna* per delictum inducta vel ex eodem profluentia, sub conditione igitur: *si cui*, personae physicae vel morali *delictum* vere consummatum *damnum* cum delinquentis alteriusve lucro, sive absque ullo cuiuscumque emolumento, tum propter emergentes inde expensas vel cessationem laboris, tum accidentaliter causa delicti passi, *intulerit*.

Ad horum damnorum declarationem libenter afferemus sequentes Decretales, quae rem mire illustrant. Sit de damno lucrativo cap. 6 « De homicidio voluntario vel casuali » (V, 11) X. dicente Alex. III: « Eos insuper, qui dicuntur illius sancti viri (Thomae Cantuariensis), et suorum post mortem eius spolia occupasse: si nihil aliud in tanto facinore commiserunt, a poena mortis eius arbitramur esse immunes, sed quae occuparunt, eis, quorum fuerunt, tenentur in integrum restituere, si habent in facultatibus, unde possint ea reddere: et ipsis ex hoc moderata est poenitentia iniungenda: quia licet quaedam ex his, quae occupaverunt, fateantur se pauperibus erogasse, non tamen aliena (cum ipsa potuissent eis, quorum fuerint, restituere) debuerunt pauperibus erogare ».

De solo damno illato sufficiant cap. 6 « de iniuriis et damno dato » (V, 36) X: « Si quis domum vel aream cuiusquam incenderet voluntarie: sublata et incensa omnia restituat, et tres annos

[1] P. Noval. Comm. Cod. I. C. Lib. IV De processibus, n. 293 Q. IV, 3.

poeniteat » et cap. 5 ex quo « Si egressus ignis comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris; reddet damnum, qui ignem succenderit ».

Imo praedictae obligationes transeunt ad haeredes, uti decernit Alex. III in cap. 5 « de raptoribus, incendiariis... etc. » (V, 17) X: « Quapropter si ita res se habent: Mandamus, ut corpus eiusdem appellatione cessante facias in coemeterio sepeliri: et haeredes eius moneas et compellas, ut his, quibus ille per incendium, vel alio modo damna contra iustitiam irrogaverat, iuxta facultates suas condigne satisfaciant, ut sic a peccato valeat liberari ». Et in cap. 9 « de usuris » (V, 21) X pariter dicitur: « quod filii ad restituendas usuras, ea sunt districtione cogendi, qua parentes sui, si viverent, cogerentur. Idipsum etiam contra haeredes exercendum ».

Denique duo alia capita explanationem complebunt, desumpta ex tit. « de iniuriis et damno dato » 36, Lib. V. In cap. 1 ex Exodo legitur: « Si rixati fuerint homines, et percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno, et ille mortuus non fuerit, si iacuerit in lecto: qui percusserit operas eius, et impensas in medicos restituat ». Et Honorius III rescribit: « Quare nos eius processu penitus revocato, commune Florentin. quia banniverat Episcopum Fesulanum contra Deum, et ecclesiasticam libertatem, propter iniuriam banni, expensas et damna tali occasione secuta, taxatione iuramento praemissa, in mille libris usualis monetae, praedicto Episcopo sententialiter duximus condemnandum ».

Interpretationem praec. §[1] confirmat § *2* dicens: *Utraque actio* nempe triplex « poenalis » ex n° 1° et « civilis » ex n° 2° *explicatur* idest: ad effectum deducitur *ad normam can. 1552-1959*, scilicet: servatis quoad hanc actionem ss. canonibus, qui agunt « de processibus » in Lib. IV usque ad tit. XVIII inclusive, et quoad illam ceteris « de iudicio criminali » in tit. XIX eiusdem libri, quorum postremus can. 1959 ait: « in reliquis serventur regulae in Sectione Prima huius Libri traditae ». Prosequitur sic paragraphus: *et idem iudex* competens *in criminali iudicio*, nempe: « cuius obiectum sunt delicta in ordine ad poenam infligendam vel declarandam » (can. 1552, § 2, 2°), et in quo tractanda est quoque propter connexionem « satisfactio petenda », *potest* vi huius canonis sed solum *ad instantiam partis laesae,* et quae habet illam

civilem actionem, ad examen ipsam *revocare et definire,* quae veniunt « nomine iudicii ecclesiastici » (can. 1552, § 1).

24. **De obligatione damna resarciendi** iustam animadversionem edicit quoque *can. 2211* congruens praescripto de conreorum culpabilitate. Videlicet: *Omnes,* nullo excepto, *qui in delictum* patratum ad normam can. 2195 § 1, *concurrunt,* vel « communi delinquendi consilio », vel ut partes in delicto natura sua complicem postulante, vel demum sicut conrei principales, hoc est *ad normam can. 2209, § 1-3,* proindeque salvis limitationibus: « nisi adiuncta alicuius culpabilitatem minuant » (§ 1), ac « nisi ex adiunctis aliud appareat » (§ 2), *obligatione* naturali per hunc canonem confirmata *tenentur in solidum,* nempe: quae gravat totaliter unumquemque, quousque ceteri pro parte sua satisfaciant, *expensas et damna,* quaelibet in can. praec. declarata, *resarciendi,* compensando ad aequalitatem iustitiae; illa vero solum *quae ex delicto* a pluribus, ut supra, patrato *quibuslibet personis,* directe proinde vel indirecte *obvenerint.* Atque praescriptum hoc valet, *licet a iudice pro rata* damnorum et expensarum singuli delinquentes fuerint *damnati* secundum ss. canones.

TITULUS III.

De conatu delicti.

Can. 2212. - § 1. Quicunque actus posuerit vel praetermiserit qui ad exsecutionem delicti natura sua conducunt, sed delictum non consummaverit, sive quia consilium suum deseruit, sive quia delictum propter insufficientiam vel ineptitudinem mediorum perficere non potuit, *delicti conatum* committit.

§ 2. Cum omnes actus positi vel omissi sunt qui ad exsecutionem delicti natura sua conducunt et ad delictum perficiendum sufficiunt, si ex alia causa, praeter voluntatem agentis, effectum sortiti non sint, delicti conatus dicitur proprio nomine delictum *frustratum.*

§ 3. Conatui delicti accedit actio illius qui alium ad delictum committendum inducere studuerit, sed inefficaciter.

§ 4. Si conatus delicti peculiari poena in lege mulctetur, verum constituit delictum.

Can. 2213. - § 1. Delicti conatus suam habet imputabilitatem, eo maiorem, quo magis ad consummationem accedit, quanquam minorem prae delicto consummato, salvo praescripto § 3.

§ 2. Delictum frustratum magis culpabile est, quam simplex delicti conatus.

§ 3. Ab omni imputabilitate liberatur qui sponte ab incepta delicti exsecutione destiterit, si nullum ex conatu damnum aut scandalum ortum sit.

25. **Inscriptio Tituli.** — Pluries invenimus in titulo praec. memorari delicti consummationem, ex cuius declaratione subinfertur facile plura fieri posse quandoque aut omitti, quae viam delicto

perpetrando sternunt vel praecurrunt. Haec considerat hic ultimus Partis huius *Titulus III. De conatu delicti.* Quid sit ille, noscemus ex can. 2212 explicante incidenter quaedam alia conatui similia, ac postea can. 2213 praedictorum imputabilitatem determinabit.

26. **De conatu delicti ac de frustrato delicto** liquidas notiones tradit complete *can. 2212.* Pro diversitate legis poenalis, cuius violatio actum expostulet vel e contra huius omissionem, sic exorditur § *1. Quicunque* fidelis, ad quos loquitur Codex, primo *actus* plures vel unum *posuerit* propter canonem prohibentem, *vel praetermiserit* respectu ad canonem praecipientem, *qui* « actus » sicut supra *ad executionem delicti* (can. 2195, § 1) diversimode completam ad canonis uniscuiusque tenorem, *natura sua* seu ipsorum actuum quasi mediorum et viae *conducunt*, *sed* insuper *delictum* sic consideratum *non consummaverit,* seu « non exsequutus fuerit » iuxta datam declarationem, et hoc a) *sive quia consilium suum* idest: voluntatem deliberatam delinquendi *deseruit* saltem, aut contrarium actum interne protulit, b) *sive quia,* prava voluntate servata, *delictum* illud *propter insufficientiam* fortassis ultra praevisionem vel expectationem, *vel ineptitudinem mediorum* adhibitorum ad delicti perpetrationem, sive instrumenta fuerint sive conrei, *perficere* delictum verum *non potuit,* in triplici hypothesi *delicti conatum* secundum significationem propriam in usu et iuridicam *committit.* — Exemplum sit quod exprimitur ab Innoc. IV his verbis [1]: « Sacri approbatione concilii statuimus, ut quicumque princeps, praelatus, seu quaevis alia ecclesiastica secularisve persona, quempiam christianorum per praedictos assassinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit (quamquam mors ex hoc forsitan non sequatur) »....

Verumtamen in paragrapho praec. delictum non sequitur ob defectum consideratum causae ipsius vel delinquentis. Aliter accidere supponit § *2. Cum omnes actus positi vel omissi sunt,* prouti declarata est huiusmodi clausula in praec.[s] §[1] initio, a) *qui ad exsecutionem delicti* cuiuslibet seu consummationem ibidem declaratam *natura sua conducunt* b) *et ad delictum* iuxta canonis tenorem, *perficiendum sufficiunt*, nihil ergo deest quod a delinquente requiritur, ut talis evadat: attamen c) *si ex alia causa,* v. gr. naturali

[1] Cap. 1 « de homicidio » (V, 4) in 6°.

pluvia ignem extinguente, ictus evasione ab homine impetito, propinato remedio contra procuratum abortum, dummodo d) *praeter voluntatem agentis* delictum, *effectum* idest: consummationem de facto illi « actus » *sortiti non sint*, tunc adest verus *delicti conatus* ad normam §[i] praec.[s], sed hic *dicitur proprio* idest: peculiari *nomine* usuali ac iuridico *delictum* quia ex parte quidem imputabilitatis nihil deest, sed *frustratum*, tanquam effectu. seu consummata perfectave legis violatione de facto carens. Tale delictum considerat cap. 1 « de divortiis » (IV, 18) per haec verba: « si qua mulier mortem mariti sui cum aliis consiliata est, et ipse aliquem illorum se defendendo occiderit: potest ipse post mortem uxoris... etc. ».

§ *3*, considerans solum voluntatem delinquendi exterius manifestatam, decernit: *Conatui delicti* proprio *accedit* illius naturam participans, quin iure obtineat, *actio illius* fidelis sequens, *qui alium ad delictum* ad normam can. 2195 *committendum inducere* mandato, consilio, hortatione, minis, etc. *studuerit,* quod verbum deliberatam voluntatem implicat, *sed inefficaciter* quoad inductum, aut saltem quoad delicti perpetrationem.

§ *4* opportune admonet ad iuris interpretationem: *Si conatus* cuiuslibet *delicti* ad normam § 1, ac consequenter idem « delictum proprie frustratum » (§ 2), *peculiari* diversa ab altera in delictum praedictum lata *poena in lege*, ut plurimum eadem aut distincta, *mulctetur* expresse, tunc propter hanc poenalem legem *verum*, uti habens omnia elementa, *constituit delictum* seu ad normam can. 2195. Ita accidebat de conatu homicidii ob caput cit. ex Decretalium 6°, nam ibi additur: « excommunicationis et depositionis... incurrat sententias ipso facto ».

27. **De praedictorum actuum imputabilitate** dat per ordinem normas *can. 2213. § 1. Delicti conatus* proprie atque illi accedens actio (§§ 1, 3) *suam habet imputabilitatem* propter dolum vel culpabilem legis ignorantiam, seu, sicut ait Innoc. III in capp. 4, 7, X « de bigamis non ordinandis » (I, 21) « propter affectum intentionis cum opere subsequuto », et *eo maiorem* ratione violationis legis, *quo magis ad consummationem accedit,* ut patet; sed eo quod ex natura illius hanc non attingit, subditur: *quanquam minorem prae delicto consummato* ad legis tenorem. — Denique

adiungitur in fine: *salvo praescripto § 3* infra explicando, ubi verus « delicti conatus ab omni imputabilitate liberatur ».

§ *2. Delictum frustratum* iuxta declarationem praec. §[1] 2[1], cum habeat omnia requisita et plene ex parte deliquentis, ita ut ad efficientiam delicti nihil desit, *magis culpabile est*, ut patet, *quam simplex delicti conatus*, qui prout a frustrato delicto discernitur, aliquem defectum in delinquente qua tali supponit.

§ *3. Ab omni imputabilitate*, quae in ratione delicti subauditur, quidquid sit de peccato, *liberatur* in iure ac Ecclesiae foro, *qui sponte*, ut in prima hypotesi § 1 can.[s] praec., *ab incepta* (proinde ante consummationem) *delicti exsecutione* (per verum delicti conatum) *destiterit*, posita conditione: *si nullum ex conatu* declarato *damnum* in aliis vel Ecclesia *aut scandalum ortum sit;* haec sunt enim quae leges poenales in earum violatione persequuntur.

PARS SECUNDA.

De Poenis

SECTIO I.

De poenis in genere.

Can. 2214. - § 1. Nativum et proprium Ecclesiae ius est, independens a qualibet humana auctoritate, coercendi deliquentes sibi subditos poenis tum spiritualibus tum etiam temporalibus.

§ 2. Prae oculis autem habeatur monitum Conc. Trid., sess. XIII, *de ref.*, cap. 1: « Meminerint Episcopi aliique Ordinarii se pastores non percussores esse, atque ita praeesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tanquam filios et fratres diligant elaborentque ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur; quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda praeceptio ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia, cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas; sin autem ob delicti gravitatem virga opus erit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina, populis salutaris ac necessaria, conservetur et qui correcti fuerint, emendentur aut, si resipiscere noluerint, ceteri, salubri in eos animadversionis exemplo, a vitiis deterreantur ».

28. **Partis ac Sectionis inscriptiones.** — Propositis regulis, ut delicta in iure canonico apprime cognoscantur, ad poenas Ecclesiae proprias plene dilucidandas accedit, secundum quod scopus Libri V exigebat. Quae *Pars secunda* inscripta *De poenis* est restringenda ad poenas ecclesiasticas, uti patebit ex can. 2215, nam poena in se est « privatio cuiuslibet boni ad hominem pertinentis », undecumque proveniat et corpus vel animam, aliaque homini convenientia afficiat. — Logicus ordo expostulat ac expeditiori tractationis viae congruit, primum tradere normas, quae ad poenas singulas aptantur et hinc descendere ad perpendendas singulas. Optime ergo pars in duas dispescitur Sectiones. *Sectio I. De poenis in genere* et *Sectio II. De poenis in specie*, quarum inscriptionum sensus accipiatur, sicut est declaratum.

29. **Ius seu potestas Ecclesiae coactiva,** uti fundamentum huius partis secundae, primo firmatur et natura illius peculiaris evolvitur. *Can. 2214. § 1. Nativum* utpote ab initio possessum, sicut ex Actis Apostolorum constat, *et proprium* ob ipsius naturam *Ecclesiae,* qua perfectae societatis rite fundatae a Iesu Christo, *ius* publicum est simile eidem iuri civilium societatum, atque *independens* ob eius divinam originem ac superioritatem Ecclesiae *a qualibet humana,* seu ex natura humana vel hominum ac nationum voluntate constituta *auctoritate*, ac sequitur obiectum illius, nempe: *coercendi,* seu ad continendum in officio afficiendi tum praevie minis, tum revera post factum, *delinquentes* in iure ecclesiastico, et ad normam can. 2198 declaratam, *sibi subditos* « baptismate » (can. 87), quia iuri publico relativa est subiectio necessaria, *poenis* proprie dictis atque ob societatem ecclesiasticis, *tum spiritualibus,* quae ad Ecclesiam exclusive pertinent propter bona, quibus privant, *tum etiam temporalibus,* quae in usu nempe sunt apud alias societates finem temporalem directe prosequentes.

Ad « Ius publicum ecclesiasticum » spectat propugnare huius §[i] veritatem quoad particulas eius omnes, sed Ecclesia iam confixit contrarios errores diversis temporibus. Videlicet: Ioannes XXII de prop. (5) « Quod tota Ecclesia simul iuncta nullum hominem punire potest punitione coactiva, nisi concedat hoc Imperator », cum aliis 4 prop[s]. ait: « Articulos praedictos... velut sacrae Scripturae contrarios et fidei catholicae inimicos, haereticos seu haereticales et erroneos... declaramus » [1]. Et consequenter damnata est a Martino V prop. J. Wicleff 12: « Praelatus excommunicans clericum, qui appellavit ad regem vel ad concilium regni, eo ipso traditor est regis et regni » [2]. Item inter proponendas Wicleffitis et Husitis interrogationes inveniuntur 31, 32, 33: « utrum credat, quod Papa, vel alius praelatus, propriis nominibus Papae pro tempore expressis, vel ipsorum vicarii in spiritualibus habeant potestatem suum subditum ecclesiasticum sive saecularem propter inobedientiam sive contumaciam (I) excommunicare, ita quod talis pro excommunicato sit habendus, (II) et illa crescente, aggravandi et reaggravandi, interdictum ponendi et brachium saeculare invocandi; et quod illis censuris per inferiores sit obediendum, (III) atque ab officio, be-

[1] C. « Licet iuxta doctrinam » 23 Oct. 1327. Denzinger. num. 499. — [2] Bulla « Inter cunctas » 22 Febr. 1418. Denzinger. n. 592, 681-683.

neficio, ingressu ecclesiae et administratione ecclesiasticorum sacramentorum suspendendi ». Quoad poenas vero temporales extat prop. in errorum Syllabo Pii IX 24: « Ecclesia vis inferendae potestatem non habet... » [1].

Generaliori formula praedicti errores inveniuntur damnati sub prop. 4 et 5 Synodi Pistoriensis in Bulla « Auctorem fidei » Pii VI [2]: « Propositio affirmans, abusum fore auctoritatis Ecclesiae transferendo illam ultra limites doctrinae ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id, quod pendet a persuasione et corde; tum etiam, multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subiectionem suis decretis;...

Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subiectionis suis decretis exigendae aliter quam per media, quae pendent a persuasione; quatenus intendat, Ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem, non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam iubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore iudicio ac salubribus poenis coercendi atque cogendi — inducens in systema alias damnatum ut haereticum ».

Usum vero huiusmodi potestatis consentaneum Christi Ecclesiae nobis optime describit § 2 sequenti exhortatione. *Prae oculis autem* uti speculum *habeatur monitum Conc. Trid.* unice hoc in loco citati, ac merito, cum multa decreta in Codicem fuerint translata, tum propter mirabilem complexum, *sess. XIII, de ref., cap. 1* his verbis redacti: *Meminerint Episcopi,* « quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo » [3], *aliique Ordinarii.* tum locorum, tum subditos religiosos habentes ad normam can. 198, qui simile ac Episcopi officium obtinent, a) *se pastores,* quia Eum repraesentant, qui de se dixit: « Ego sum Pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis » [4], proinde *non percussores esse* per se, *atque* b) *ita praeesse* pro eorum officio *sibi subditis oportere,* uti iustum est, *ut,* quemadmodum D. Petrus « seniores obsecrat, consenior et testis Christi passionum, pascite qui in vobis est gregem Dei... non ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo » [5], *non in eis* « subditis » *dominentur,* seu tractent veluti servos, *sed illos tanquam filios,* quando relativa aetas id requirit, *et fratres diligant,* sequentes Salvatoris exhortationem ad

[1] Denzinger, num. 1724. — [2] 28 Aug. 1794. Denzinger. num. 1504, 1505. — [3] Act. Apostolorum, XX, 28. — [4] Jo. X, 11. — [5] I Petri, V, 1-3.

turbas et discipulos suos: « omnes vos fratres estis, unus est enim Pater vester, qui in coelis est » [1], c) *elaborentque* ad consequendum *ut hortando et monendo ab illicitis* ob legem divinam vel ecclesiasticam *deterreant*, variis rationibus et exemplis quae ad hoc deserviunt, sic praeveniendo *ne ubi deliquerint* proprie ad normam Primae partis huius libri, *debitis* iure *eos poenis* in Libri residuo declarandis *coercere cogantur* ratione proprii muneris iuxta ss. canones gerendi. — His non obstantibus industriis, cum res pro voto non cesserit, prosequitur praelaudatum Concilium: *quos tamen* « subditos » *si quid per humanam fragilitatem* proinde in minoribus *peccare* transgrediendo leges *contigerit*, a) *illa Apostoli est ab eis servanda praeceptio* [2] obligans *ut illos* iuxta circumstantias *arguant, obsecrent, increpent,* semper vero *in omni bonitate*, quae in verbis ac modo reluceat, *et patientia* erga eorum infirmitatem, *cum saepe plus*, teste experientia, *erga corrigendos* ob peccata *agat* seu obtineat *benevolentia* verbis patefacta, *quam austeritas* eorum, *plus exhortatio* ad bonum faciendum per motiva ad hoc inducentia *quam comminatio* mali eis merito infligendi, *plus caritas* Christi vera *quam potestas* exercita. — Nonnumquam haec erit utenda, in cuius usu deserviunt animadversiones sequentes: *sin autem ob delicti* proprie sumpti *gravitatem virga* idest: coercitione iuxta ss. canones *opus erit*, *tunc cum mansuetudine* in verbis ac motibus *rigor* illi congruens, *cum misericordia*, quae compatitur, *iudicium* mentis moderatus sit, *cum lenitate* asperitatem respuente *severitas* per leges determinata *adhibenda est, ut sine asperitate*, quae animos exacuit, *disciplina* (seu legibus mores regulati) *populis salutaris* idest: ad vitam morigeratam inducens *ac* proinde *necessaria*, *conservetur* adiuvante punitionis metu, *et qui correcti fuerint* virgae opere, *emendentur* a delictis suis *aut, si resipiscere noluerint* etiam per poenas non omittendas, *ceteri* a delictis immunes, *salubri* per se *in eos* deliquentes *animadversionis* a Superiore inflictae *exemplo a vitiis deterreantur* admittendis.

30. **Divisio Sectionis in titulos** quatuor secundum logicae regulas, ad praxim etiam utilis, sequens est: poenas in seipsis considerat *Titulus IV*, nempe: *De poenarum notione, speciebus, interpretatione atque applicatione*, postea causam earum activam

[1] Matth. XXIII, 8, 9. — [2] II ad Thimoth. IV, 2.

Titulus V explicat inscriptus *De Superiore potestatem coactivam habente*, quem excipit *Titulus VI. De subiecto coactivae potestati obnoxio*, atque ultimus *Titulus VII* memorat conditionem naturae humanae deliquentis, ob quam sic est punienda, ut affulgeat spes *De poenarum remissione.*

TITULUS IV.

De poenarum notione, speciebus, interpretatione atque applicatione.

Can. 2215. - Poena ecclesiastica est privatio alicuius boni ad delinquentis correctionem et delicti punitionem a legitima auctoritate inflicta.

Can. 2216. - In Ecclesia deliquentes plectuntur:

1.° Poenis medicinalibus seu censuris;

2.° Poenis vindicativis;

3.° Remediis poenalibus et poenitentiis.

Can. 2217. - § 1. Poena dicitur:

1.° *Determinata,* si in ipsa lege vel praecepto taxative statuta sit; *indeterminata,* si prudenti arbitrio iudicis vel Superioris relicta sit sive praeceptivis sive facultativis verbis;

2.° *Latae sententiae,* si poena determinata ita sit addita legi vel praecepto ut incurratur ipso facto commissi delicti; *ferendae sententiae,* si a iudice vel Superiore infligi debeat;

3.° *A iure,* si poena determinata in ipsa lege statuatur, sive latae sententiae sit sive ferendae; *ab homine,* si feratur per modum praecepti peculiaris vel per sententiam iudicialem condemnatoriam, etsi in iure statuta; quare poena ferendae sententiae, legi addita, ante sententiam condemnatoriam est *a iure tantum,* postea *a iure* simul et *ab homine,* sed consideratur tanquam *ab homine.*

§ 2. Poena intelligitur semper ferendae sententiae, nisi expresse dicatur eam esse *latae sententiae* vel *ipso facto* seu *ipso iure* contrahi, vel nisi alia similia verba adhibeantur.

Can. 2218. - § 1. In poenis decernendis servetur aequa proportio cum delicto, habita ratione imputabilitatis, scandali et damni; quare attendi debent non modo obiectum et gravitas legis, sed etiam aetas, scientia, institutio, sexus, conditio, status mentis deliquentis, dignitas personae quae delicto offenditur, aut quae delictum committit, finis intentus, locus et tempus quo delictum commissum est, num ex passionis impetu vel ob gravem metum delinquens egerit, num eum delicti poenituerit eiusdemque malos effectus evitare ipse studuerit, aliaque similia.

§ 2. Non solum quae ab omni imputabilitate excusant, sed etiam quae a gravi, excusant pariter a qualibet poena tum latae tum ferendae sententiae etiam in foro externo, si pro foro externo excusatio evincatur.

§ 3. Mutua iniuria compensatur, nisi una pars propter maiorem iniuriae ab eadem illatae gravitatem damnari debeat, deminuta, si casus ferat, poena.

Can. 2219. - § 1. In poenis benignior est interpretatio facienda.

§ 2. At si dubitetur utrum poena, a Superiore competente inflicta, sit iusta, necne, poena servanda est in utroque foro, excepto casu appellationis in suspensivo.

§ 3. Non licet poenam de persona ad personam vel de casu ad casum producere, quamvis par adsit ratio, imo gravior, salvo tamen praescripto can. 2231.

31. Tituli inscriptio ac ordo canonum. — *Titulus IV* continet canones quibus edocemur *De poenarum,* quae in usu Ec-

clesiae sunt, *notione* sub can. 2215, *speciebus*, tum ex natura ipsarum petitis in can. 2216, tum ex his quae accidentalia potius sunt eis vel extrinseca sub can. 2217, *interpretatione atque applicatione*, quamvis duo postremi canones 2218, 2219 has ordine mutato pertractent.

32. **Notio** praedicta optime datur per quatuor illius causas. *Can. 2215. Poena ecclesiastica*, tum propter publicam auctoritatem, tum propter subiectum eius proprium, tum etiam ut plurimum propter illius naturam peculiarem, *est*, non solum carentia cuiuslibet boni, quod homo habere posset, sed proprie *privatio* debiti qualitercumque subiecto *alicuius boni*, quod cum esse possit multiplex, tam spirituale quam temporale, in se ipsis ea numero constringi non possent, nisi quatenus per privationes determinatas illa materialiter considerata in quasdam classes collocari possunt, quae poenarum distinctiones formales producunt. Finis vero earum duplex enuntiatur, primus *ad delinquentis correctionem* per delicti praeviam exclusionem canonica comminatione poenae, atque per illius resipiscentiam inflictione poenae obtinendam, *et* secundus finis est ad *delicti punitionem*, ut sic poena reparentur scandalum, si quod extitit, atque socialis ordo ad Ecclesiae finem secure obtinendum; ac uterque scopus exigit, ut « poena ecclesiastica » *a legitima* iuxta ss. canones pro diversitate poenarum ac subditorum *auctoritate* sit illa *inflicta* singulis.

33. **Suprema divisio poenarum** ex motivo praecipuo singularum datur statim a Codice. Considerare oportet omnes ecclesiasticas poenas, uti lege comminatas, ordinari ad praecavenda delicta, ut innuimus in praec. canone, sed inter illas inflictas secundum earum naturam, per aliquas Ecclesia praecipue intendit « delinquentis correctionem », per alias « delicti punitionem », per ceteras vero praevie excludere delicta perpetranda vel eorum punitionem non absolute necessariam, etiamsi quaelibet inflicta poena secumferre possit correctionem delinquentis subeuntis eam, dum inseparabilis a poena iudicatur afflictio propter delictum praeteritum vel futurum, ac huius sit praeservativum secundum naturam humanam, quae refugit mala superventura. Propter illum principalem scopum sic poenas distinguit *can. 2216. In Ecclesia delinquentes*, sic dicti propter delictum praeteritum ad normam totius can. 2195, vel relative ad illud imminens, *plectuntur:*

1.º *Poenis medicinalibus*, quia resipiscentiam delinquentis principaliter, ut medicinae sanitatem corporis, curant, *seu censuris* iuxta usitatam et determinatam iure appellationem;

2.º *Poenis vindicativis*, eo quod etsi delinquens emendatus fuerit, eas sustinere debet in expiationem perturbati ordinis;

3.º *Remediis*, quia personae in delictum properanti adiumentum afferunt per aliquam privationem, quapropter est additum *poenalibus et poenitentiis*, quae delinquenti a poena in futurum sublevando subveniunt.

Haec verborum significatio iuri praecedenti congruit. Nam in cap. 1 « de sententia excommunicationis... etc. » (V, 11) in 6º scriptum est: « Cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat: caute provideat iudex ecclesiasticus, ut in ea ferenda ostendat se prosequi quod corrigentis fuerit et medentis. Quisquis igitur excommunicat », et sequitur quid servare in hoc debeat, ac infra dicitur: « quisquis autem iudicum huiusmodi constitutionis temerarius extiterit violator » punitur ipso facto. « Superior vero ad quem recurritur....... puniat (eum) animadversione condigna, ut poena docente discant iudices, quam grave sit excommunicationum sententias sine maturitate debita fulminare. Et haec eadem in suspensionis et interdicti sententiis volumus observari », quae tres « sunt censurae » iuxta can. 2255, § 1. — S. Congr. EE. et RR. sic instruxit Ordinarios [1]: « Ex canonicis remediis alia praeveniunt, alia reprimunt et medelam afferunt. Priora ad hoc diriguntur ut impediant quominus malum adveniat, ut scandali stimuli, occasiones voluntariae, causaeque ad delinquendum proximae removeantur ». En remedia poenalia, sicut haec declarantur in can. 2307. « Alia finem habent revocandi delinquentes ut sapiant (videlicet censurae), reparentque admissi criminis consequentias », quod est poenarum vindicativarum proprium. De illis autem proponuntur exempla in n. « IV. Mediis, quae praeservant, praecipue accensentur spiritualia exercitia », quae inter praecipuas poenitentias enumerat can. 2313, § 1, 5º, « monitiones et praecepta », quae « sunt remedia poenalia » (can. 2306).

[1] 11 Iun. 1880. Acta S. Sedis XIII, 325.

34. **Diversae poenarum denominationes** respectu ad legem sunt in usu, quas confirmat *can. 2217. § 1. Poena* « ecclesiastica *dicitur* etiam in iure:

1.° Determinata ab eo, *si in ipsa lege vel praecepto*, tum communi tum singulis dato, « cui adnexa » (can. 2195) invenitur, *taxative* idest: haec vel illa singularis *statuta sit* per illius legis vel praecepti latorem; *indeterminata, si prudenti arbitrio iudicis vel Superioris*, ut una vel alia ex diversis poenis ecclesiasticis infligatur, *relicta sit* « in ipsa lege » *sive praeceptivis* quoad obligationem infligendi aliquam, *sive facultativis verbis*, quae exprimant « iudicis vel Superioris » illam obligationem aut istam libertatem in hac parte;

Quae sub n.° *2.°* sequuntur appellationes sunt valde antiquae et frequentioris usus in scripto iure; nempe: *Latae sententiae*, eo quod ad subeundam poenam nihil aliud opus sit ex parte auctoritatis ecclesiasticae, videlicet: *si poena* a) *determinata* b) *ita sit addita legi vel praecepto* (can. 2195), sicut supra, c) *ut* verbis horum constet quod *incurratur* subeunda *ipso* tantum *facto commissi* perfecte *delicti* ad normam totius can. 2195 propter quod compescendum lex vel praeceptum illud fuit datum; *ferendae sententiae si* supple poena, eo quod indeterminata, vel etsi determinata sit talibus verbis expressa in lege vel praecepto cui est addita, ut post commissum delictum *a iudice* proprie seu in iudicio *vel Superiore* extra iudicium *infligi debeat*, quia interim delinquens ad eam non tenetur;

3.° A iure imposita, *si poena* solummodo a) *determinata in ipsa* tantum b) *lege statuatur*, ac tunc *sive latae sententiae sit sive ferendae* nihil interest; *ab homine* imponitur, *si feratur per modum praecepti peculiaris* uni vel pluribus dati, cui adnexa sit per comminationem aut inflictionem, *vel* si in ipsa lege statuatur dum est determinata ferendae sententiae, aut indeterminata, sed « feratur » *per sententiam iudicialem* solum ac praecise *condemnatoriam*, propter quod dicitur: *etsi in iure statuta;* sed iuxta interpretationem exurgeret dubium, quod dissolvit canon his verbis: *quare poena ferendae sententiae*, sive determinata sive indeterminata, *legi addita*, et propter hoc illa sit « a iure », *ante sententiam condemnatoriam est* dicenda *a iure tantum* comminata, *postea a iure simul et ab homine* inflicta, idest: per hunc illo praesup-

posito, *sed* proprie *consideratur* in Codice *tanquam ab homine* proveniens.

Distinctio sub n° 2° posita fulcitur ex damnatione per Pium VI in Bulla « Auctorem fidei »[1] Prop. 47. « Propositio quae tradit, necessarium esse iuxta leges naturales et divinas, ut sive ad excommunicationem sive ad suspensionem praecedere debeat examen personale; atque adeo sententias dictas *ipso facto* non aliam vim habere, nisi seriae comminationis sine ullo actuali effectu: — falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae potestati iniuriosa, erronea ».

Verumtamen benignae praxi Ecclesiae decet illud examen praemittere, aut comminando praepedire delicta. Hinc subditur § 2. *Poena* quaelibet ecclesiastica, sive a iure sive ab homine, *intelligitur semper* iuxta mentem ferentis illam et quam Codex pandit, esse *ferendae sententiae,* seu « a iudice vel Superiore » adhuc infligenda post transgressionem legis aut praecepti, nisi in hoc vel illa *expresse dicatur eam* poenam *esse* taxative his verbis a) *latae sententiae vel*, quod in idem recidit, b) *ipso* transgressionis *facto seu* c) *ipso iure*, idest: nulla interveniente posteriori inflictione, *contrahi;* attamen sufficit idem aliter exprimi, eo quod subinfertur: *vel* d) *nisi alia similia* quoad sensum *verba adhibeantur* per quae idipsum liqueat.

35. **De poenis decernendis** ita scribebat Alex. III Oxonien. Episcopo:[2] « Sane cum vir discretus existas; plenius nosti, quod in excessibus singulorum, non solum quantitas et qualitas delicti, sed aetas, scientia et sexus, atque conditio delinquentis sunt attendenda; et non solum secundum locum et tempus quo delictum committitur, unicuique poenitentia debet indici: cum idem excessus, magis sit in uno quam in alio puniendus ». Eamdem regulam, sed accuratius tradit *can. 2218.* § *1. In poenis* sive medicinalibus, sive vindicativis, sive poenitentiis quoque ad singulos transgressores mulctandos *decernendis* per sententiam aut ad modum praecepti particularis, quamvis, ut norma directiva, possit canon deservire in ferendis particularibus legibus, *servetur* (praeceptive dictum) *aequa proportio* illius singularis poenae *cum delicto* ad normam totius can. 2195 futuro vel praeterito, *habita ratione* elementorum ipsius, nempe *imputabilitatis*, quam declaravit complete legislator sub Titulo II, *scan-*

[1] 28 Aug. 1794. — [2] Cap. 6 « de homicidio voluntario vel casuali » (V, 12) X.

dali et damni iuxta ea quae in commentando can. 2195 diximus, atque talis est generalis norma.

Sequitur explicatio postremi commatis. Propter dicta loquitur consequenter canon: *quare attendi debent non modo* a) *obiectum et gravitas legis*, ex quibus singulis « desumenda est qualitas et gravitas delicti » (can. 2196), *sed etiam* b) *aetas*, « quae minuit delicti imputabilitatem eo magis quo ad infantiam proprius accedit » (can. 2204), c) *scientia* quaelibet, ac praesertim legis praeceptique transgressi (can. 2202), d) *institutio,* quae magis vel minus naturalem boni notitiam et appetitum auget, e) *sexus*, propter muliebrem debilitatem communem, f) *conditio,* tum socialis, tum praesertim oeconomica necessitatem inducens, g) *status mentis* actu *delinquentis*, iuxta canonis 2201 declarationem, h) *dignitas personae* propter quam « delictum augetur » (can. 2207, 1°), et *quae delicto* singulari, adversum quod poena decernitur, *offenditur*, *aut quae* huiusmodi *delictum committit*, i) *finis intentus,* quae circumstantia potest augere vel minuere culpabilitatem, prout ille pravus vel bonus in se fuerit, k) *locus et tempus quo,* uti circumstantiis extrinsecis scandalum fortassis inducentibus, vel delicti actum magis deturpantibus, *commissum est, num* l) *ex passionis impetu* atque sub illius distinctione ad normam can. 2206, m) *vel ob gravem metum,* qui « imputabilitatem minuit vel penitus tollit » (can. 2205, §§ 2 et 3), *delinquens egerit*, n) *num eum delicti poenituerit,* cum unus ex poenarum finibus obtentus sic fuerit, o) *eiusdemque malos effectus* « scandali et damni » *evitare ipse studuerit,* curans et fortassis obtinens alios poenarum scopos, *aliaque similia,* quae nempe ad « rationem imputabilitatis, scandali et damni » pertineant.

Exempli causa Decretales quasdam transcribam, quae diversas circumstantias simul in responso considerant, dum plures aliae in Codicis adnotationibus consuli queant. Primo Alex. III sic interpretatur excommunicationem canonis urgendam vel non in casibus [1]. « Respondemus, quod si clerici infra puberes annos se ad invicem: aut unus alterum percusserint, non sunt ad Apostolicam sedem mittendi, quia eos aetas excusat. Nec clerici, si sunt plenae aetatis, et non odio, vel invidia, vel indignatione, sed levitate iocosa se ad invicem percutere contingat: neque magister, si scholarem clericum

[1] Cap. 1, Tit. XXXIX, Lib V, X.

intuitu disciplinae, vel correctionis percusserit, quia non potest in ipsis iniectio manuum violenta notari: Caeterum si ex odio iidem scholares, vel saeculares clerici sese percusserint, pro sua absolutione debent ad Apostolicam sedem venire ». Secundo adest « de poenitentiis et remissionibus » cap. 8 (V, 38) in quo Innoc. III decernit: « Caeterum cum poenitentia non tam secundum quantitatem excessus, quam poenitentis contritionem, per discreti sacerdotis arbitrium sit moderanda, pensata qualitate personae, super fornicatione, adulterio, homicidio, periurio, et aliis criminibus, consideratis circumstantiis omnibus, et praesertim novitate Livonien. Ecclesiae, competentem poenitentiam delinquentibus imponatis, prout saluti eorum videritis expedire ». Ac demum in cap. 3 « de furtis » (V, 18) scriptum est: « Si quis propter necessitatem famis, aut nuditatis, furatus fuerit cibaria, vestem, vel pecus, poeniteat hebdomadas tres: et si reddiderit, non cogatur ieiunare ».

§ *2* continet notabilem de iure poenali authenticam normam. *Non solum* circumstantiae praedictae, *quae* tales concurrant, ut *ab omni imputabilitate excusent*, quia, ut patet, tunc abest elementum essentiale delicti, et secundum reg. 23 iuris in 6°: « Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus », *sed etiam quae a gravi* supple « imputabilitate », quae, cum sit « moraliter » consideranda (can. 2195, § 1), forum internum directe respicit, *excusant pariter* illae circumstantiae, etsi non a delicto iuxta eius definitionem, nisi hanc restringamus ad gravem imputabilitatem, *a qualibet poena*, qua « in Ecclesia delinquentes plectuntur » (can. 2216), *tum latae tum ferendae sententiae,* quae excusatio semper viget pro foro interno, sed *etiam in foro externo* attenditur, *si pro foro externo* iudiciali vel extra-iudiciali apud quem tractetur delictum, *excusatio* « ab imputabilitate gravi » *evincatur* relativis ad forum probationibus.

Quod Alex. III in cap. 4 « de divortiis » (IV, 19) ait: « Consultationi tuae taliter respondemus, quod si notorium est, mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam praefatus vir cogi non debet: nisi constaret ipsum cum alia adulterium commisisse », sicut principium generale statuit § *3. Mutua iniuria*, qua talis sive successive illata, sive eodem tempore, *compensatur,* tum quoad satisfactionem reddendam, tum quoad poenam hac solum de causa illati damni inferendam, non vero ratione scandali removendi aliorumque damnorum

forsan sequutorum. Hinc ad illud non est locus §° 1° can. 1938, quo edicitur: « In causa iniuriarum aut diffamationis, ut actio criminalis instituatur, requiritur praevia denunciatio aut querela partis lesae », nisi haec iuvetur sequenti § 3 exceptione: *nisi una pars* earum sibi invicem iniuriantium *propter maiorem* moraliter certam *iniuriae ab eadem* parti alteri iam *illatae omnibus perpensis circumstantiis gravitatem damnari* per sententiam *debeat,* applicando legem poenalem, ac *deminuta* ob iniuriam receptam. *si casus ferat*, quod supponit non semper ita faciendum esse, *poena* nempe: « determinata » (can. 2217, § 1, 1°).

36 **De poenarum interpretatione,** tum lege statutarum, tum inflictarum reo, tum imponendarum in casibus, normas tradit *can. 2219* sub tribus relativis paragraphis. § *1* expressis verbis refert reg. 49 iuris in 6°, cuius commentarium apud Reiffenstuel aliisque probatis Sexti Decretalium Commentatoribus disci potest. *In poenis* lege statutis, seu praecepto sententiave expressis, *benignior,* eo quod « odia restringi convenit », ut ait reg. 15 iuris in 6°, *est interpretatio,* cuiuslibet dubii motivo *facienda* semper, tum circa personas, res aut loca sub canone poenali contenta, tum circa delicti conditiones, tum circa poenae acerbitatem, proprietate verborum ceteroquin servata. Exemplum nobis offert cap. 22 « de electione et electi potestate » (I, 6) in 6°. In eo Bonifacius VIII ait: « Statutum fel. rec. Gregorii PP. X praedecessoris nostri de his qui ad parochialium ecclesiarum regimen assumuntur promovendis ad sacerdotium infra annum, alioquin eisdem ecclesiis sint privati: Quod cum sit poenale, restringi potius convenit, quam laxari: Declaramus ad collegiatas ecclesias (nomen habentes proprium), etiam si alias parochiales extiterint, et assumptos ad earum regimen non extendi: sed antiqua iura servari debere potius in eisdem ».

Paragraphum primum esse quoque intelligendum de poenis per sententiam aut praeceptum expressis. Quae interpretatio confirmatur, eo quod adversative incipiat § *2* de illis statuens. *At si dubitetur* taxative, *utrum poena* quaelibet canonica, *a Superiore competente inflicta,* vel per sententiam, si erat ferendae sententiae, sive ad modum praecepti particularis, stante gravi quoque dubio *sit iusta, necne,* idest: iuxta legem poenalem, delicto proportionata, cum errore facti, *poena,* tamquam incursa, *servanda est in utroque foro* pro quo supponitur inflicta, agitur nempe de poenis canonicis,

excepto casu appellationis proprie dictae, proindeque a iudiciali sententia, quando *in suspensivo* effectu appellatio afficiat iuxta ss. Lib. IV canones sententiam.

Cum ss. canones sint interpretandi rationabiliter, ne absonum quid sequatur, unde profluit regula iuris: « Ubi eadem est ratio, eadem debet esse legis dispositio », atque « de similibus idem est iudicium », fallunt hae regulae in materia poenali, eo quod « Odia restringi convenit » iuxta reg. iuris 15 in 6°. Sic enim legislatoris voluntatem pandit § *3. Non licet* Superiori ac indici ecclesiastico, et consequenter abstineant commentatores, *poenam* quamlibet ecclesiasticam lege statutam a) *de persona* ibi certo expressa *ad personam* dubie aut certo non comprehensam, b) *vel de casu* per legem poenalem certe mulctato *ad casum* dubie aut certo exsclusum *producere* interpretatione extensiva, *quamvis par adsit ratio* in utraque persona vel casu, propter quam punitio exigeretur, *imo gravior* ratio illa deprehendatur in praetermissis per legem casu aut persona. Hinc nec in connexis, nec in aequiparatis, nec in correlativis, valet extensiva legis poenalis interpretatio. Animadvertatur vero finalis clausula: *salvo tamen* huic canoni contrario *praescripto can. 2231*, quod hypothesim considerat « si plures ad delictum perpetrandum concurrerint ». Atque valde figatur memoriae exceptio praedicta.

Rationes praescripti sub hoc §° desumere possumus quoad personas ex Decretalibus, tum Coelestini III aientis [1]: « cum peccata suos auctores tenere debeant, nec poena sit ulterius protrahenda, quam delictum fuerit in excedente repertum », tum Bonifacii VIII statuentis [2]: « Si compromissarius, in quem defuncto episcopo transfertur eligendi potestas, ...eligat, sed indignum: tunc sive scienter id fecerit (cum dolus ipsius eis, qui non sunt in culpa, non debeat imputari) sive etiam ignoranter... eligendi potestas... libere revertitur ad eosdem ». Quoad casus vero haec inveniuntur in Instr. S. Congr. de P. F. [3]: « poena excommunicationis *latae sententiae* contra aliquod designatum crimen in particulari. non extenditur ad aliud, quamvis eiusdem speciei, tum quia lex humana non obligat nec operatur ultra intentionem legislatoris verbis expressam, tum

[1] Cap. 2, tit. XI, Lib. III, X. — [2] Cap. 37. tit. « de electione et electi potestate », V, in 6°. — [3] 2 Iul. 1827 (C. P. pro Sin.) Collectanea S. C. de P. F., n. 796.

quia in odiosis, quemadmodum talis est gravissima excommunicationis poena, praesertim *latae sententiae,* stricta debet esse interpretatio ».

TITULUS V.

De Superiore potestatem coactivam habente.

CAN. 2220. - § 1. Qui pollent potestate leges ferendi vel praecepta imponendi, possunt quoque legi vel praecepto poenas adnectere; qui iudiciali tantum, possunt solummodo poenas, legitime statutas, ad normam iuris applicare.

§ 2. Vicarius Generalis sine mandato speciali non habet potestatem infligendi poenas.

CAN. 2221. - Legislativam habentes potestatem, possunt intra limites suae iurisdictionis, non solum legem a se vel a decessoribus latam, sed etiam, ob peculiaria rerum adiuncta, legem tam divinam, quam ecclesiasticam a superiore potestate latam, in territorio vigentem, congrua poena munire aut poenam lege statutam aggravare.

CAN. 2222. - § 1. Licet lex nullam sanctionem appositam habeat, legitimus tamen Superior potest illius transgressionem, etiam sine praevia poenae comminatione, aliqua iusta poena punire, si scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat; secus reus puniri nequit, nisi prius monitus fuerit cum comminatione poenae latae vel ferendae sententiae in casu transgressionis, et nihilominus legem violaverit.

§ 2. Pariter idem legitimus Superior, licet probabile tantum sit delictum fuisse commissum aut delicti certe commissi poenalis actio praescripta sit, non solum ius, sed etiam officium habet non promovendi clericum de cuius idoneitate non constat, et, ad scandalum evitandum, prohibendi clerico exercitium sacri ministerii aut etiam eundem ab officio, ad normam iuris, amovendi; quae omnia in casu non habent rationem poenae.

CAN. 2223. - § 1. In poenis applicandis iudex nequit poenam determinatam augere, nisi extraordinaria adiuncta aggravantia id exigant.

§ 2. Si lex in statuenda poena ferendae sententiae facultativis verbis utatur, committitur prudentiae et conscientiae iudicis eam infligere, vel, si poena fuerit determinata, temperare.

§ 3. Si vero lex utatur verbis praeceptivis, ordinarie poena infligenda est; sed conscientiae et prudentiae iudicis vel Superioris committitur:

1.º Poenae applicationem ad tempus magis opportunum differre, si ex praepropera rei punitione maiora mala eventura praevideantur;

2.º A poena infligenda abstinere, si reus perfecte fuerit emendatus, et scandalum reparaverit, aut sufficienter punitus sit vel puniendus praevideatur poenis auctoritate civili sancitis;

3.º Poenam determinatam temperare vel loco ipsius aliquod remedium poenale adhibere aut aliquam poenitentiam iniungere, si detur circumstantia imputabilitatem notabiliter minuens, vel habeatur quidem rei emendatio aut inflicta a civili auctoritate castigatio, sed iudex vel Superior opportunam praeterea ducat mitiorem aliquam punitionem.

§ 4. Poenam latae sententiae declarare generatim committitur prudentiae Superioris; sed sive ad instantiam partis cuius interest, sive bono communi ita exigente, sententia declaratoria dari debet.

CAN. 2224. - § 1. Ordinarie tot poenae quot delicta.

§ 2. Si tamen propter numerum delictorum nimius esset poenarum infligendarum cumulus, prudenti iudicis arbitrio relinquitur aut poenam omnium graviorem infligere, addita, si res ferat, aliqua poenitentia vel remedio poenali, aut poenas intra aequos terminos moderari, habita ratione numeri et gravitatis delictorum.

§ 3. Si poena constituta sit tum in

conatum delicti tum in delictum consummatum, hoc admisso, infligi tantum debet poena in consummatum delictum statuta.

Can. 2225. - Si poena declaretur vel infligatur per sententiam iudicialem, serventur canonum praescripta circa sententiae iudicialis pronuntiationem; si vero poena latae vel ferendae sententiae inflicta sit ad modum praecepti particularis, scripto aut coram duobus testibus ordinarie declaretur vel irrogetur, indicatis poenae causis, salvo praescripto can. 2193.

37. **Inscriptio Tituli.** — Deinde considerandus erit *Titulum* V, qui fert inscriptionem *De Superiore* respectu subditorum *potestatem* societatis perfectae propriam, sed quae legislativae ac iudiciali connumeratur, videlicet *coactivam* (ut illi qui libenter non adimplent obligationes subditi, per poenas, quae sunt illius obiectum, agant) *habente*, sive ad hoc ut eas decernat generaliter aut singulariter, sive ut eas infligat, opportunitate casus oblata, sive tantum quod incursas per subditos ipsas declaret, ut eis iam subiecti coram Ecclesia noti fiant.

38. **Principium de subiecto** illius potestatis enunciat *can. 2220. § 1. — Qui pollent* iuxta ss. canones *potestate* solum publica *leges ferendi,* sive territoriales sive personales, *vel praecepta* singulis vel pluribus *imponendi* ex causa iurisdictionis, *possunt quoque,* ad facultatem quod attinet, *legi* cuilibet *vel praecepto* a se dato *poenas* medicinales aut vindicativas *adnectere* in eodem legis vel praecepti contextu ad eorum firmitatem vel efficaciam: *qui* vero supple « potestate » *iudiciali tantum, possunt solummodo,* ob hanc scilicet potestatem et vi huius canonis *poenas* proprie dictas, *legitime statutas*, nempe legibus adnexas ecclesiasticis, secundum quas iudicant, et *ad normam iuris*, idest: servatis ss. canonibus Lib.[i] IV ad rem pertinentibus atque aliis huius Lib.[i] V, *applicare* per sententiam aut decretum equidem singulis. Nam legitur in can. 4, Caus. III, quaestione VII: « Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit, et domesticae proposito voluntatis, sed iuxta leges et iura pronunciat; statutis iuris obtemperat, non indulget propriae voluntati; obsequitur legibus, non adversatur; examinat causae merita, non mutat ».

Enimvero ex can. 368, § 1: « Vicario Generali, vi officii, ea competit... iurisdictio in spiritualibus ac temporalibus, quae ad Episcopum iure ordinario pertinet, exceptis iis... quae ex iure requirant speciale Episcopi mandatum ». Hinc fuit necessarius ob legislatoris voluntatem § 2. *Vicarius generalis,* quamvis pollens potestate praecepta imponendi, *sine mandato speciali* Episcopi constituentis

eum, *non habet* ob hanc §[i] praec.[s] limitationem *potestatem infligendi,* sive adnectendo *poenas* medicinalem aut vindicativam praecepto incurrendas ipso facto, sive legis transgressionem aliqua iusta poena puniendo vi seq.[s] can. 2222, § 1.

39. **Legislatoris ecclesiastici potestas coactiva** ampliatur in *can. 2221. Legislativam,* seu leges proprie dictas ferendi ad regimen in Ecclesia *habentes* obtentam qualitercumque *potestatem* sive ratione territorii sive ratione personarum. In canone dicitur quod hi *possunt* vi eiusdem *intra limites suae iurisdictionis,* qui territorio vel personis definiti sunt ac ratione obiecti, *non solum,* quia sequela can. praec.[s], *legem a se* prius institutam, *vel a decessoribus* in quorum ius successerunt *latam, sed etiam,* attamen *ob peculiaria rerum adiuncta,* secus innuerent deficientes esse leges in hac parte, quarum iudicium penes ipsos non est, *legem tam divinam,* idest divinitus promulgatam, *quam ecclesiasticam,* scilicet sive generalem sive peculiarem loci, *a superiore* respectu propriae *potestate latam* cum promulgatione, *in territorio vigentem,* secus si obsoleverit vel revocata fuerit, *congrua poena,* sub conditione ut « servetur aequa proportio cum delicto, habita ratione imputabilitatis, scandali et damni » (can. 2218, § 1), *munire,* quatenus lex sit absque sanctione, ac sic mutaretur transgressio in delictum, *aut poenam lege* eadem superiore *statutam aggravare,* v. gr. ut sit non ferendae sed latae sententiae, vel amplior decernatur suspensio.

40. **Superioris ecclesiastici coactiva potestas** extenditur in *can. 2222. § 1. Licet lex* propria vel per superiorem potestatem lata *nullam* poenae *sanctionem appositam* in eius vel alterius tenore *habeat,* unde ipsius transgressio non constitueret delictum ecclesiasticum, *legitimus tamen Superior,* idest: rite constitutus ac potestate coactiva praeditus, *potest* vi huius canonis declaratam *illius* legis *transgressionem* huius alteriusve subditi, quae proinde non fiet delictum, *etiam sine praevia poenae* infligendae *comminatione,* atque in hoc sita est ampliatio potestatis coactivae, quia lex poenalis hanc comminationem secumfert. *aliqua iusta* seu proportionata transgressioni *poena* vindicativa *punire,* quae facultas conceditur sub alterutra ex sequentibus conditionibus, *si* a) *scandalum* ex illa transgressione *forte* propter huius publicitatem *datum,* proindeque a transgrediente proveniens illud, *aut* b) *specialis* propter circumstantias *transgressionis gravitas* adaucta, conditio alterutra *id,* nempe:

illam punitionem iustam *ferat* iudicio Superioris prudente; *secus* videlicet: deficiente utraque conditione, tunc *reus* transgressionis supra declaratae *puniri nequit* a Superiore supradicto, *nisi prius* idest: praevie punitioni *monitus fuerit* de illa lege servanda determinate ab eo subdito, adiungendo monitioni, seu *cum comminatione poenae*, sive censurae, quae ex sui natura requirit monitionem illam, sive vindicativae illam requirentis ob legislatoris voluntatem, *latae*, seu ipso transgressionis posterioris facto incurrendae, *vel ferendae sententiae*, quamvis extraiudicialiter infligendae *in casu transgressionis* circa quam fuit facta monitio, *et nihilominus*, idest: illa monitione sine fructu posita, *legem* illam particularem, prout haec initio fuit declarata, *violaverit* proprie, hoc est: quamvis delictum non patraverit.

Immo, etsi de potestate coactiva non agatur, ut in fine §[1] sequentis patebit, attamen quia ratione delicti exurgit praescripti iustitia iuxta regulam iuris 23 in 6° « Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus », positus est hic § *2. Pariter*, idest: non obstante defectu legis poenalis ad casum, *idem* iuxta datam declarationem *legitimus Superior, licet* a) *probabile tantum sit*, quia desunt sufficientes ad certitudinem probationes, quamvis habitae inducant in prudentis mentem, *delictum* proprie ob transgressionem legis poenalis *fuisse commissum* ab hoc subdito, b) *aut delicti certe* iuxta probationes nunc habitas *commissi poenalis actio*, « seu accusatio criminalis » (can. 1934) ad illud puniendum, *praescripta sit*, seu « perempta lapsu temporis utilis ad actionem criminalem proponendam » (can. 1702 et 1703), *non solum ius*, secundum can. 970 quoad sequentem litteram a) et iuxta can. 334, § 1 quoad alias duas litteras b) et c), *sed etiam officium* vi can. 973, § 3 atque can. 336, § 2 *habet* a) *non promovendi* per se (nec dando litteras dimissorias) *clericum*, et a fortiori laicum, quia « prima tonsura et ordines minores in praesenti disciplina (can. 973, § 1) uti gradus conceduntur ascendendi ad presbyteratum », *de cuius idoneitate non constat* « moraliter certo ex positivis argumentis » (can. 973, § 3), quod supponitur in casu canonis, quem commentamur, accidere ut plurimum, *et* taxative *ad scandalum evitandum*, quod cohonestat privationem exercitii iuris quaesiti, et aufert rationem poenae, quia tale ius est pro bono animarum constitutum, supple « non solum ius, sed etiam officium habet » b) *prohibendi*

tantum *clerico* in sacris constituto, nam obiectum est: *exercitium sacri ministerii*, quod est illius proprium, c) *aut etiam*, utpote illam forsan includendo prohibitionem peculiarem, vel ultra illam generalem, *eundem* quemlibet clericum *ab officio*, quod lato vel stricto sensu sic dicatur, quolibet, *ad normam iuris*, quatenus serventur in hoc canones 192 ac in eo impliciti, *amovendi* proprie.

Subditur opportuna declaratio; *quae omnia* sub tribus litteris a) b) et c) *in casu* per paragraphum considerato *non habent rationem poenae* stricto sensu, qua « delinquentes plectuntur » (can. 2216). Hinc praefata sub littera a) prohibitio, nec est « suspensio a sacris ordinibus » (can. 2279, § 2, 4°), nec poena vindicativa, quae in can. 2291 n. 1° memoratur.

41. **De iudicis potestate** ad poenas quod attinet applicandas, « iuris normam » sequendam in eius exercitio (vi can. 2220, § 1) dat *can. 2223*. Primo consideratur in ipso poena determinata, postea ferendae sententiae regulas tradit de huiusmodi poenis pro diversitate verborum, quae in poenali canone adhibeantur, ac ultimo poenas latae sententiae canon considerat.

Congruenter iudicis potestati sub §° 1° can.s 2220 limitatae decernit § *1. In poenis,* quae a lege ecclesiastica statutae sint, nam dicitur *applicandis,* seu ad singulos delinquentes plectendos, *iudex* pro suo in hac parte officio *nequit*, proinde iniuste atque sine effectu ageret, *poenam determinatam,* idest: quae « taxative statuta sit », *augere* qualitercumque, unde a sensu contrario posset eandem deminuere, servata « aequa proportione cum delicto » (can. 2218, § 1). Sed hoc sub distinctione moderatum erit in §§is seqq. Limitatio vetiti additur his verbis *nisi extraordinaria,* quia raro eveniunt talia *adiuncta aggravantia*, quae secundum iudicis prudentiam *id*, scilicet: poenae determinatae augmentum, non tantum conveniens reddant, sed *exigant.*

§ *2. Si lex in statuenda poena* « determinata vel indeterminata » (can. 2217, § 1, 1°), sed *ferendae sententiae*, proinde, quae « a iudice infligi debeat » ut incurratur, quando « lex » *facultativis* respectu iudicis *verbis utatur*, signum est quod *committitur prudentiae et conscientiae iudicis*, supposita accusatione criminali forsitan ex denunciatione praevia, *eam poenam,* alterutram supra dictam, *infligere*, aut non, *vel*, *si poena fuerit determinata*, *temperare*, quod proprium est poenae indeterminatae. Uno verbo: lex

innuit poenam fortassis taxatam veluti normam relictam omni ex parte « prudentiae et conscientiae iudicis », quae optime differunt ab eiusdem arbitrio. Non aliter invenimus responsum fuisse ab Innoc. III[1]: « alioquin, secundum personae merita, et qualitatem excessus, poenam iudicantis discretio moderari ».

Alex. III in cap. 4 « de officio et potestate iudicis delegati » (I, 2) sic decrevit: « Illis etiam, qui pro causis tibi commissis, ad citationem tuam venire aut tuo super his parere iudicio neglexerint: si tale fuerit negotium, quod certa exinde poena in canonibus exprimatur, eandem infligas, alioquin ipsos pro delicti qualitate et causae, secundum tuum arbitrium punire procures ». Hoc sub capite clausulae duae inveniuntur. Secunda « facultativis verbis » utitur, prior vero « verbis praeceptivis » quam nunc considerat § 3. *Si vero,* quod verbum adversativum innuit clausulam praec. §[1] « in statuenda poena ferendae sententiae », *lex utatur verbis praeceptivis,* quando nempe urget cap. 1 « de constitutionibus »: « Canonum statuta custodiantur ab omnibus. Et nemo in actionibus vel iudiciis ecclesiasticis suo sensu, sed eorum auctoritate ducatur ». Tunc *ordinarie*, seu uti regula iuridica, *poena* per legem statuta vel taxative vel indeterminata *infligenda est,* sive in iudicio, sive extraiudicialiter pro poenae diversitate ac circumstantiis delicti; *sed* vi huius canonis aequitatem sequentis, quae iuris rigorem temperare novit, *conscientiae* in proprio munere fideliter adimplendo iuxta potestatis publicae finem in Ecclesia *et prudentiae* omnia perpendentis ac providentis, quae ad casum spectant, *iudicis vel Superioris* ratione formae iudicialis vel administrativae in auctoritatis usu *committitur* ab ecclesiastico legislatore:

1.° Poenae applicationem, qua reus illi subiiciatur, non omittere absolute, quod esset regulae supra positae contraire, sed *ad tempus magis opportunum* dictae applicationi *differre,* hac sub conditione: *si ex praepropera*, seu hic et nunc peracta *rei punitione maiora mala*, quae proinde postponi non debent ss. canonum observantiae, *eventura* fortassis ex culpa delinquentis vel ignorantia malitiave aliorum *praevideantur;*

Imo *2.° A poena* supra declarata *infligenda*, non iam ad tempus sed omnino *abstinere, si* a) *reus perfecte,* forsan post dilationem

[1] Cap. 1 « de accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus » tit. 1, Lib. V.

applicationis poenae, *fuerit emendatus* a delicto, quod respicitur, *et scandalum reparaverit*, quod pro iudice semper necessarium erit, quia « delicta quae cadunt sub criminali iudicio sunt delicta publica » (can. 1933, § 1). Ratio huius exceptionis a regula supra in §° posita est obtentus finis per poenam intentus, qui obtinetur aequipollenter in sequenti duplici hypothesi: b) *aut* « reus » *sufficienter* « iudicis vel Superioris » ut supra iudicio *punitus sit*, quamvis poena non canonica, nam subditur: c) *vel puniendus* talis « reus » *praevideatur poenis auctoritate civili sancitis* equidem iuste, quia « delictum quod laedit utriusque societatis legem, ab utraque potestate puniri potest » (can. 2198).

Duo priores numeri de poena praescribunt « determinata et indeterminata », aliter sub n° *3°* ob praescripti naturam. « Conscientiae et prudentiae iudicis vel Superioris committitur »: *Poenam determinatam* in lege a) *temperare* per mitigationem proportionatam *vel loco ipsius* poenae vindicativae b) *aliquod remedium poenale*, videlicet: « monitionem, correptionem, praeceptum vel vigilantiam » (can. 2306) pro casuum diversitate *adhibere* c) *aut aliquam poenitentiam* forsitan ex his sub §° 1° can. 2313 enumeratis *iniungere*, idest: unum vel aliud pro illius prudenti arbitrio, si accidat distributive unum vel aliud horum quae sequuntur; nempe: *si* a) *detur circumstantia* delinquentis vel delicti *imputabilitatem notabiliter minuens* cognoscenda ex declarato can. 2218, § 1, etsi gravis remaneat imputabilitas propter § 2, b) *vel habeatur quidem rei emendatio* quamvis perfecta, c) *aut inflicta* fuerit *a civili auctoritate castigatio* iuxta num. 2^m^, *sed iudex vel Superior opportunam praeterea ducat*. igitur rationabiliter, *mitiorem* « determinata » *aliquam punitionem* huic sub littera *c*) addere, vel in casibus *a*) et *b*) imponere.

§ *4. Poenam* medicinalem aut vindicativam *latae sententiae* propter delictum iam incursam *declarare*, ut in foro externo authentice constet, *generatim*, idest: veluti norma *committitur* vi huius canonis *prudentiae Superioris* circumstantias perpendentis; *sed* a) *sive ad instantiam partis cuius interest* propter quodlibet damnum receptum, b) *sive bono communi* dioecesis, civitatis, parochiae aut communitatis *ita exigente*, proindeque ratione debiti ex officio erga singulos fideles vel societatem saltem imperfectam, *sententia declaratoria dari debet*, ad quod iudex vel Superior hoc praescripto ligatur.

42. **Multiplicatio seu adauctio poenarum.** Naturae delicti ac poenae expostulant regulam, quam refert *can. 2224. § 1. Ordinarie* idest: tanquam iuris norma *tot poenae* latae sententiae incurruntur vel ferendae sententiae sunt infligendae a respectivo canone statutae, *quot delicta* contra diversas leges commissa sunt vel adversus eandem iterata. Ita quoque ex iure Decretalium, nam in cap. 1 « de poenis » (V, 37) legitur: « Ea, quae frequenti praevaricatione iterantur, frequenti sententia condemnentur ». Atque in cap. 27 « De sententia excommunicationis » (V, 39) respondet Innoc. III: « Discretioni vestrae mandamus, quatenus si vobis constiterit dictum F. archidiaconum ob duplicem causam excommunicatum fuisse, et expressisse tantum alteram in litteris, quas super absolutione sua impetravit: ipsum tanquam excommunicatum satisfacere ecclesiae suae pro altera, monitione praemissa, cogatis ».

Affert iuris exceptiones aequitate suffultas § 2. *Si tamen propter numerum* eorumdem vel diversorum qualitate *delictorum nimius esset*, attenta humana conditione, *poenarum*, non iam latae sententiae, sed *infligendarum* a iudice vel Superiore cumulus ad normam §[i] praec.[s], *prudenti iudicis arbitrio* seu voluntati *relinquitur*, seu canonis vi facultas datur disiunctive a) *aut poenam* ferendae sententiae *omnium* « infligendarum » huic singulari reo *graviorem* iuxta canonum ac interpretum aestimationem *infligere*, quandoque *addita*, nempe: *si res ferat* seu possible sit conveniensque iudicetur, *aliqua poenitentia vel remedio poenali* ex Titulo X cognoscendis, b) *aut* omnes supra dictas *poenas intra aequos* duce ratione *terminos* per selectionem *moderari*, in quo dicendo iudicio norma est: *habita ratione numeri et gravitatis delictorum*, quae dignoscitur ex Titulo II « De imputabilitate ».

Aliam exceptionem §[i] 1[i] absolutam praescribit § *3. Si poena* ferendae sententiae *constituta sit, tum in conatum delicti,* unde hic « verum constituit delictum » (can. 2212, § 4), *tum in delictum* idem *consummatum, hoc admisso* praeter delicti conatum alias patratum, *infligi tantum debet* contra duos §§[os] praecedentes, illis duobus consideratis, *poena in consummatum* hoc *delictum statuta* per legem. Quoad poenas vero latae sententiae viget § 1, nam verus delicti conatus excludit progressum ad consummationem eius, quae eveniet propter hoc, poena in conatum delicti iam incursa.

43. **Modus servandus** a Superiore vel iudice in declaratione vel inflictione poenarum multiplex est. Idipsum nos edocet sub distinctione postremus huius Tituli *can. 2225. Si poena,* tum vindicativa tum medicinalis, utpote per legem latae sententiae, *declaretur* iam incursa, *vel* alterutra ex dictis, sed lege statuta ferendae sententiae, *infligatur per sententiam iudicialem,* quae in can. 1868, § 1 describitur, *serventur canonum praescripta* in Titulo XIII, Lib. IV posita *circa sententiae iudicialis pronuntiationem,* quae huiusmodi processum praevium requirit; *si vero poena,* tum vindicativa, tum medicinalis, *latae vel ferendae sententiae*, scilicet: haec, quae « a iudice vel Superiore infligi debeat », illa vero quae « determinata ita sit addita legi vel praecepto ut incurratur ipso facto commissi delicti » proprie dicti vel fortassis ad normam can.[s] 2195, § 2, quia de utraque conditio additur *inflicta sit* ex tunc subeunda, vel poena latae sententiae ex tunc in foro externo urgenda, *ad modum praecepti particularis* idest: ab homine atque extraiudicialiter; quaecumque in hac secunda parte canonis explicata a) *scripto aut coram duobus testibus* ad licite agendum et *ordinarie,* seu est regula exceptiones ob prudentiam admittens, ut *declaretur* iam incursa ad effectus poenae iuxta can. 2232 urgendos, *vel irrogetur* ad eam statim subeundam. b) *indicatis poenae* declaratae vel inflictae *causis, salvo* quoad clausulam sub littera *b*) tantum *praescripto can. 2193,* quod relinquit « prudenti Ordinarii arbitrio suspensionis (ex informata conscientia) causam clerico patefacere aut reticere ». Hinc sequitur, etiam huiusmodi poenam « scripto aut coram duobus testibus esse ordinarie infligendam » ex huius canonis in secunda parte praecepto.

Ius vetus praescripta canonis huius continebat, quamvis illud de poenis determinatis loqueretur. Ita v. gr. de inflictione poenarum quas ferendae sententiae statuit const. « Sacramentum Poenitentiae » Bened. XIV adversus sollicitantes, haec habet Instr. S. C. de Prop. Fide [1]: « Praemissis his (nempe moderato per S. Congr. iudiciali processu illo qui specialis servatur de hoc crimine puniendo), et audito reo eo modo quo commode fieri poterit, si ex omnibus rite et accurate perpensis, tibi satis perspecta evadat admissi criminis veritas, tunc demum poteris devenire ad illi interdicendum in perpetuum ne confessiones excipiat, subtrahendo omnes et quas-

[1] 26 Aug. 1775. Collect. S. C. de P. F. n. 509.

cumque facultates in id muneris eidem, etiam per quodcumque privilegium, vel etiam ab ipsa S. Sede impertitas. Praeterea, declarare poteris eumdem reum obnoxium esse ceteris poenis spiritualibus in Constitutionibus, et praesertim in Gregoriana sancitis. Tibi quoque fas erit illum suspendere a sacrosancti Sacrificii celebratione ».

Alios textus ex Decretalibus licet decerpere. Primus sit cap. 1 « de sententia excommunicationis... » in 6°, ubi Innoc. IV in Conc. Lugdunensi constituit: « Quisquis igitur excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat, et causam excommunicationis expresse conscribat, propter quam excommunicatio proferatur ». Secundus textus alium admiserat modum; nempe: cap. 48, tit. 39, Lib. V. X, in quo sic loquitur Innoc. III: « Sacro approbante concilio prohibemus, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione praemissa, et personis praesentibus idoneis, per quas (si necesse fuerit) possit probari monitio, promulgare praesumat ».

Nec solum de excommunicatione in Pont. Rom. est scriptum [1]: « Maior vero excommunicatio, quam Pontifex per sententiam scriptam legendo promulgat, hoc modo profertur: etc. », sed de suspensione quoque in eodem invenitur Pontificali [2]: « Suspenditur quis (clericus) quandoque ab homine,... quando Praelatus sic in scriptis pronuntiat: etc. ». Ac demum de suspensione ex informata conscientia, quod scripturae forma ad validitatem non pertineat, constat ex resp. S. Congr.[s] EE. et RR. in una Ord. Praed. [3] ubi interrogata « 3. An valeat suspensio oretenus, et absque scripto enunciata? Emi. Patres... rescripserunt: Ad 3. Affirmative cum feratur per modum praecepti particularis ».

TITULUS VI.

De subiecto coactivae potestati obnoxio.

Can. 2226. - § 1. Poenae adnexae legi aut praecepto obnoxius est qui lege aut praecepto tenetur, nisi expresse eximatur.

§ 2. Licet lex poenalis posterior obroget anteriori, si tamen delictum, quando lex posterior lata est, iam commissum erat, applicanda est lex reo favorabilior.

§ 3. Quod si lex posterior tollat le-

[1] Ordo excommunicandi et absolvendi. — [2] Ordo suspensionis, reconciliationis. — [3] 2 Martii 1866. Collectanea S. Congr. EE. et RR. Bizzarri, pag. 755.

gem vel poenam tantum, haec statim cessat, nisi agatur de censuris iam contractis.

§ 4. Poena reum ubique terrarum tenet, etiam resoluto iure Superioris, nisi aliud expresse caveatur.

CAN. 2227. - § 1. Poena nonnisi a Romano Pontifice infligi aut declarari potest in eos de quibus in can. 1557, § 1.

§ 2. Nisi expresse nominentur, S. R. E. Cardinales sub lege poenali non comprehenduntur, nec Episcopi sub poenis latae sententiae suspensionis et interdicti.

CAN. 2228. Poena lege statuta non incurritur, nisi delictum fuerit in suo genere perfectum secundum proprietatem verborum legis.

CAN. 2229 - § 1. A nullis latae sententiae poenis ignorantia affectata sive legis sive solius poenae excusat, licet lex verba de quibus in § 2 contineat.

§ 2. Si lex habeat verba: *praesumpserit*, *ausus fuerit*, *scienter*, *studiose*, *temerarie*, *consulto egerit* aliave similia quae plenam cognitionem ac deliberationem exigunt, quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis eximit a poenis latae sententiae.

§ 3. Si lex verba illa non habeat;

1.° Ignorantia legis aut etiam solius poenae, si fuerit crassa vel supina, a nulla poena latae sententiae eximit; si non fuerit crassa vel supina, excusat a medicinalibus, non autem a vindicativis latae sententiae poenis;

2.° Ebrietas, omissio debitae diligentiae, mentis debilitas, impetus passionis, si, non obstante imputabilitatis deminutione, actio sit adhuc graviter culpabilis, a poenis latae sententiae non excusant;

3.° Metus gravis, si delictum vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis vel in publicum animarum damnum, a poenis latae sententiae nullatenus eximit.

§ 4. Licet reus censuris latae sententiae ad normam § 3, n. 1 non teneatur, id tamen non impedit quominus, si res ferat, congrua alia poena vel poenitentia allici queat.

CAN. 2230. - Impuberes excusantur a poenis latae sententiae, et potius punitionibus educativis, quam censuris aliisve poenis gravioribus vindicativis corrigantur; puberes vero qui eos ad legem violandam induxerint vel cum eis in delictum concurrerint ad normam can. 2209, §§ 1-3, ipsi quidem poenam lege statutam incurrunt.

CAN. 2231. - Si plures ad delictum perpetrandum concurrerint, licet unus tantum in lege nominetur, ii quoque de quibus in can. 2209, §§ 1-3, tenentur, nisi lex aliud expresse caverit, eadem poena; ceteri vero non item, sed alia iusta poena pro prudenti Superioris arbitrio puniendi sunt, nisi lex peculiarem poenam in ipsos constituat.

CAN. 2232. - § 1. Poena latae sententiae, sive medicinalis sive vindicativa, delinquentem, qui delicti sibi sit conscius, ipso facto in utroque foro tenet; ante sententiam tamen declaratoriam a poena observanda delinquens excusatur quoties eam servare sine infamia nequit, et in foro externo ab eo eiusdem poenae observantiam exigere nemo potest, nisi delictum sit notorium, firmo praescripto can. 2223, § 4.

§ 2. Sententia declaratoria poenam ad momentum commissi delicti retrotrahit.

CAN. 2233. - § 1. Nulla poena infligi potest, nisi certo constet delictum commissum fuisse et non esse legitime praescriptum.

§ 2. Licet id legitime constet, si agatur de infligenda censura, reus reprehendatur ac moneatur ut a contumacia recedat ad normam can. 2242, § 3, dato, si prudenti eiusdem iudicis vel Superioris arbitrio casus id ferat, congruo ad resipiscentiam tempore; contumacia persistente, censura infligi potest.

CAN. 2234. - Qui plura delicta commisit, non modo gravius puniri, sed si, prudenti iudicis arbitrio, res id ferat, subiici etiam debet vigilantiae vel alii remedio poenali.

CAN. 2235. - Delictum frustratum aut conatus delicti, nisi tanquam distincta delicta lege plectantur, possunt congrua poena pro gravitate puniri, salvo praescripto can. 2213, § 3.

Titulus VI. De subiecto coactivae potestati obnoxio —	— considerata —	— lege aut praecepto	Can. 2226
		— personarum dignitate	» 2227
		— delicti perfectione	» 2228
	— sed excusato vel non —	— propter ignorantiam	» 2229
		— ratione aetatis in delinquente	» 2230
		— causa concursus in delictum	» 2231
	— quoad poenas subeundas —	— latae sententiae	» 2232
		— per earum inflictionem	» 2233
		— cum remedio poenali	» 2234
		— etiamsi delictum non perpetretur	» 2235

44. **Inscriptio Tituli.** — Post subiectum cui potestas coactiva competit, oportuit normas dare, quas continet *Titulus VI* inscriptus *De subiecto* nempe: fideli, qui subditur auctoritati ecclesiasticae leges aut praecepta ferenti, cognoscendus per can. 12, 13, 14, quoad illas, et quoad haec per can. 94, si vero agatur de clerico, respiciendo huius incardinationem vel aliam subiectionis rationem et, si sermo sit de religioso exempto, attendatur oportet familia seu domus ad quam hic pertineat: de illo igitur *coactivae potestati* distinctae iuxta Superiores vel personas morales eam exercentes, atque consideratae secundum modos diversos exercendi eam, videlicet per leges, per sententias, per modum praecepti particularis, *obnoxio* ad incurrendas poenas inde consequentes vel subeundas uti effectum illius potestatis.

45. **Ordo canonum** ex dictis infertur, sed logice expositus inscriptionem illustrat. Consideretur primo coactiva potestas lege aut praecepto exercita, et subiectum hac ratione determinatur in can. 2226, dum sequentes duo personarum dignitatem et delicti perfectionem considerant ad illam statuendam determinationem. His subsequuntur tres canones 2229, 2230 et 2231, qui successive causas a poenis incurrendis excusantes considerant, scilicet: ignorantiam et impubertatem, et econtra inducentes vel concurrentes ad delictum poenalibus legibus subiiciunt. Denique modum poenas subeundi aut infligendi moderantur can. 2232 et 2233, dum subiectio tum

remedio poenali ultra poenam, tum poenae absque patrato delicto decernitur per canones 2234 et 2235.

46. **Subiectio legi praeceptove poenali** in genere sic decernitur. *Can. 2226. § 1. Poenae* cuilibet latae sententiae aut ferendae *adnexae legi* per quam illa statuitur *aut praecepto* Superioris vel iudicis, quod per illam poenam urgetur; *obnoxius est* omnis et solus ille, *qui lege aut praecepto* talibus *tenetur* quolibet ex motivo, *nisi expresse* in eisdem vel alias legitime ab eadem poena *eximatur,* sicuti datur exemplum in can. 2227, § 2. — Normam ipse Clemens III tradidit in cap. 21 « de sententia excommunicationis » (V, 39) X, dicens : « et Nobis fuit ex tua parte quaesitum, utrum si quis ita pronuntiaverit: quisquis furtum fecerit excommunicatus sit : haec generalis clausula ad ipsius excommunicatoris subditos referatur, an generaliter extendatur ad omnes, qui non sunt de iurisdictione illius? Ad quod dicimus quod hac sententia non nisi subditi obligantur : nisi forte plus contulerit maior et largior auctoritas delegantis ».

§ *2. Licet lex poenalis,* sic dicta ob poenam in ea statutam, *posterior* respectu alterius, cui poenali quoque *obroget anteriori* promulgatione, quia eidem opposita, sub conditione : *si tamen delictum* adversus anteriorem legem, quia *quando lex posterior* supradicta *lata est,* nempe: promulgata, eo quod « leges instituuntur cum promulgantur » (can. 8 § 1), *iam commissum erat,* quamvis nondum iudicatum nec punitum ut patet ex §[1] praescripto sequenti, *applicanda est* a iudice vel Superiore *lex* alterutra *reo favorabilior*, id est : cuius poena statuta mitior est, vel adauget delicti conditiones. Praescriptum valde aequum, nam agitur de poena ferendae sententiae, utpote applicanda. Unde si mitior est in lege anteriori, hanc subeat oportet reus, qui talem legem, dum ea vigeret, est transgressus ; si mitior est qualitercumque poena posterior, hanc subire oportet, quia nunc temporis, seu lege posteriore vigente, Superior paret legi applicans statutam poenam. In utroque autem casu servatur reg. iuris 49 in 6° : « In poenis benignor est interpretatio facienda ».

§ *3. Quod si lex posterior* promulgatione *tollat legem* anteriorem poenalem, idest: eius praescriptum ac saltem consequenter poenam accessoriam, *vel* relinquens praescriptum, « tollat » adnexam ei *poenam tantum* latae aut ferendae sententiae, *haec* poena

statim post vigorem promulgatae legis *cessat,* tum uti adnexa legi, ut palam est, proindeque non applicanda est poena legis anterioris, congruenter regulae iuris citatae ac menti praec. §[1], tum uti poena iam incursa latae sententiae aut per inflictionem, cum hac sola exceptione *nisi agatur de censuris* quibuslibet sed proprie dictis atque *iam* alterutro modo *contractis.* Ratio exceptionis est, quia « quaelibet censura, semel contracta, tollitur tantum legitima absolutione » (can. 2248, § 1).

Circa poenarum observantiam ita invenimus decretum, quando illa erat latae sententiae poena [1]: « Ad reprimendam malitiam perversorum, poenae certae sunt in canonibus constitutae, quas sicut latas a vobis interdum in subditos (scilicet ab homine), vultis inviolabiliter observari, ita latas ab aliis, debetis inviolabiliter observare. Ideoque mandamus, quatenus sententias, quas I. exovien. episcopus duxerit in subditos suos canonice promulgandas, et vos ipsi servetis, et a vestris subditis faciatis observari ». Casu vero quo poena sit ferendae sententiae, non deest Decretalis simile quid statuens. Sic enim scriptum est in Conc. Lateranensi sub Alex. III [2]: « Si quis autem treugas frangere praesumpserit post tertiam admonitionem, si non satisfecerit, suus episcopus sententiam excommunicationis dictet in eum, et scriptam vicinis episcopis annunciet, quorum nullus excommunicatum in communionem recipiat, immo scriptam sententiam quisque confirmet ».

Hanc ergo disciplinam generaliter ad poenas, sed aptius retinet § *4* conformis canoni 24 derogato quoad poenae cessationem. *Poena* medicinalis aut vindicativa, poenitentia quoque ac remedium poenale pro huius modo, semel incursa, sive quia latae sententiae, sive quia per iudicem vel Superiorem inflicta, vel declarata quoad declarationis effectum, sequitur enim *reum ubique terrarum tenet* obligatum ad eius observantiam, imo per exceptionem canonis citati. quando ad modum praecepti particularis est fulminata, *etiam resoluto* per mortem, aut renunciatione, revocatione, alioque modo cessante *iure Superioris*, idest: isto amittente potestatem coactivam, qua poenam inflixit, *nisi aliud* diversum ab huius §[i] praescripto *expresse caveatur*, v. gr. prout dicitur de suspensione ex informata conscientia a S. Congr. de Prop. Fide in eiusdem Instructione [3] sub

[1] Cap. 8 « de officio iudicis ordinarii » (I, 31) X. — [2] Cap. 1 « de treuga et pace » (I, 33) X. — [3] 20 Oct. 1884. Collect. S. C. de P. F. n. 1628.

num. 5. « Quod si ob graviores causas Ordinarius censuerit eam imponere non ad tempus determinatum, sed ad suum beneplacitum, tunc ipsa habetur pro temporanea, ideoque cessabit cum iurisdictione Ordinarii suspensionem infligentis ». Atque praescripto §[i] optime providetur scopo coactivae potestatis, etiamsi « poena inflicta (non) scripto aut coram duobus testibus declaretur vel irrogetur, (nec) indicatis poenae causis » (can. 2225), prout quandoque licite fieri potest. Namque aliter possent facile delinquentes vanas reddere Superioris punitiones saltem ad tempus per recessum ab eiusdem territorio.

47. **Personae privilegiatae** sunt sequentes. *Can. 2227. § 1. Poenae,* exclusis quoad validitatem ceteris Praelatis, ipsisque Romanis Congregationibus ex auctoritate propria, *nonnisi a Romano Pontifice* per se vel per delegatum iuxta reg. 68 iuris in 6°, *infligi* proprie sive per legem particularem, sive per sententiam praeceptumque particulare, *aut* his posterioribus modis *declarari* a iure iam incursa *potest* ratione personarum *in eos de quibus in can. 1557, § 1.* Videlicet : « 1° Eos qui supremum tenent populorum principatum ; — 2° Patres Cardinales ; — 3° Legatos sedis Apostolicae, et... Episcopos, etiam titulares ».

Hae immunitates sunt iam exceptae in 6°. Decretalium. Nam Clemens IV ait [1] : « Ne aliqui de indultis Apostolicis confidentes, alios confidentius in suo iure molestent, et Ordinariorum iurisdictionem contemnant pariter et eludant : Omnes indulgentias et privilegia, quibuscumque singularibus personis ecclesiasticis vel saecularibus cuiuscumque praeeminentiae, dignitatis, conditionis aut status, quod interdici a quocumque vel excommunicari non possint :

... (Illis per quae regibus et reginis eorumque filiis... in hoc immunitas huiusmodi conceditur, dumtaxat exceptis) de fratrum nostrorum consilio ad Ordinariorum sententias et processus edicto perpetuo prohibemus extendi ».

Quoad personas vero ecclesiasticas constat idem iuris praecedentis statutum ex cap. 16 « de haereticis » (V, 2) in 6°. Ibidem Bonif. VIII ait : « Inquisitores haereticae pravitatis ab Apostolica Sede... deputati, de huiusmodi crimine inquirere contra episcopos nequeunt, aut eius praetextu procedere contra eos : nisi in litteris

[1] Cap. 5 « de privilegiis » (V, 7) in 6°.

commissionis Apostolicae, quod hoc possint, contineatur expresse ». Nec mirum esse debet Codicis praescriptum, « cum a nemine, nisi a Romano Pontifice (S. R. E. Cardinales) iudicentur », sicut inquit Eugenius IV in ep. « Non mediocri » [1], et S. Leo IX in ep. « Cum ex venerabilium » [2] dicat : « Hoc autem nolo vos lateat, non debere praeter sententiam Romani Pontificis... episcopos damnari vel deponi », quibus concordant Decreta Concilii Tridentini [3].

§ 2. *Nisi expresse nominentur* per eorum dignitatem, *S. R. E. Cardinales* habent hoc privilegium contra can. 13 § 1, quod *sub lege* qualibet *poenali* qua tali, non iam quoad vim directivam, videlicet : sub canonibus Partis tertiae Libri huius *non comprehenduntur*, *nec Episcopi* tam residentiales, quam titulares, *sub poenis* medicinalibus aut vindicativis *latae sententiae*, per quamcumque auctoritatem illae sint statutae in legibus, dummodo *suspensionis et interdicti*, nempe alterius utrius. De iisdem poenis et aliis ferendae sententiae, quantumlibet sub iisdem teneantur, ad incurrendas eas necessaria esset inflictio, quae « nonnisi a Romano Pontifice fieri potest » ex § 1°. Hic §us 2us e memoria non excidat, ut recte interpretentur canones poenales in designatione personarum « pro quibus (eaedem leges) datae sunt » (can. 13, § 1).

De altera praescripti parte rationem affert Innoc. IV in Concilio Lugdonensi [4] : « Quia periculosum est episcopis et eorum superioribus propter executionem pontificalis officii, quod frequenter incumbit, ut in aliquo casu interdicti vel suspensionis incurrant sententiam ipso facto : Nos deliberatione provida duximus statuendum, ut episcopi et alii superiores praelati, nullius constitutionis occasione, sententiae sive mandati, praedictam incurrant sententiam ullatenus ipso iure : Nisi in ipsis de episcopis expressa mentio habeatur ».

48. **Delictum legis poena mulctatum** apprime determinat in genere *can. 2228*. *Poena* quaelibet *lege* communi vel particulari *statuta non incurritur* ipso facto vel post sententiam subeunda, *nisi delictum* ea plectendum *fuerit in suo genere* tam delicti quam specialis transgressionis *perfectum* seu habens omnes conditiones in eodem requisitas *secundum proprietatem verborum* omnium *legis*, quae aliquando non evenit etiam post rei actionem vel omissionem,

[1] An. 1439, § 14. — [2] 17 Dec. 1053, § 4. — [3] Sess. XIII de ref. cap. 8 et sess. XXIV de ref. cap. 5. — [4] Cap. 1 « de sententia excommunicationis, etc ». (V, 11) in 6°.

nisi effectu sequuto, v. gr. homicidium post lethale vulnus inflictum. Idipsum ex iure Decretalium constat congruenter regulis iuris in 6°, nam « odia restringi convenit » (reg. iuris 15), « sine culpa, non est aliquis puniendus » (reg. iuris 23) et « in poenis benignior est interpretatio facienda » (reg. iuris 49).

49. **Excusatio a poenis ob ignorantiam**, eo quod haec multiplex sit, sub distinctione legum poenalium venit consideranda. Definitionem ignorantiae proprie dictae, distinctionesque ipsius videsis coadunatas in Commentario Textus ad can. 16. — *Can. 2229. § 1. A nullis latae sententiae poenis*, nempe « determinatis (singulis, quae) ita sint additae legi... ut incurrantur ipso facto commissi delicti » (can. 2217, § 1, 2°), *ignorantia* idest: defectus cognitionis, quam subditus potest ac debet habere, *affectata*, seu directe volitus ille defectus cognitionis *sive legis* equidem poenalis, *sive solius poenae* in eodem statutae, *excusat*, atque haec inanitas ignorantiae affectatae est absoluta, subdente canone: *licet lex* generalis vel particularis poenam statuens *verba de quibus* tractatur *in §° 2° contineat*. De hac ergo ignorantia plene verificatur quoad poenas reg. iuris 13 in 6°: « Ignorantia facti, non iuris excusat ». Quapropter verba « scienter seu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quaesito praesumpserint » pro eodem iudicantur in cap. 2 « de temporibus ordinationum » (I, 9) in 6° ad incurrendam ipso facto suspensionem ibidem statutam.

§. 2. *Si lex* poenalis, tum generalis, tum quaelibet particularis habeat in praescripti tenore haec singula *verba: praesumpserit, ausus fuerit*, quae voluntatem afficiunt, *scienter, studiose*, quae ignorantiae opponuntur, *temerarie, consulto*, quae cognitionem denotant, *egerit, aliave similia*, sic intellecta verborum similitudine, *quae* pro eorum significatione *plenam cognitionem* praeviam *ac* concomitantem *deliberationem exigunt*, hac sub hypothesi *quaelibet imputabilitatis imminutio* ex causis consideratis in praec. Titulo II, a) *sive ex parte intellectus*, v. gr. ignorantia etsi culpabilis, dummodo non sit affectata ob § praec., tum legis, tum solius poenae, ad normam can. 2202; b) *sive ex parte voluntatis*, v. gr. « metus gravis, etiam relative tantum » (can. 2205 §§ 2, 3), *eximit* huiusmodi delinquentem *a poenis* omnibus per declaratam legem *latae sententiae*, non autem a poenis ferendae sententiae fortassis ab eadem lege statutae.

§. 3. *Si lex,* uti supra fuit declarata, *verba illa* singula supradicta in praec. §° « aliave similia » *non habeat* inserta :

1.° *Ignorantia* a) *legis* ipsius qua praescriptivae, b) *aut etiam solius poenae* in illa statutae, I° *si fuerit crassa vel supina,* idest gravior inter culpabiles, attamen non directe intenta, *a nulla poena* medicinali ac vindicativa per dictam initio §¹ legem *latae sententiae eximit*, seu, non obstante praefata ignorantia, « poena determinata addita illi legi... incurretur ipso facto commissi delicti » (can. 2217, § 1, 2°) ; II° si « ignorantia » alterutra *non fuerit crassa vel supina* ob negligentiam graviorem studii ex incuria, pigritia, quamvis illa remaneat graviter culpabilis, a) *excusat a medicinalibus* « poenis latae sententiae », seu huiusmodi censuris, *non autem* « excusat » *a vindicativis* quibuscumque *latae sententiae* in eadem lege *poenis.*

Ita sine limitatione Bonifacius VIII in cap. 2 « de Constitutionibus » (I, 2) in 6°: « Ut animarum periculis obvietur : sententiis per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes, (veluti addens indulgentiam ultra excusationem ex natura ignorantiae inculpabilis vel leviter culpabilis naturaliter consequentem): dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit vel supina ». Ratio vero adducta suasit distinctionem ex diversitate poenarum in Codicis textu admissam.

Quia sub §° 2° « quaelibet imputabilitatis imminutio » fuit considerata, sub hoc autem numero 1° tantummodo ignorantia, prosequitur legislator normas dans de aliis causis imputabilitatem minuentibus. Hinc adiungitur *2°. Ebrietas* (can. 2201 § 3), *omissio debitae diligentiae* (can. 2203, §° 1°), *mentis debilitas* (can. 2201, § 4), *impetus passionis* (can. 2206), singulae ex his causis consideratae taxative, ac sub conditione : *si non obstante imputabilitatis deminutione,* quam sub quibusdam saltem conditionibus producunt, *actio* haec singularis contra legem poenalem *sit* in genere morum *adhuc graviter culpabilis*, tum in se tum ratione agentis, seu obiective atque subiective, sub hac videlicet conditione, *a poenis* quibuslibet *latae sententiae* ipso veri delicti facto *incurrendis non excusant.*

Cap. 5 « de iis, quae vi metusve causa fiunt » (I, 40) X : « Sacris est canonibus »: et infra inquit Innoc. III : « Distinguimus autem utrum is qui communicat excommunicatis invitus, sit per

coactionem adstrictus; aut per metum inductus... In secundo casu licet metus attenuet culpam; quia tamen non eam prorsus excludit, cum pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari ». Hanc rationem recognoscit validam legislator, dum statuit *3.° Metus* etiam absolute *gravis* ob minas mortis, *si delictum,* ad quod sic quispiam inducitur, *vergat* a) *in contemptum fidei* v. gr. dare nomen sectae acatholicae, b) *aut ecclesiasticae auctoritatis* v. gr. efficaciter impedire exercitium iurisdictionis fori externi, c) *vel in publicum animarum damnum* v. gr. editio librorum a Sede Apostolica nominatim prohibitorum, tunc *a poenis* quibuslibet *latae sententiae* solummodo *non eximit* huiusmodi « delicti » reos.

Ratio in Decretalibus expressa non minus urget, quando lex poenalis « habeat verba » in praec. §° designata, verumtamen « metus gravis » supradictus « eximit » ab eisdem poenis. — Sufficiens videtur responsum, quia legislator per illa verba innuit respici a se delictum qua patratum cum plena libertate, alias relinquere idem puniendum Superiori delinquentis, congruenter §° sequenti.

Demum quia contingere potest, ut lex poenalis solam censuram latae sententiae habeat additam, opportune canonem perficit § *4. Licet reus* sic dictus ob patratum delictum *censuris* proprie dictis *latae sententiae* legi transgressae adnexis *ad normam* § *3* praec. *n°. 1 non teneatur* in casu secundum illius normae declarationem, *id tamen non impedit*, seu non obstat tale praescriptum, *quominus*, *si res ferat* iuxta prudentem circumstantiarum ponderationem, *congrua* commisso delicto propter can. 2218 § 1 *alia poena* vindicativa, etsi a lege non statuatur, *vel poenitentia affici* ab homine, idest: a iudice vel Superiore queat. Haec concessio specialis est, proinde vigens praeter aliam potestatem in can. 2222 § 1, quando haec in casu applicationem non sortiatur.

50. **Quantum eximit aetas a poenis** canonicis subeundis nos edocet *can. 2230* sic decernens. *Impuberes*, videlicet: « si masculus infra decimum quartum, si femina infra duodecimum annum completum » (can. 83 § 2), postquam « septimum aetatis annum expleverunt », *excusantur* ratione solius aetatis ac vi huius canonis *a poenis* tam vindicativis quibuscumque, quam censuris, *latae sententiae* incurrendis, secus ac ius Decretalium supponebat in cap. 60 tit. XXXIX Lib. V, X, *et* quoad poenas ferendae sententiae aut ab

homine infligendas, « quoniam in pueris relinqui solet inultum, quod in aliis provectioris aetatis humanae leges dicunt severius corrigendum » [1], *potius punitionibus educativis* iuxta consuetudines locorum apud familias usitatis, *quam censuris* quibuslibet parum aestimandis per eos *aliisve poenis* (notetur) *gravioribus vindicativis corrigantur*, hae namque non graviores salvae manent, ac permittuntur congruenter capiti 1° Tit. cit. Decretalium, ubi Gregorius inquit: « At his peccatis, (furtis, mendaciis et periuriis) plena est puerilis aetas, quamvis in eis (peccata seu delicta) non ita ut in maioribus punienda videantur ».

Hac sumpta occasione legislator praevenit deceptionem, quam inde possent incurrere fideles parvipendentes Salvatoris sententiam: « qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, et demergatur in profundum maris ». Sequitur ergo in canone: *puberes vero* etiam infra vicesimum primum aetatis annum, seu minores, *qui* a) *eos* « impuberes » supra designatos *ad legem* ecclesiasticam *violandam*, cui tenentur hi « rationis usum asseculi » forsan ante septimum annum expletum (can. 12), *induxerint* positive, b) *vel cum eis in delictum* proprie dictum iuxta can. 2195, § 1 *concurrerint ad normam can. 2209*, §§ *1-3* tantum, *ipsi quidem* conrei *poenam* latae vel ferendae sententiae, quia solum additur *lege statutam* contra huiusmodi delictum *incurrunt*. Quae assertio supponit mentem legislatoris, quam statim decernendo pandit canone sequenti.

51. **Extensio legum poenalium implicita** in alias personas non expressas decernitur a Codice, dum *can. 2231* ius praecedens multiplicatis textibus efformatum sic breviter concludit. *Si plures* eodem vel diverso modo *ad delictum* quodcumque *perpetrandum concurrerint*, *licet unus* tantum, vel singulariter vel quoad modum delinquendi, *in lege poenali nominetur*, idest: exprimatur « secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam » (can. 18), praeter illum *ii quoque de quibus* actum est *in can. 2209*, §§ *1-3* solummodo, *tenentur* idest: obnoxii sunt, *nisi* huiusmodi *lex* singularis *aliud* magis vel minus contrarium *expresse caverit*, saltem per verbum contrahens praescriptum ad

[1] Cap. 2 « de delictis puerorum » (V, 23) X.

delinquentem nominatum, *eadem poena* simplici vel multiplici, latae vel ferendae sententiae: *ceteri vero* conrei, nempe sub. seqq. §§[is] eiusdem cit. canonis considerati *non item*, seu non veniunt implicite sub poenali lege, *sed* canonis huius praescripto, uti participes delicti, *alia iusta poenà*, videlicet: « servata aequa proportione cum influxu in delictum » (can. 2218, § 1) iuxta ibidem declarata, *pro prudenti Superioris,* cui hac de causa subdantur, *arbitrio puniendi sunt*, quae sunt facultativa verba, *nisi lex* eadem vel alia *peculiarem*, vel determinatam, vel indeterminatam sed praeceptivis verbis *in ipsos* conreos postremo declaratos *constituat* incurrendam latae vel ferendae sententiae. Hic canon ita haereat menti, ut redeat in eam in singülis canonibus tertiae Partis, praesupponendaque erit illius norma, quandocumque non pateat eiusdem exceptio.

Porro multoties conrei singulatim recensiti sub censuris Const. « Aplcae, Sedis » Pii IX non invenientur in Codice, quin applicari queat in casu can. 6, n° 5° pro illarum derogatione, eo quod obstet canon praesens.

52. **De observantia incursae poenae** praescribit *can. 2232*. §. *1. Poena latae sententiae* seu « incursa ipso facto commissi delicti » (can. 2217, § 1, 2°), *sive medicinalis sive vindicativa,* verba necessaria propter Auctorum doctrinas distinguentium circa rem hanc, *delinquentem, qui delicti sibi sit conscius*, nempe moraliter certus, *ipso facto* delinquendi *in utroque foro* obligatum *tenet* ad illam sponte subeundam; — sequitur exceptio multiplex, videlicet: *ante sententiam tamen* proprie dictam iuxta § 1[m] can.[s] 1868 atque *declaratoriam* commissi delicti, I° *a poena* illa *observanda delinquens excusatur,* « ergo pro utroque foro », *quoties eam servare sine infamia* inde ob circumstantias consequente *nequit*, in obsequium iuris naturalis famam protegentis, imo *et* II° *in foro externo* tantum, idest: coram societate vel fidelibus, aliter dicendum pro eiusdem delinquentis confessario, *ab eo* supple « delinquente » supra declarato *eiusdem poenae* « latae sententiae » debitam *observantiam exigere* urgendo iudicialiter vel extraiudicialiter, quod non esset, si merum adhiberetur consilium forsan rationibus fulcitum, *nemo potest,* sive Superior sit, sive privatus, v. gr. promotor iustitiae, *nisi delictum sit notorium* « notorietate facti » (can. 2197, 3°) ex canonis contextu, quae exceptio num° II° tantummodo evidenter afficit. Sic explicit §[us]: *firmo praescripto can. 2223 § 4* normae huius canonis non

contrario, sed perfectivo. In illo enim exigitur declaratoria sententia, non poenae observantia ante illam, eo quod « sive ad instantiam partis cuius interest, sive bono communi ita exigente, sententia declaratoria dari debet ».

Huius vim tradit § 2. *Sententia declaratoria* delicti commissi, quod poena latae sententiae ius plectitur, illam *poenam*, non iam quoad antedictum sententiae huiusmodi effectum, sed quoad poenae iuridicos effectus *ad momentum commissi* prius *delicti* de quo agatur *retrotrahit*, quantum possibile est, v. gr. amissio fructuum perceptorum ex officio, quo privatus fuerat ipso facto delicti.

Constat hunc canonem ius vetus omnino referre. Alex. enim III sic respondit[1]: « Fraternitati tuae mandamus, quatenus si eorum excessus publicus non sit et notorius, eos ecclesiastica censura compellas: ut infra conveniens tempus, appellationem interpositam prosequantur: Si vero publicus est et notorius, appellationis obtentu non praetermittas, quin eos excommunicatos denuncies, ipsosque facias sicut excommunicatos cautius evitari, donec passis iniuriam satisfaciant, et cum litteris tuis Apostolico se conspectui repraesentent ». Atque Greg. IX secundum disciplinam suo tempore vigentem « de cohabitatione clericorum et mulierum » (III, 2) sic ait in cap. 10: « Quaesitum est de clericis in fornicationem prolapsis, si eorum sit officium, piusquam poenituerint, audiendum. Verum etsi quemlibet pro mortali peccato, quo ad seipsum constet esse suspensum, non debet tamen in officiis evitari, quia quantum ad alios etiam in casu proposito suspensus non est: nisi peccatum huiusmodi sit notorium per sententiam, seu per confessionem factam in iure, aut per evidentiam rei, quae tergiversatione aliqua celari non possit ».

53. **Praerequisita poenarum inflictioni,** existentia delicti singularis praesupposita, exponit *can. 2233*. §. *1. Nulla poena* medicinalis aut vindicativa, aliter dicitur de poenitentiis et remediis poenalibus per alios canones, *infligi* a Superiore vel a iudice *potest*, alias ergo esset invalida sententia vel decretum, *nisi certo* moraliter *constet* a) *delictum commissum fuisse* equidem a persona, cui poena infligitur, *et* b) *non esse legitime* ad normam can. 1703, 1705 *praescriptum* quoad actionem criminalem non subeundam. Hoc non urget praescriptum quoad « omnia quae in casu (can.[s] 2222

[1] Cap. 13 « Pervenit ad nos », tit. XXVIII « de appellationibus », Lib. II, X.

§ 2) non habent rationem poenae » Ita plene observatur principium enunciatum in reg. iuris 23 in 6°: « Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus ».

De secundo requisito melius reservantur citato canoni testimonia veteris iuris. De primo satis erunt duo hic inserenda. In ordine iudiciario decernit Alex III [1]: « Si vero coram Episcopo de criminibus in iure confessi sunt, seu legitima probatione convicti: dummodo sint talia crimina, propter quae suspendi debeant vel deponi, non immerito suspendendi sunt a suis ordinibus, vel ab altaris ministerio perpetuo removendi ». Ordini vero extraiudiciali rationabiliter congruebant, quae Ioannes XXII inquit [2]: « Divinis exemplis, qui nostrorum debent esse actuum regula, patenter instruimur, aures nostras subditorum a suis praepositis oppressorum indebite, et aggravatorum iniuste, non obturare clamoribus, sed ipsas potius compassivis affectibus inclinare, ut si per solertis inquisitionis indaginem clamores huiusmodi opere completos esse viderimus, liberationis opportunae remedium sollicitis studiis apponamus, poena nihilominus debita punituri in hanc patratorum qualitatem excessuum illicitos oppressores ».

§ *2. Licet id,* utrumque requisitum, *legitime* seu ex facti probationibus secundum ss. canones adductis *constet,* praeter ea *si agatur de infligenda* ut supra *censura* qualibet, idest: « poena » medicinali, *reus* « vere delicti commissi » a) *reprehendatur* ob illud b) *ac moneatur* pro futuro (ac semel sufficit), *ut a contumacia recedat ad normam can. 2242, § 3,* videlicet: « illius delicti poeniteat et simul ipse congruam satisfactionem pro damnis et scandalo det aut saltem serio promittat » statim, vel *dato* seu concesso sub conditione: *si prudenti* ob rei ac delicti circumstantias *eiusdem iudicis vel Superioris* (dantis tempus) *arbitrio casus id ferat* saltem uti conveniens, *congruo ad resipiscentiam,* antequam infligatur cum effectu censura, *tempore;* post hoc vero tempus in casu, vel alias statim, *contumacia persistente* secundum cit. § 3, can.[s] 2242, *censura* quaelibet ab homine, vel ferendae sententiae determinata *infligi* statim subeunda *potest.*

Quae interpretatio authentice confirmatur quoad partem per

[1] Cap. 4 « de iudiciis » (II, 1) X. — [2] Extrav. com. un. « de poenis ».

sequentis Dubii solutionem [1]: XV. « Utram, ad normam can. 2233. § 2, ob violationem praecepti peculiaris, quod communitum erat censura ferendae sententiae, statim post delictum comprobatum censura infligi possit; an vero praemittenda sit nova monitio. Resp. Affirmative ad 1am partem, negative ad 2am ».

Non secus cautum erat in veteri iure. Sic enim decernit Innoc. III in Conc. generali [2]: « Si quis autem (clericus) super his (nempe: crapula et ebrietate) se culpabilem exhibuerit, nisi a Superiore commonitus satisfecerit, ab officio vel beneficio suspendatur ». De excommunicatione idipsum pluries in Decretalibus invenitur ac severius praescriptum, atque in ipso Conc. Trid. sess. XXV de ref. c. 3. Atque communis Doctorum sententia idem servandum docebat de qualibet censura.

54. **De infligendo remedio poenali** praescribit *can. 2234*, tum complens canonem praecedentem, tum respectu delinquentis perficiens §m 2m, can.s 2224. Iste loquitur disiunctivum modum remittens iudici, praesens autem canon praeceptivis verbis utitur. Citatus canon « de aliqua poenitentia vel remedio poenali » et pro una disiunctive parte loquitur, praesens autem sine restrictione atque remedium poenale tantummodo expressit. Videlicet: *Qui plura* eiusdem vel diversae qualitatis *delicta commisit*, pluries agens contra eamdem legem poenalem, vel huiusmodi diversas etiam semel, unoque actu, transgrediens, *non modo gravius*, quam pro uno ex his delictis *puniri* debet, ut sequitur ex cit. canone 2224, *sed si, prudenti iudicis arbitrio*, proinde solummodo in iudiciis viget hoc praescriptum, *res id ferat*, tunc *subiici* ab eo *etiam debet* ex canonis iussu a) *vigilantiae vel* b) *alii remedio poenali*, cum his enim illa connumeratur in can. 2306.

55. **De poena inferenda, dum absit delictum** proprie dictum, sed in ordine ad legem vere poenalem, praescribit *can. 2235*. Et hinc adnotetur differentia hunc inter et can. 2222, § 1 permittentem legitimo Superiori, ut poenam infligat propter transgressionem legis, quae « nullam sanctionem appositam habeat ». Examinemus praesentem canonem, qui complet §m 3m, canonis 2224. *Delictum frustratum* « proprio nomine », ut est in can. 2212, § 2

[1] Commiss. Pont. ad ss. canones auth. interpretandos. 14 Iul. 1922. CO. XIV, 530.
[2] Cap. 14 « de vita et honestate clericorum » (III, 1) X.

definitum, *aut conatus delicti,* quem committit properans solum ad executionem delicti modo descripto in § 1 citati canonis, sub conditione *nisi tanquam distincta* a frustrato vel illo cuius est conatus *delicta lege* eadem vel diversa *plectantur,* quia « si poena constituta sit » in illud vel in istum, iam per se delicta essent, *possunt* concessione huius canonis *congrua* iuxta can. 2218 *poena pro* actionis *gravitate puniri* a iudice vel a Superiore, cum hac potestatis limitatione, videlicet: *salvo praescripto can. 2213, § 3,* quando « ab omni imputabilitate liberatur » peragens alterutrum.

Praescripti exemplum nobis offert cap. 3 « de clerico percussore » (V, 26) X. Ait enim Alex. III: « Praesentium lator in quodam conflictu asserit se fuisse, pro parte tamen illorum, qui violentiam repellebant: in quo lapides ipse proiecit, sed aliquem non percussit: Quem nos (quia per alios illic aliqui dicuntur occisi) a celebratione Missarum per biennium praecipimus abstinere ».

TITULUS VII.

De poenarum remissione.

CAN. 2236. - § 1. Remissio poenae sive per absolutionem, si agatur de censuris, sive per dispensationem, si de poenis vindicativis, concedi tantum potest ab eo qui poenam tulit, vel ab eius competente Superiore aut successore, vel ab eo cui haec potestas commissa est.

§ 2. Qui potest a lege eximere, potest quoque poenam legi adnexam remittere.

§ 3. Iudex qui ex officio applicat poenam a Superiore constitutam, eam semel applicatam remittere nequit.

CAN. 2237. - § 1. In casibus publicis potest Ordinarius poenas latae sententiae iure communi statutas remittere, exceptis:

1° Casibus ad forum contentiosum deductis;

2° Censuris Sedi Apostolicae reservatis;

3° Poenis inhabilitatis ad beneficia, officia, dignitates, munera in Ecclesia, vocem activam et passivam eorumve privationis, suspensionis perpetuae, infamiae iuris, privationis iuris patronatus et privilegii seu gratiae a Sede Apostolicae concessae.

§ 2. In casibus vero occultis, firmo praescripto can. 2254 et 2290 potest Ordinarius poenas latae sententiae iure communi statutas per se vel per alium remittere, exceptis censuris specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatis.

CAN. 2238. - Poenae remissio, vi aut metu gravi extorta, ipso iure irrita est.

CAN. 2239. - § 1. Poena valide remitti potest praesenti vel absenti, absolute vel sub conditione, in foro externo vel interno tantum.

§ 2. Licet poena etiam oretenus remitti possit, si tamen scripto inflicta fuerit, expedit ut etiam eius remissio scriptis concedatur.

CAN. 2240. - Ad praescriptionem actionis poenalis quod attinet, servetur dispositio can. 1703.

56. **Inscriptio Tituli.** — Terminus poenarum restat perpendendus, et hoc praestat *Titulus VII*, huius Sectionis ultimus, agens *De poenarum* quarumlibet, tum ferendae sententiae debitarum ob delictum, tum iam incursarum, sive quia latae sententiae, sive quia subsequuta est delicto sententia condemnatoria, vel Superioris praeceptum, sive quia inflicta fuit ab homine: igitur de harum singularum *remissione*. Haec in genere ac proprie est « actus competentis auctoritatis ecclesiasticae, quo debitum poenae subeundae a reo aufertur, seu poena debita condonatur ». Si remittendae poenae sint vindicativae, ille actus vocatur peculiari nomine dispensationis, utpote « obligationis rei ex lege in casu speciali relaxatio » (can. 80), si autem sint censurae, remissio earum proprie dicitur absolutio, quia censura reputatur ad modum ligaminis solvendi ad rei petitionem, statim ac iste resipuerit simulque, quatenus opus sit, satisfecerit, propter quod similitudinem habet cum absolutione peccatorum.

57. **Canones Tituli** priores potestatem remittendi inter diversos Superiores ecclesiasticos distributam ostendunt. Primus quidem can. 2236 loquitur in genere secundum ipsius potestatis naturam, alter can. 2237 distinguit eam iuxta delictorum notitiam et poenarum diversitatem. Sequuntur duo alii canones de modis exercendi huiusmodi potestatem, ita ut can. 2238 actus validitatem attingat, alter vero can. 2239 ostendit potius quam diversimode potestas remittendi exerceri possit. Omnes canones huius Tituli de poenis iam inflictis agunt, excepto postremo can. 2240, qui ostendit, quonam peculiari modo ferendae sententiae poenae propter delictum solummodo debitae, veluti remissae dici quoad effectum possunt.

58. **Quinam in genere remittere possunt** ecclesiasticas poenas? Respondet huic quaesito *can. 2236* iuri veteri plene congruens. § *1. Remissio poenae* iam declarata, *sive per absolutionem* proprie ac speciali vocabulo dicta, *si agatur de censuris*, seu poenis medicinalibus, *sive per dispensationem* peculiariter fiat, *si* sermo sit *de poenis vindicativis*, prout hae discernuntur a penitentiis et remediis poenalibus, quibus condonandis commune remissionis vocabulum adhiberi potest, si quandoque huic locus sit. Quaecumque igitur ex praedictis « remissio » *concedi tantum potest* 1° *ab eo qui poenam tulit, a*) tum legi additam latae sententiae, *b*) tum ab ho-

mine tantum inflictam, *vel* II° *ab eius* alterutrius *competente* circa poenae inflictionem *Superiore aut successore a*) tum in potestate leges ferendi, *b*) tum in potestate poenas infligendi, *vel* III° *ab eo* clerico *cui haec* remittendi *potestas* immediate vel mediate *commissa est* a Superiore ecclesiastico, qui eamdem ordinariam habeat. Principia, in quibus praescriptum canonis fundatur, sunt: quoad I^m illa reg. iuris 1. « Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur »; quoad II^m alia 46 iuris in 6°: « Is qui in ius succedit alterius, eodem iure, quo ille, uti debebit », et quoad III^m regula 68 pariter in 6°: « Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum ».

Demum ex reg. iuris 80 in 6°: « In toto partem non est dubium contineri » profluit consequenter ex praec. §^us *2. Qui potest* iurisdictione ordinaria aut delegata *a lege* quadam sola vel cum aliis *eximere* subiectum qualitercumque, videlicet: dispensatione, indulto aut privilegio, *potest quoque,* annuente supremo legislatore per hunc, canonem *poenam legi* praefatae *adnexam,* ita ut sit ipso delicti facto inflicta, *remittere* delinquenti, sicut posset ante patratum delictum, ab eadem qua tali abducere subditum.

E contra § *3. Iudex* qua talis, seu *qui ex officio,* etsi praecedat instantia partis vel accusatio promotoris iustitiae, *applicat* reo *poenam,* proinde ferendae sententiae *a Superiore* in lege aliqua *constitutam, eam* « poenam » *semel*, adimpleto videlicet officio, *applicatam* sententia, et consequenter subeundam a reo, *remittere* idest: auferre aut condonare *nequit.* Officium enim iudicis ex proprio vocabulo est tantum dicere ius in singularibus casibus. Hinc iudici appellationis intacta manet potestas ab excommunicatione absolvendi, quam eidem adiudicat Dec. S. C. EE. et RR. « de appellationibus » [1].

59. **Ordinariorum potestas remittendi poenas** multipliciter limitatur secundum delictorum notitiam et poenarum diversitatem. Propter illam canon in §§^os distinguitur, propter istam §^us 1us numeros continet. *Can. 2237.* § *1. In casibus publicis,* eo quod delictum « iam divulgatum est aut talibus contigit seu versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri » (can. 2197, 3°), agitur enim in canone de poenis tale delictum

[1] 16 Oct. 1600, n. 12, 13.

inseparabiliter comitantibus, nam sequitur: *potest* ex hac « iuris communis » commissione *Ordinarius* ad normam can. 198, § 1 a) *poenas* tam medicinales quam vindicativas b) *latae sententiae*, excluduntur ergo poenae ferendae sententiae, postquam ob sententiam condemnatoriam inflictae sunt, c) *iure communi*, idest: Codicis, non autem iure particulari, etiamsi hoc a Rom. Pont. conditum sit, *statutas remittere*, uti norma generalis ob publicitatem, sed *exceptis:*

1° Casibus ab forum contentiosum idest: in iudicium, sive ecclesiasticum, sive laicale, dummodo tribunal sit competens, *deductis* vel ad instantiam partis, vel ad declarandas poenas. Qua posita deductione per acceptationem libelli aut accusationis a iudice, potestas Ordinarii manet in perpetuum limitata, nisi a iudice reus absolvatur per sententiam aut ab instantia. — Motivum datae a nobis interpretationis extensivae fuerunt verba « forum contentiosum » a Codice hic usitata, quamvis hoc secundum verbum in can. 1552, § 2 sensum habeat, quem excludere ob contextum potuisset legislator, adhibendo alia « ad forum iudiciale » iuxta canones de iurisdictione magis propria. Verba illa innuunt quoque « canonem ex parte (hac) tantum cum iure veteri congruere », scilicet: cum cap. 6, sess. XXIV de ref. extenso ad omnes poenas latae sententiae. Propterea, « qua congruit, ex iure antiquo aestimandus est » (can. 6, 3°), « atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus » (can. 6, 2°). Utiliter igitur, ad forum praesertim laicale quod attinet, consuli potest illius Dec. Tridentini interpretatio a cl. Card. Gasparri data [1].

« Exceptis » *2° Censuris* etiam simpliciter *Sedi Apostolicae*, sed ei taxative *reservatis* in Codice, et idipsum patet ex natura reservationis.

3° Poenis singulis hic expressis, quae vindicativae sunt: nempe: quoad clericos a) *inhabilitatis ad beneficia, officia, dignitates*, aliave *munera* sive propria clericorum *in Ecclesia*, (can. 2298, 5°), « sive quae statum clericalem non requirant » (can. 2291, 9°), *vocem activam et passivam* b) *eorumve* singulorum, quae recensita sunt *privationis* (can. 2298, 6° et can. 2291, 11°, 10°), c) *suspensionis* tantummodo *perpetuae* (can. 2298, 2°), d) *infamiae iuris* (can 2291, 4°).

[1] Tractatus canonicus « de sacra ordinatione » num. 225, ed. 1ª.

e) *privationis iuris patronatus* (can. 2291, 7°) definiti sub can. 1448 et « ut ex delictis enumeratis in § 1, n. 6, patroni censeantur ius patronatus amisisse, requiritur et sufficit sententia declaratoria » (can. 1470, § 3), *et* supple f) « privationis » *privilegii seu gratiae, alterutrius a Sede Apostolica concessae* (can. 2291, 10° et 7°). Explicatio harum poenarum remittenda est ad canones hic citatos.

§ *2. In casibus vero occultis,* idest: propter delictum « quod non est publicum » (can. 2197, 4°), sive « lateat delictum ipsum », sive saltem « eiusdem imputabilitas »; sed haec clausula « ex veteris iuris (nempe: Conc. Tridentini sub cap. 6, sess. XXIV de ref.) auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, est aestimanda », *firmo praescripto can. 2254* de ampliore facultate absolvendi in casibus urgentioribus concessa cuilibet confessario in foro sacramentali, *et 2290* in similibus casibus urgentioribus de potestate concessa cuilibet confessario in eodem foro ad obligationem servandae poenae vindicativae suspendendam, *potest Ordinarius* ad normam con. 198, § 1 *poenas* ut supra in §° 1°, non tantum suspensiones iuxta Conc. Trid., *latae sententiae iure communi statutas,* prout haec clausula manet declarata, *per se vel per alium,* quod bene adnotetur fuisse in § 1 omissum, *remittere,* « sive per absolutionem, sive per dispensationem » (can. 2236, § 1), *exceptis* quoad absolutionem *censuris* quibuslibet a) *specialissimo* b) *vel speciali modo Sedi Apostolicae* iuxta Codicem *reservatis* Haec exceptio desumpta est ex iure const.ª « Apostolicae Sedis » Pii IX [1]. E contra derogata est quoad « Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis pro eorum vero subditis » (can. 198, § 1) declaratio S. Poenitentiariae Aplcae. [2]: « An Praelati Regulares post Const. " Apostolicae Sedis ", iisdem privilegiis gaudeant quibus antea, idest possint nec ne suos subditos absolvere a casibus papalibus in dicta Constitutione simpliciter reservatis. R. Negative, salvis illis facultatibus quae promanant ex rescriptis particularibus ad tempus concessis ». Quae nunc utilitatem practicam habere queunt concessae Superioribus minoribus localibus.

Quaeres: an facultas in praec. canone elargita sit pro utroque foro et pro quibus personis illa gaudeant Ordinarii. — Ad primam quaesiti partem respondendum est cum can. 202, § 3. « Si forum,

[1] 12 Oct. 1869. — [2] 5 Dec. 1873, Collectanea S. C. de P. F. n. 1409.

pro quo potestas data est, expressum non fuerit », prout evenit in can. praecedenti, « potestas intelligitur concessa pro utroque foro », et hoc tenendum est quoad §^{m} 1^{m}, seu « in casibus publicis ». Additur in can. 202, § 3: « nisi ex ipsa rei natura aliud constet ». Quod verificatur in § 2 can. praec., nam facultas concessa est « pro casibus occultis », qui proinde ad forum internum pertinent, sed huiusmodi « potestas exerceri potest etiam in foro interno extra-sacramentali, eo quod sacramentale non exigatur » (can. 202, § 2).

Ad secundam quaesiti partem, si considerentur Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis, evidenter obtinent illas canonis facultates solummodo « pro suis subditis » (can. 198, § 1), si vero quaestio respiciat locorum Ordinarios, etiam horum praedictae facultates, utpote « potestas iurisdictionis, possunt in solos subditos (eorum) directe exerceri ». Sed haec subiectio oriri potest multiplici ex capite, videlicet: 1° ad normam can. 94, §§ 1, 2, etiam ad normam canonum de incardinatione, si fideles sint clerici: quoad religiosos vero non exemptos, propter sitam intra Ordinarii loci territorium domum ad cuius familiam illi pertineant, ac demum si potestas praedicta exerceatur in sacramentali foro, extenditur quoque ad normam can. 881. Verumtamen quoad censuras reservatas Ordinariis infra Romanum Pontificem, attendant hi oportet verba reservationis, quae fortassis eos excludant, v. gr. si censura religiosi exempti sit Superiori eius maiori reservata.

60. **Conditio ad remissionis validitatem** circa censuras statuta fuit a Greg. X in Conc. Lugdunensi expressis verbis [1]: « Absolutionis beneficium ab excommunicationis sententia: vel quamcumque revocationem ipsius, aut suspensionis seu etiam interdicti per vim vel metum extorta, praesentis constitutionis auctoritate omnino viribus vacuamus ». Hanc extendit ad cuiuscumque poenae remissionem *can. 2238* congruenter cap.[1] 5 « de regulis iuris » (V, 41) X, ubi Greg. VII ait: « Quod latenter, aut per vim, vel alias illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere ».

Etenim *poenae* medicinalis aut vindicativae *remissio*, etiam quae alias per auctoritatem competentem legitime detur, eo quod *vi* physica *aut metu gravi* in hunc finem adhibitis fuit revera *extorta, ipso iure irrita est*. Videlicet: de ipsa verum est iuris

[1] Cap. un. « de iis, quae vi metusve causa fiunt » (I, 20) in 6°.

principium per regulam 64 in 6° expressum: « Quae contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi ».

61. **Diversi modi validae remissionis,** eo quod haec sicut et poena sunt iuris ecclesiastici, sic enuntiantur. *Can. 2239. § 1. Poena* quaecumque *valide,* et consequenter etiam licite, quandocumque non obstet lex liturgica iubens determinatum modum aut vetans, vel in Codicis alio canone hic vel ille modus praescribatur, *remitti potest* a competente Superiore ecclesiastico a) reo *praesenti vel absenti,* b) *absolute vel sub conditione,* quae potest esse vel de praeterito, cuiusmodi est absolutio censurarum ad cautelam, idest: si aliquam incurrit absolvendus, vel de praesenti facto, quod dubitatur an extet aut non, vel de futuro, quae posterior conditio potest esse suspensiva, si effectiva remissio poenae a futuro eventu pendeat, aut resolutiva, cuiusmodi est absolutio censurae sub poena reincidentiae, et habetur quando remissio poenae a Superiore conceditur cum effectu, sed addita reviviscentia poenae, si hoc vel aliud factum non adimpleatur ab absoluto reo. Prosequitur canon « poenam valide remitti posse » c) *in foro externo,* et remissio poenae « valet quoque pro interno » (can. 201, § 3), *vel interno tantum,* etiamsi remissionem concedens habeat hanc potestatem ad forum internum non coarctatam, et natura casus admittat etiam remissionem poenae pro externo foro. Immo memoranda est subdivisio eodem modo, ac declaratum est, intelligenda ex can. 202, § 2 proveniens: « Potestas collata pro foro interno exerceri potest etiam in foro interno extra-sacramentali, nisi sacramentalis exigatur ».

Ultimam practicam divisionem exhibet § *2. Licet poena etiam oretenus* a Superiore valide ac licite iuxta praefatam in §° 1° declarationem *remitti possit, si tamen scripto inflicta fuerit* censura vel poena vindicativa, *expedit,* quin hoc in loco iubeatur, *ut etiam eius remissio scriptis,* solum ut de hac constet, *concedatur.*

62. **Terminus reatus poenae ferendae sententiae** hic tantum memoratur ex praecedenti Libro. *Can. 2240. Ad praescriptionem* ibi magis opportune declarandam *actionis poenalis quod attinet,* sic vocatae congruenter huic loco, sed aequipollentis actioni quae appellatur ibidem « criminalis », quia « iudicium est criminale, quando obiectum illius sunt delicta in ordine ad poenam infligendam vel declarandam » (can. 1552, § 2, 2°), *servetur,* nam

alibi obtinuit locum, *dispositio can. 1703,* ubi « triennium » est ordinarium tempus, ob diversa tamen delicta actio « uno anno, quinquennio, decennio perimitur ».

SECTIO II.

De poenis in specie.

TITULUS VIII.

De poenis medicinalibus seu de censuris.

CAPUT I.

De censuris in genere.

CAN. 2241. - § 1. Censura est poena qua homo baptizatus, delinquens et contumax, quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis privatur, donec, a contumacia recedens, absolvatur.

§ 2. Censurae, praesertim latae sententiae, maxime excommunicatio, ne infligantur, nisi sobrie et magna cum circumspectione.

CAN. 2242. - § 1. Censura punitur tantummodo delictum externum, grave, consummatum, cum contumacia coniunctum; potest autem ferri censura etiam in delinquentes ignotos.

§ 2. Si agatur de censuris ferendae sententiae, contumax est qui, non obstantibus monitionibus de quibus in can. 2233, § 2, a delicto non desistit vel patrati delicti poenitentiam cum debita damnorum et scandali reparatione agere detrectat; ad incurrendam vero censuram latae sententiae sufficit transgressio legis vel praecepti cui sit adnexa latae sententiae poena, nisi reus legitima causa ab hac excusetur.

§ 3. Contumaciam desiisse dicendum est, cum reum vere delicti commissi poenituerit et simul ipse congruam satisfactionem pro damnis et scandalo dederit aut saltem serio promiserit; iudicare autem utrum poenitentia vera sit, satisfactio congrua aut eiusdem promissio seria, necne, illius est, a quo censurae absolutio petitur.

CAN. 2243. - § 1. Censurae inflictae per sententiam iudicialem, statim ac latae fuerint, exsecutionem secumferunt, nec ab eis datur appellatio, nisi in devolutivo; item a censuris ad modum praecepti inflictis datur recursus, sed in devolutivo tantum.

§ 2. Appellatio vero vel recursus a sententia iudiciali vel praecepto comminante censuras etiam latae sententiae nondum contractas, nec sententiam aut praeceptum nec censuras suspendunt, si agatur de re in qua ius non admittit appellationem vel recursum etiam cum effectu suspensivo; secus censuras suspendunt, firma tamen obligatione servandi id quod sententia aut praecepto mandatur, nisi reus appellationem vel recursum interposuerit non a sola poena, sed ab ipsa quoque sententia vel praecepto.

CAN. 2244. - § 1. Non solum diversae, sed etiam eiusdem speciei censura potest in eodem subiecto multiplicari.

§ 2. Censura latae sententiae multiplicatur:

1° Si diversa delicta, quorum singula censuram secumferunt, eadem vel distincta actione committantur;

2° Si idem delictum, censura punitum, pluries repetatur ita ut plura sint delicta distincta;

3° Si delictum, diversis censuris a

distinctis Superioribus punitum, semel aut pluries committatur.

§ 3. Censura ab homine multiplicatur, si plura praecepta vel plures sententiae vel plures distinctae partes eiusdem praecepti aut sententiae suam quaeque censuram infligant.

Can. 2245. - § 1. Censurae aliae sunt *reservatae*, aliae *non reservatae*.

§ 2. Censura *ab homine* est reservata ei qui censuram inflixit aut sententiam tulit, eiusve Superiori competenti, vel successori aut delegato; ex censuris vero *a iure* reservatis aliae sunt reservatae *Ordinario*, aliae *Apostolicae Sedi*.

§ 3. E reservatis Apostolicae Sedi aliae sunt *reservatae simpliciter*, aliae *speciali modo*, aliae *specialissimo modo*.

§ 4. Censura latae sententiae non est reservata, nisi in lege vel praecepto id expresse dicatur; et in dubio sive iuris sive facti reservatio non urget.

Can. 2246. - § 1. Ne reservetur censura, nisi attenta peculiari gravitate delictorum et necessitate aptius providendi disciplinae ecclesiasticae et medendi conscientiis fidelium.

§ 2. Reservatio strictam recipit interpretationem.

§ 3. Reservatio censurae impedientis receptionem Sacramentorum importat reservationem peccati cui censura adnexa est; verum si quis a censura excusatur vel ab eadem fuit absolutus, reservatio peccati penitus cessat.

Can. 2247. - § 1. Si censura Sedi Apostolicae reservata sit, Ordinarius nequit aliam censuram sibi reservatam in idem delictum ferre.

§ 2. Reservatio censurae in particulari territorio vim suam extra illius territorii fines non exserit, etiamsi censuratus ad absolutionem obtinendam e territorio egrediatur; censura vero ab homine est ubique locorum reservata ita ut censuratus nullibi absolvi sine debitis facultatibus possit.

§ 3. Si confessarius, ignorans reservationem, poenitentem a censura ac peccato absolvat, absolutio censurae valet, dummodo ne sit censura ab homine aut censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata.

Can. 2248. - § 1. Quaelibet censura, semel contracta, tollitur tantum legitima absolutione.

§ 2. Absolutio denegari nequit cum primum delinquens a contumacia recesserit, ad normam can. 2242, § 3; a censura autem absolvens, potest, si res ferat, pro patrato delicto congruam vindicativam poenam vel poenitentiam infligere.

§ 3. Censura, per absolutionem sublata, non reviviscit, nisi in casu quo onus impositum sub poena reincidentiae impletum non fuerit.

Can. 2249. - § 1. Si quis pluribus censuris detineatur, potest ab una absolvi, ceteris minime absolutis.

§ 2. Petens absolutionem, debet casus omnes indicare, secus absolutio valet tantum pro casu expresso; quod si absolutio, quamvis particularis petitio facta sit, fuerit generalis, valet quoque pro reticitis bona fide, excepta censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, non autem pro reticitis mala fide.

Can. 2250. - § 1. Si agatur de censura quae non impedit Sacramentorum receptionem, censuratus, rite dispositus et a contumacia recedens, potest absolvi a peccatis, firma censura.

§ 2. Si vero agatur de censura quae impedit Sacramentorum receptionem, censuratus nequit absolvi a peccatis, nisi prius a censura absolutus fuerit.

§ 3. Absolutio censurae in foro sacramentali continetur in consueta forma absolutionis peccatorum in libris ritualibus praescripta; in foro non sacramentali quolibet modo dari potest, sed ad excommunicationis absolutionem regulariter formam adhiberi convenit in eisdem libris traditam.

Can. 2251. - Si absolutio censurae detur in foro externo, utrumque forum afficit: si in interno, absolutus, remoto scandalo, potest uti talem se habere etiam in actibus fori externi; sed, nisi concessio absolutionis probetur aut saltem legitime praesumatur in foro externo, censura potest a Superioribus fori externi, quibus reus parere debet, urgeri, donec absolutio in eodem foro habita fuerit.

Can. 2252 - Qui in periculo mortis constituti, a sacerdote, specialis facultatis experte, receperunt absolutionem ab aliqua censura ab homine vel a censura specialissimo modo Sedi Aposto-

licae reservata, tenentur, postquam convaluerint, obligatione recurrendi, sub poena reincidentiae, ad illum qui censuram tulit, si agatur de censura ab homine; ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve facultate praeditum, ad normam can. 2254, § 1, si de censura a iure; eorumque mandatis parendi.

CAN. 2253. - Extra mortis periculum possunt absolvere:

1° A censura non reservata, in foro sacramentali quilibet confessarius; extra forum sacramentale quicunque iurisdictionem in foro externo habeat in reum;

2° A censura *ab homine*, ille, cui censura reservata est ad normam can. 2245, § 2; ipse autem potest absolutionem concedere, etiamsi reus alio domicilium vel quasi-domicilium transtulerit;

3° A censura *a iure reservata*, ille qui censuram constituit vel cui reservata est, eorumque successores aut competentes Superiores aut delegati. Quare a censura reservata *Episcopo* vel *Ordinario*, quilibet Ordinarius absolvere potest suos subditos, loci vero Ordinarius etiam peregrinos; a reservata *Sedi Apostolicae*, haec aliive qui absolvendi potestatem ab ea impetraverint sive generalem, si censura *simpliciter reservata* sit, sive specialem, si *reservata speciali modo*, sive denique specialissimam, si *reservata specialissimo modo*, salvo praescripto can. 2254.

CAN. 2254. - § 1. In casibus urgentioribus, si nempe censurae latae sententiae exterius servari nequeant sine periculo gravis scandali vel infamiae, aut si durum sit poenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut Superior competens provideat, tunc quilibet confessarius in foro sacramentali ab eisdem, quoquo modo reservatis, absolvere potest, in-

Caput I De censuris in genere —
- — infligendis —
  - — notio ac adhibenda circumspectio Can. 2241
  - — ob delictum cum determinata contumacia » 2242
  - — per sententiam vel ad modum praecepti » 2243
- — quotupliciter —
  - — illae multiplicentur » 2244
  - — distinguantur ob revelationem » 2245
- — reservandis —
  - — sub qua conditione, interpretatione quidve implicet » 2246
  - — cum quibus iuris limitationibus » 2247
- — absolvendis —
  - — necessario et quacum sequela » 2248
  - — cum diversa amplitudine » 2249
  - — simul vel seiunctim a peccatis quave sub forma » 2250
  - — pro quo foro » 2251
  - — per quos et quo modo —
    - — in periculo mortis » 2252
    - — extra mortis periculum —
      - — ordinarie » 2253
      - — in casibus urgentioribus » 2254

iuncto onere recurrendi, sub poena reincidentiae, intra mensem saltem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve Superiorem praeditum facultate et standi eius mandatis.

§ 2. Nihil impedit quominus poenitens, etiam post acceptam, ut supra, absolutionem, facto quoque recursu ad Superiorem, alium adeat confessarium facultate praeditum, ab eoque, repetita confessione saltem delicti cum censura, consequatur absolutionem ; qua obtenta, mandata ab eodem accipiat, quin teneatur postea stare aliis mandatis ex parte Superioris supervenientibus.

§ 3. Quod si in casu aliquo extraordinario hic recursus sit moraliter impossibilis, tunc ipsemet confessarius, excepto casu quo agatur de absolutione censurae de qua in can. 2367, potest absolutionem concedere sine onere de quo supra, iniunctis tamen de iure iniungendis, et imposita congrua poenitentia et satisfactione pro censura, ita ut poenitens, nisi intra congruum tempus a confessario praefiniendum poenitentiam egerit ac satisfactionem dederit, recidat in censuram.

63. **Inscriptiones Sectionis, Tituli et Capitis.** — Vidimus in can. 2216, quod « in Ecclesia delinquentes puniuntur » diversis poenis. Cum igitur hucusque tractaverit Codex de illis in genere, dans praescripta omnibus communia, nunc ponitur *Sectio II* huius Partis secundae Libri V ad tractandum *De poenis* ibi enumeratis *in specie,* quatenus cum ceteris conveniunt iuridice ob canones praecedentes, ac mutuo differunt propter sequentes. Praeterea divisio in cit. can. declarata, exigit subdivisionem Sectionis in tres Titulos. Primus est *Titulus VIII. De poenis medicinalibus seu de censuris,* quae inscriptio iam illo in loco fuit explicata, atque processus logicus expetit, ut duo Capita subnectantur ei, atque *Caput I.* inscribitur *De censuris in genere,* sic innuens in eo inveniri canones, quorum praescripta quibuslibet earum poenarum aptantur.

64. **Canonum coordinatio** sic logice facta est, ut posita notione censurae cum necessaria animadversione in can. 2241, inflictio earum consideretur, quoad delictum in quocumque casu requisitum per can. 2242, et quo cum effectu per sententiam aut ad modum praecepti sub can. 2243. Sequuntur duo canones 2244, 2245 de censurarum distinctione, tum numerica seu in subiecto, tum in seipsis causa reservationis. Huius vero servanda conditio, interpretatio atque implicite contentum traduntur a can. 2246, atque ipsius a iure limitationes exhibet can. 2247. De absolutione censurarum tractant canones usque ad capitis finem: primo quandonam illa sit danda et cum qua duplici sequela iuridica ostendit can. 2248, cui subditur can. 2249 de amplitudine absolutionis, secundo can. 2250 et 2251 loquuntur de relatione absolutionis censurarum cum altera a peccatis, hinc de illius forma et statim pro quo foro valeat. De-

mum quinam absolvere valeant et quaenam limitationes conditionesve subintelligantur, edocemur per can. 2252 quoad mortis periculum et per can. 2253, 2254 extra illud, tum ordinarie tum in casibus urgentioribus.

65. **Censurarum notio et adhibenda circumspectio.** — *Can. 2241. § 1. Censura* a censendo seu corrigendo est dicta, quod erat in iure Romanorum, a quo verbum illud provenit, officium Censorum, qui mores civium publica auctoritate reprehendebant et censoria nota in tabulis signabant. In Ecclesia illud verbum adhibebatur ad significandum poenas diversi generis, veluti, praeter suspensionem ac excommunicationem, depositionem quoque ac publicam poenitentiam. Ita in scripto quoque iure censura fuit verbum ex se ambiguum usque ad annum 1214 in quo Innoc. III restrinxit authentica declaratione illius significationem ad poenas solas medicinales. Propter quod secundum ius praecedens asserit canon: « censura » *est poena* « ecclesiastica » prout in can. 2215 fuit definita, *qua* a) *homo,* « cuius appellatione tam feminam quam masculum contineri, non dubitatur » [1], *baptizatus*, nam « baptismate constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus christianorum officiis » (can. 87), proindeque potestati eius coercitivae subditur. b) *delinquens*, idest: violans « legem aut praeceptum, cui (alterutri) addita sit sanctio canonica » (can. 2195), c) *et contumax,* quae conditio in can. seq. explicatur a legislatore, atque huiusmodi est censurae cuiuslibet subiectum, et *quibusdam,* nempe: solum externis ac sub Ecclesiae auctoritate positis *bonis* a) *spiritualibus* in se ac forsitan supernaturalibus, *vel his spiritualibus adnexis,* tum praecedenter ut calix consecratus, tum concomitanter ut praebenda beneficii, tum consequenter uti ius decimas percipiendi, sed quatenus ad finem Ecclesiae supernaturalem ordinatis, *privatur* saltem quoad eorum usum pro utroque foro, *donec, a contumacia* a) *recedens,* modo in seq.[s] can.[s] § 3° descripto, b) *absolvatur* ab habente hanc potestatem. Ita in Clem. un. « de consanguinitate et affinitate » (IV, 1) inquit Clemens V in Conc. Viennensi: « Praecipientes ecclesiarum praelatis, ut illos quos eis constiterit taliter contraxisse, excommunicatos publice tamdiu nuntient, seu a suis subditis faciant nuntiari, donec suum humiliter recognoscentes errorem, se-

[1] l. CLII, tit. 16, L. L. D.

parentur ab invicem, et absolutionis obtinere beneficium mereantur ». Atque in Dec. C. S. Officii [1] invenimus prop. damnatam « 44. Quoad forum conscientiae, reo correcto eiusque contumacia cessante, cessant censurae ».

De prudentia monet censuras ferentem § 2. Ait enim Innoc. IV in Conc. Lugdunensi [2]: « Cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis: disciplinans, non eradicans: dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat: caute provideat iudex ecclesiasticus, ut in ea ferenda ostendat se prosequi quod corrigentis fuerit et medentis ». Postea dat iudici apta ad hoc praescripta, suspensionem latae sententiae adnectens: « ut poena docente discant iudices, quam grave sit excommunicationum sententias sine maturitate debita fulminare. Et haec eadem in suspensionis et interdicti sententiis volumus observari ».

Item Congr. S. Officii « super casuum conscientiae reservationibus » [3] instruxit Rdmos Ordinarios his verbis: « 5. Cauti insuper omnino sint et quam maxime parci quod ad poenales sanctiones, excommunicationes praesertim, quibus forte suas reservationes communire velint; nam, ut sapienter admonet Sacrosancta Tridentina Synodus [4]: Quamvis excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticae disciplinae et ad continendos in officio populos valde salutaris; sobrie tamen magnaque circumspectione exercendus est, cum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quam formidari et perniciem potius parere quam salutem ».

Haec ratio experientiae, cum respiciat naturam censurarum, suadet fuisse quam merito insertum in Codice ius praecedens eiusque verbis. *Censurae* « excommunicationis, suspensionis et interdicti », *praesertim latae sententiae*, eo quod « incurrantur ipso facto commissi delicti » (can. 2217, 2°), *maxime* hoc modo et inter alias censuras *excommunicatio*, prout habent citatae auctoritates, et quia gravissima poena est inter omnes, *ne infligantur*, a Superioribus ecclesiasticis per leges aut ad modum praecepti particularis, nec a iudicibus, *nisi sobrie* quoad frequentiam ac selectionem earum, *et cum* circumstantiarum *circumspectione* de personarum, locorum, ac temporis conditionibus.

[1] 18 Martii 1666. Denzinger. n. 1144. — [2] Cap. 1 « de sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti » (V, 11) in 6°. — [3] 13 Iul. 1916, CO. VIII, 314. — [4] Sess XXV, de Ref. cap. 3.

66. **Delictum censura puniendum et de contumacia** delinquentis. Cum Codex normas de censuris imponat Superioribus infra Rom. Pontificem, sive legem sive praeceptum hi ferant, atque iudicibus, edocet quid censura puniri oporteat *Can. 2242. § 1 Censura* « delicto proportionala » (can. 2218, § 1) *punitur* in lege, ad modum praecepti, vel in iudicio, *tantummodo*, ita ut alia peccata excludantur, quae, sicut etiam si deficiat in delicto aliqua subsequens conditio, hoc vel illa non puniuntur censura, seu quod idem est censura erit nulla et irrita, atque proinde in canone idipsum « aequivalenter statuitur » (can. 11). Materia ergo censurae est a) *delictum*, et quia canon « applicatur etiam violationibus praecepti » (can. 2195, § 2), dum ibi in § 1° tantummodo sunt posita verba « externa et moraliter imputabilis », non fuit vanum addere hic etiam b) *externum*, quo verbo innuitur, non sufficere ad incurrendam censuram voluntatem deliberatam delinquendi, nec praecepta actuum internorum, quando dari queant, censuris muniri posse, c) *grave*, tum quoad culpam, tum quoad materiam legis vel praecepti saltem ex circumstantiis quoad omnes communibus, ita ut si una vel altera desit gravitas, censura non incurratur, d) *consummatum* idest: completum secundum proprium legis vel praecepti tenorem, e) *cum contumacia* in eius commissione vel sequelis, aut saltem impoenitentia *coniunctum*, ut postea hoc in canone exponitur: explicitque canon monitione sequenti: *potest autem ferri censura*, non tantum iure sed ab homine *in delinquentes* quoad personas *ignotos*. Exemplum huiusmodi videri potest in cap un. « de furtis » in Extrav. com., ubi etiam providetur de intimatione monitionis praeviae, quae necessaria ad incurrendas censuras sit in hypothesi sufficiens.

Definitionem datam complet iuxta praecedens ius § *2* enuntians quo modo in eodem subiecto verificetur quod « delictum sit cum contumacia coniunctum, dicens: *Si agatur* 1° *de censuris ferendae sententiae*, quae nempe: « a iudice vel Superiore (adhuc) infligi debeant », sive a iure sint, sive ab homine (can. 2217. § 1, 2°, 3°), *contumax est* respectu delicti patrandi vel patrati, *qui*, a) *non obstantibus* idest: effectu destitutis *monitionibus* necessario praemittendis praedictae poenarum inflictioni, *de quibus* decernetur *in can. 2233*, § *2* tunc declarando, b) *a delicto* perpetrando vel prosequendo *non desistit*, *vel* disiunctive a praecedenti conditione *patrati* utpote iam transacti *delicti*, illo et hoc iam de-

clarato in § 1°, *poenitentiam* sumptam pro resipiscentia cum illius nominis poena, si imponatur, ac insuper in delicto quod aliis damnum intulit, *cum debita* ex iure naturali *damnorum* tertiae personae physicae vel moralis *et* nominatim *scandali reparatione,* forsitan per iudicem Superioremve determinanda, *agere detrectat* positive aut saltem omissione; II° *ad incurrendam vero censuram latae sententiae*, videlicet: quae « determinata ita sit addita legi vel praecepto ut incurratur ipso facto delicti » (can. 2217, § 1, 2°), *sufficit*, ad contumaciam etiam quod attinet, *transgressio legis vel praecepti cui sit adnexa latae sententiae*, vel aequipollentibus verbis, *poena* praefata, nam illa legis vel praecepti sententia vices gerit monitionis, *nisi reus* ratione alterutrius violationis *legitima causa* inter declaratas sub Titulo VI *ab hac* supple « poena » *excusetur.*

Hoc multiplex praescriptum non est novum. Sic enim scriptum est in cap. 5 « de sententia excommunicationis... etc. » (V, 11) in 6°: « Caveant etiam ne tales sententias excommunicationis, sive specialiter, sive generaliter in aliquos pro futuris culpis, videlicet si tale quid fecerint, vel etiam pro iam commissis sub hac forma: si de illis intra tale tempus minime satisfecerint, proferre praesumant, nisi mora in exhibenda satisfactione vel culpa seu offensa praecesserit, quibus merito ad iniungendam satisfactionem huiusmodi, et taliter prohibenda similia inducantur aut alia rationabilis (quam in ipsis sententiis exprimant) causa subsit ». Et in cap. 10 « de iudiciis » (II, 1) dictum est a Caelestino III, quod « si (clericus) depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet ». De monitionibus autem praemittendis non deest textus. Sic enim legitur in cap. 26 « de appellationibus... » (II, 28) X: « Praesenti decreto statuimus (ait Alex. III in Conc. Lateranensi) ut nec praelati (nisi canonica commonitione praemissa) suspensionis vel excommunicationis sententiam proferant in subiectos: nisi forte talis sit culpa, quae ipso suo genere suspensionis vel excommunicationis poenam inducat », latae videlicet sententiae.

Explicata clausula « cum contumacia coniunctum » delictum, Codex procedit ad aliam similem can^s. 2241 § 1 exponendam: « donec, a contumacia recedens, absolvatur ». Propter quod adiungitur § *3. Contumaciam desiisse dicendum est* secundum ius, ac proinde saltem petens reus est absolvendus, *cum* a) *reum* censura

ligatum *vere,* prout externe iudicari potest, sed *delicti* ad normam totius can. 2195 et iam *commissi* ex animo *poenituerit,* quod secumfert voluntatem adimplendi convenientem, quae imponatur, poenitentiam, *et simul ipse* reus, non alter pro eo, attamen quando casus id requirat, b) *congruam* sequentibus *satisfactionem*, scilicet: honoris specialem significationem, calumniae aut haeresis retractationem, bonorum restitutionem vel reparationem, *pro damnis* diversis ex delicto ortis *et scandalo* removendo *dederit*. per « satisfactionis » implementum, *aut* c) alternative cum praec. additur, *saltem*, quod ad absolutionem saltem conditionatam sufficiens erit, *serio*, ita ut ei prudenter credendum sit, *promiserit* se ipsum adimpleturum illam; verumtamen iudicium de his esse faciendum quisque videt, debuit ergo sic praescriptum compleri: *iudicare autem, utrum* a) *poenitentia vera sit,* prout requiritur, b) *satisfactio congrua aut* c) *eiusdem promissio seria* iuxta declarationes, *necne*, idest: quamlibet ex his conditionibus deficere, *illius est*, non rei, nec iudicis aut Superioris, a quo censura inflicta processit, sed *a quo* habente facultatem *censurae* incursae *absolutio* necessaria *petitur*, quo verbo innuitur preces huiusmodi praevie requiri.

Ex iure veteri afferre possumus tanquam apta testimonia, quae habentur in Pontif. Rom. [1]: « Circa absolutionem vero ab hac maiori excommunicatione, sive a canone, sive ab homine prolata, tria sunt specialiter attendenda. Primum est, ut excommunicatus iuret ante omnia parere mandatis Ecclesiae, et ipsius absolventis super eo, propter quod est ligatus vinculo excommunicationis, et si propter manifestam offensam excommunicatus sit, quod ante omnia satisfaciat competenter ». Hoc ultimum liquet ex Rit. Rom. aiente [2]: « haec servanda sunt. Primo, ut excommunicatus ei, ob cuius offensam in excommunicationem incurrit, prius, si potest, satisfaciat. Quod si tunc non possit, sufficientem cautionem praebeat, aut saltem, si eam praestare non potest, iuret se, ut primum poterit, satisfacturum ». Et similia dicuntur in eodem Rituali [3]: « Sacerdos... ne absolvat eos... aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant »: quando vero « cessat omnis reservatio », monet: « sed prius si potest, cui debet (absol

[1] Tit. Ordo excommunicandi et absolvendi. — [2] Tit. 3, Cap. III, de absolutione ab excommunicatione in foro exteriori, n. 2. — [3] Ordo ministrandi Sacramentum Poenitentiae.

vendus), satisfaciat ». Et haec omnia adhuc vigent in canone implicita. — De sola poenitentia necessaria testimonium habemus Innoc. III dicentis in cap. 11 « de constitutionibus » (I, 2) X: « cum tam iuris canonici quam nostri moris existat, ut is qui propter contumaciam communione privatur, cum satisfactionem congruam exhibuerit, restitutionem obtineat: Mandamus quatenus supradictum magistrum statutis vestris nunc humiliter parere curantem, ad communionis vestrae consortium in magistralibus admittatis ». In mandato patet sensus « tam iuris canonici, quam moris ».

Ultima vero §[i] pars suadetur in veteri iure ob Decretalem Alex. III [1], quando ait: « Sane si quis pro contumacia, vel alia qualibet causa, interdicto vel excommunicatione tenetur adstrictus, et offert se ad iustitiam de his pro quibus sententiam ipsam excepit: iudex eum (ne in excommunicatione decedat) absolvere poterit: etiam si pars adversa ne absolvatur, appellationis obstaculum interponat ».

67. **De censuris ab homine** et « quae considerantur tanquam ab homine » (can. 2217, § 1, 3°) tractat *can. 2243* quoad suspensionem earum, ne incurrantur propter appellationem vel recursum. § *1. Censurae* quaelibet « ferendae sententiae », quia *inflictae per sententiam iudicialem*, igitur ad normam can. 1868, § 1, *statim ac* sic *latae fuerint*, a) *exsecutionem secumferunt*, quin proinde expectandum sit, ut « res iudicata habeatur » (can. 1902), sequitur enim b) *nec ab eis* censuris sic latis *datur appellatio*, *nisi in devolutivo*, scilicet: quae « non suspendit exsecutionem sententiae » supra positam, « licet lis adhuc pendeat circa meritum causae », idest: circa iustitiam inflictionis censurae. Atque hoc fuit exprimendum propter contrariam normam §[i] 2[i] can.[s] 1889.

Prosequitur canon: *item* ob paritatem *a censuris* quibuslibet ab homine, quia *ad modum praecepti*, sive extraiudicialiter, sive per « iudicis pronunciationes, quae decreta vocantur » (can. 1868, § 2) *inflictis*, proindeque statim incurrendis, *datur recursus* ad Superiorem competentem, *sed in devolutivo tantum*. Videlicet: incurritur censura, quamvis possit ab illo Superiore iniusta declarari post negotii examen.

Hoc praescriptum huius canonis sicut et sequens iam inve-

[1] Cap. 26 « de appellationibus... » (II, 28) X.

niuntur sparsim in iure praecedenti. Porro Bened. XIV in sua const. « Militantis » [1] districte praecepit, ne aliqua « per quae Decretorum Conc. Tridentini exequutio retardetur, aut processus ad ulteriora in eadem exequutione suspendatur, aut impediatur, quoquo modo concedantur ». Deinde in num. 7, 8, 14, 25, peculiariter censuras meminit, quae ab Ordinariis infligantur. Imo idem servandum esse circa suspensionem ex informata conscientia, concordat Benedicto XIV S. Congregatio de Prop. Fide inquiens[2]: « 12... in casu quo clericus absque sufficienti ac rationabili causa se hac poena mulctatum reputet, recurrere poterit ad Summum Pontificem (paulo ante dixit: ad Apostolicam Sedem). Interim tamen in vigore permanet decretum suspensionis usque dum ab ipso Pontifice, vel a Sacra Congr., quae de recursu iudicare debet, non fuerit rescissum aut etiam moderatum ».

In ordine item iudiciali pariter Bened. XIV in cit. const. haec habet: « 36. Item a comminatione excommunicationis a iure latae, et a sententia excommunicationis latae ab homine, suspensionis et interdicti, (non detur effectus in suspensivo), nisi appellatio fuerit interposita ex capite nullitatis ». Atque in n. 45: « Cum vero a gravamine, quod per definitivam reparari nequit, appellatum fuerit,..... ubi agatur de censuris iam prolatis, vel de comminatione censurarum, observetur omnino dispositio Decretorum Congregationis Episcoporum sub. rec. mem. Clem. VIII, iuxta additiones et declarationes piae mem. Bened. XIII ». Haec de iure veteri sufficiant.

§ 2. *Appellatio vero*, idest: « provocatio ab inferiore iudice, qui sententiam tulit, ad superiorem » (can. 1879) *vel recursus* ad competentem Superiorem adversus decretum iudicis vel Superioris subordinati, illa *a sententia iudiciali* quando « est locus appellationi » (can. 1880), vel iste a *praecepto* iudicis vel Superioris *comminante*, nempe: adiunctam habente hanc comminationem, *censuras* quaslibet, non iam infligente eas, *etiam latae sententiae*, ita ut « incurrantur ipso facto violationis praecepti » (can. 2217, § 1, 2°), sed has *nondum contractas*, secus inciderent sub §[i] 1[i] praescripto, *nec* « appellatio » *sententiam* quoad suos effectus, *aut* « recursus » *praeceptum* quoad eius observantiam, *nec* illa et iste *censuras* com-

[1] 30 Martii 1742. — [2] Instr. S. C. de Prop. Fide, 20 Oct. 1884, Collectanea S. C. de P. F., n. 1628.

minatas *suspendunt*, ita ut actus iudicis vel Superioris circa istas inefficax interim reddatur. — Haec multiplex norma viget sub conditione: *si agatur de re*, tam iudiciali quam extraiudiciali, *in qua ius* scriptum vel consuetudinarium *non admittit* modo positivo tam in iudicialibus propter can.[s] 1889, § 2, quam extra iudicium, eo quod volente Codice prohibere suspensivum effectum, exprimitur hoc in singulis legibus, *appellationem* supra declaratam *vel recursum* antedictum, absolute vel *etiam cum effectu* eorum *suspensivo* iam explicato.

Prosequitur canon relatus ad praec. partem: *secus* videlicet: si conditio apposita non verificetur pro multiplici appellatione et recursu supra declaratis, haec a) *censuras* solas *suspendunt*, ita ut non sint hac subeundae, nec statim, nec post tempus, b) *firma tamen obligatione servandi id quod sententia aut praecepto* ulterius *mandatur*, sed quoad hanc obligationem subnectitur exceptio: *nisi reus* de quo tractat §[us] *appellationem vel recursum* supra relatos *interposuerit* a) *non a sola poena* censurae, *sed* b) *ab ipsa quoque sententia vel praecepto* respective.

68 **Censurarum multiplicatio** possibilis agnoscitur cap.[e] 1 « de poenis » (V, 37) X statuente: « Ea, quae frequenti praevaricatione iterantur, frequenti sententia condemnentur », quod non solum de pluribus delinquentibus esse intelligendum, ut patet, sed de uno et eodem reo, ut innuit verbum « iterantur », et circa censuras edicit *can. 2244*. Censurae namque ad modum vinculi, quod actus quosdam impedit, concipitur ex iure, proindeque vincula huiusmodi multiplicari absonum non est. Modum vero sic asserit § *1. Non solum diversae*, v. gr. excommunicatio post suspensionem, utpote quae habent prohibitiones distinctae amplitudinis, *sed etiam eiusdem speciei censura* v. gr. excommunicatio *potest in eodem subiecto* delinquente *multiplicari*. Quae multiplicitas provenit ex causa censurarum incursarum completa, nempe: ex legis vel praecepti poenalis auctoritate, illiusque violatione. Hinc duo §§[i].

§ *2. Censura* quaelibet ex tribus a iure, sed *latae sententiae*, cum « incurratur ipso facto commissi delicti » (can. 2217, § 1, 2°), *multiplicatur:*

1°. Si a) *diversa* ob plures canones poenales vel unum multiplicem, *delicta*, b) *quorum singula censuram* statim subeundam *secumferunt* ob illos canones, vel unius multiplicitatem, c) *eadem*

v. gr. quoad legem multiplicem, religiosus votorum perpetuorum cum religiosa huiusmodi attentans vel contrahens matrimonium; quoad plures leges, qui, ingrediens illicite clausuram monialium, simul violentas manus iniicit in monialem illi se physice opponentem, *vel distincta actione* v. gr. ille, a quo clausura violatur, si postea vulnerat Superiorissam, quam expertus est in aliis sibi contrariam, *committantur* complete iuxta legis multiplicis vel duarum tenorem;

2.° Si a) *idem*, propter unicum legis poenalis praescriptum, *delictum*, b) *censura* in lege ut supra *punitum*, c) *pluries repetatur*, vel ratione diversorum actuum vel causa plurium transgressionum per unicam actionem, v. gr. qui unico ictu sclopeti plures clericos occidit, propter quod clausula postrema sic declaratur: d) *ita ut plura sint delicta* numero *distincta*, sicuti verum est in adducto exemplo;

3° Si delictum unicum propter actionem atque legis transgressionem a) *diversis censuris*, non vero si eadem censura v. gr. excommunicationis, b) *a distinctis* numero *Superioribus*, quorum potestati legislativae subiiciatur, v. gr. a Conc. Provinciali et ab statuto Synodali, *punitum, semel aut* fortiori motivo, si *pluries*, uti verbum supra declaratum est, *committatur* secundum explicationem sub n° 1°.

§ *3. Censura* quaelibet etiam eadem, sed *ab homine*, sive simpliciter, sive quae «est a iure simul et ab homine» (can. 2217, § 1, 3°), *multiplicatur, si* a) *plura* in se, vel propter diversos Superiores iudicesve, *praecepta*, *vel* b) *plures* eiusdem iudicis aut diversorum *sententiae*, *vel* c) *plures* vere *distinctae partes eiusdem* ob unum tenorem *praecepti* relate ad litteram a) *aut sententiae* quoad litteram b) *suam quaeque a*) praecepta, *b*) sententiae, *c*) partesque praedictae *censuram*, non iam quando comminentur, sed *infligant* iamiam subeundam.

Ex fontibus Codici additis, cap. 27 «de sententia excommunicationis» (V, 39) X respicit casum contentum sub § 2, n. 1°, cap. 42 eiusdem tituli exemplum affert praescripti sub §° 3° propter plura praecepta vel plures sententias, cum in illo sermo sit de eadem excommunicationis censura. Qua de causa exemplum eiusdem §[i] 3[i] exhibetur in cap. 2, «de sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti» (V, 10) in Clem., quamvis potius attingat cen

sura « plures distinctas partes eiusdem sententiae ». Agitur enim de delictis iam perpetratis.

69. **Divisiones censurarum** quoad earum absolutionem. In cap. 29 « de sententia excommunicationis » (V, 39) X ait Innoc. III: « In secundo vero casu a suo episcopo vel a proprio sacerdote poterit absolutionis beneficium obtinere..., quia tamen conditor canonis eius (excommunicationis) absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi ». Hoc in sensu declarat *can. 2245. § 1. Censurae* quaelibet *aliae sunt reservatae,* quia infligens eas a iure vel ab homine, retinuit absolutionem per se vel per alium dandam, *aliae non reservatae*, proindeque concessa aliis facultate relaxandi earum vinculum.

In cap. 11 « de officio iudicis ordinarii » (I, 31) X Innoc. III respondet: « Ad postulationem dicimus, quod cum delegatus (Sedis Apostolicae, qui reum propter contumaciam manifestam, excommunicationis vinculo innodavit) quantum ad illud, sit maior ordinario, sine mandato summi pontificis excommunicatus ab huiusmodi delegato, non potest per alium (praeterquam in mortis articulo) absolutionis gratiam obtinere, nisi forsan delegatus talis extiterit, cui alius succedat in onere et honore ». Idem Pontifex sic respondet ad quaesitum: « utrum qui nominatim excommunicatis scienter communicant, absolvi ab excommunicatione possint per confessionem a simplici sacerdote, vel episcopi seu archiepiscopi sit ab eis absolutio expetenda? »[1]. — « In primo quidem articulo, cum talis communicet crimini, et participet criminoso, ac per hoc ratione damnati criminis videatur in eum delinquere, qui damnavit: ab eo, vel eius Superiore, merito delicti, tunc erit absolutio requirenda: cum facientem et consentientem par poena constringat ».

Huic ergo iuri praecedenti congruit § *2. Censura* quaelibet *ab homine*, etiam illa quae « tanquam ab homine consideratur » (can. 2217 § 1, 3°), *est reservata* vi huius praescripti a) *ei qui censuram* illam singularem *inflixit* « per modum praecepti peculiaris », *aut sententiam* « iudicialem condemnatoriam » *tulit*, « etsi iure statuta » fuerit talis censura (can. cit.), b) *eiusve* Superioris vel iudicis *Superiori competenti* ordinis respective extraiudicialis vel iudicialis, *vel* c) *successori* eorum sub *a*) et *b*) in singulari

[1] Cap. 29 « de sententia excommunicationis » (V, 39) X.

officio, *aut* d) *delegato* cuiuslibet praedictorum iuxta reg. iuris 68 in 6°: « Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum ». — *Ex censuris vero* quibuslibet, sed *a iure* uniuscuiusque canonis *reservatis* subdistinguendo additur: *aliae sunt reservatae Ordinario* ad normam can. 198 § 1, quandoque per hoc vocabulum, quandoque verbis « Superiori maiori », *aliae Apostolicae Sedi* ad normam can. 7. Videlicet: pro personis utriusque sexus tam religiosis, quam novitiis, quam viventibus in communi more religiosorum, Sacrae Congr. de religiosis, pro subditis sequentis, Sacrae Congr. pro Ecclesia Orientali, pro territorio proprio, Sacrae Congr. de Prop. Fide, in aliis vero territoriis pro clero et populo, Sacrae Congr. Concilii, pro Ordinariis vero locorum, si casus acciderit, Sacrae Congr. Concistoriali. Haec sunt vera ad forum externum quod attinet. exceptis censuris ob delictum S Officii saltem huic Congregationi deductum; pro foro autem interno est exclusiva competentia Sacrae Poenitentiariae. Nec differt in hac parte ius praecedens sic traditum in Rit. Rom. [1]: « Sciat (Confessarius) casus et censuras Sedi Apostolicae, et Ordinario suo (nunc addendum: ac Praelatis religiosorum exemptorum, iure communi) reservatas ».

§ *3* conservat distinctionem in ius inductam quoad membra duo per const. « Apostolicae Sedis » Pii IX [2], quoad ultimum a Doctoribus cum iuris fundamento. En textus canonis. *E reservatis Apostolicae Sedi,* ut supra, quibuslibet supple « censuris » *aliae sunt reservatae simpliciter,* hoc est sine addito, vel illo verbo, *aliae* supple « reservatae » verbis adiunctis: *speciali modo*, et adhuc *aliae* selectae, quae in Codice taxative dicuntur « reservatae » *specialissimo modo.* Quae distinctio innuit difficultatem absolutionis earum.

Quia iuxta reg. iuris 15 in 6° « Odia restringi convenit », et iuri praec. sub initio canonis relato congruenter statuit § *4. Censura latae sententiae* quaelibet *non est reservata, nisi in singulari lege vel praecepto* Superioris communi, in ipsis statuta, *id* nempe: quod « est reservata » *expresse dicatur* saltem aequipollentibus verbis; — *et in dubio* positivo et non levi *sive iuris sive facti,* nempe: propter rationes in illo vel in huius circumstantiis fundatas, *reservatio* de qua dubitetur *non urget.* Hoc exigebat regula iuris 30 in 6°: « In obscuris minimum est sequendum ».

[1] Tit. III, c. 1, « de Sacramento poenitentiae », 4. — [2] 12 Oct. 1869.

70. Reservationis institutio, interpretatio atque virtualitas. — De hoc canonico instituto placet referre verba Bened. XIV [1], quae disciplinam praecedentem conmostrant, dum commentarium seq. can. nobis tradunt. « Ratio ac methodus a ss. canonibus ad debitam a contumacibus obedientiam exigendam praescripta. ea est, ut in maximi momenti causis... censurae adhibeantur, et ut inter casus reservatos illi etiam adiungendi sint, a quibus discrimen Religioni atque exitium imminere praevideatur. Probe notum vobis est, S. Trid. Concilium iurisdictionis vestrae firmitati consuluisse, tum cum vobismetipsis ius reservandi casus asseruit; neque eos ad publica tantum crimina restrinxit, verum etiam *ad atrociora et graviora*, dummodo mere interna non sint, extendit, atque ampliavit. Complures autem ab huiusce Almae Urbis nostrae Congr. in variis Decretis, et encycl. epistolis decisum, ac pronunciatum fuit, atrociores inter, atque graviores casus, eos recenseri debere, ad quos procliviores homines sunt, et qui coniunctam ecclesiasticae disciplinae, sive salutis animarum, quae episcopali curae commissae sunt, perniciem habent, quemadmodum a Nobis in nostro tractatu de Synodo diocesana [2] fuse ostensum est ».

Hanc retinet adamussim disciplinam *can. 2246.* § *1. Ne reservetur* ab Ordinariis *censura* quaelibet, secus « reservationes erunt omnino revocandae », uti praescripsit in casu S. Congr. de Prop. Fide [3], *nisi attenta* a) *peculiari gravitate delictorum* propter legem vel praeceptum quocum statuitur reservata, *et* simul *b*) *necessitate aptius providendi disciplinae ecclesiasticae,* seu externis fidelium actionibus per ss. canones dimetiendis, *et medendi conscientiis fidelium* sic aestimantium gravitatem illorum peculiarem.

Cum ex reservatione adaugeatur difficultas absolutionis censurarum, recte subinfertur § *2* dicens: Subaudiendae « censurae » cuiuslibet ab homine vel a iure *reservatio* qua talis etiam « Apostolicae Sedi, » *strictam recipit* canonis, praecepti, sententiae, legisve particularis *interpretationem*, salva proprietate verborum. Hoc praescriptum est comprehensum a regula 49 iuris in 6°: « In poenis benignior est interpretatio facienda ». Dixi: reservatio qua talis, nam id illegitime extenderetur ad absolvendi facultatem quod attinet,

[1] Ep. encycl. « A quo primum » 14 Jun. 1751, § 8. — [2] Lib. 5, cap. 5 per totum. — [3] Instr. (ad Vic. Ap. Sutchuen.) 6 Jun. 1817, n. 4 Collectanea S. C. de P. F. n. 723.

vel ad ipsam censurae absolutionem, quae per alios canones, interpretationem quod spectat, regulantur.

Benedictus XI in Extrav. communi 1 «de privilegiis» inquit: «Inconveniens enim existimamus, ut a peccato absolvat, qui... excommunicationem, quae infligitur maxime a iure quandoque pro crimine, quaeve quem ab Ecclesia, et per consequens a participatione ecclesiasticorum sacrorum excludit, removere non potest». Huic principio se conformat illudque ampliatum confirmat § *3*. *Reservatio* hucusque explicata *censurae* excommunicationis vel interdicti personalis, eo quod canon addit: *impedientis receptionem* qua talem *sacramentorum*, non praecise ratione loci interdicti, et quantum censura impedit illam poenitentiae «receptionem» *importat* hac de causa *reservationem peccati* absolvendi, ac reapse delicti, *cui censura* ab homine vel a iure *adnexa est*. Quia haec «reservatio peccati» est virtualis in altera censurae, animadvertitur statim: *verum si quis a censura* incurrenda vel observanda a) *excusatur* iuxta dicta sub Tit. VI vel infra de singulis, *vel* b) *ab eadem* declarata censura *fuit* etsi extra confessionem legitime *absolutus*, *reservatio* supradicta *peccati penitus*, idest: etiam postea reviviscente forsan censura, *cessat*, pro excusationis tamen tempore.

71. **De reservationis vigore**, attentis altera reservatione, territorio et absolventis ignorantia normas servandas tradit *can. 2247*. In Congr.[s] S. Officii Instructione[1] sub n. 4 praescribitur: «Prorsus autem ab iis peccatis sibi reservandis abstineant, quae iam sint Sedi Apostolicae reservata, ne scilicet absque necessitate multiplicentur leges». Et hoc iussum translatum vidimus cum distinctione. Idipsum sed severiori verbo confirmat specialiter § *1*. Tractat enim: *Si censura* quaelibet *Sedi Apostolicae a*) ab homine vel *b*) quolibet ex dictis sub can. 2245 § 3 modo *reservata sit*, *Ordinarius nequit*, (secus invalide ageret) *aliam* eiusdem vel diversae speciei *censuram* nempe: *sibi reservatam in idem b*) specie per statutum, vel *a*) singulare per modum praecepti particularis, aut sententiae *ferre*. Quoad litteram *a*) quia Sedes Apostolica manum apposuit, et ait reg. iuris 54 in 6°: «Qui prior est tempore, potior est iure». Quoad litteram *b*), quia esset inutile. Etenim verum est posse vincula multiplicari, quia delictum a diversis Superioribus sit punitum,

[1] 13 Iul. 1916, C. O. VIII. 314.

sed inconveniens est, ut Superior infra Romanum Pontificem severius animadvertat delictum, quam Sedes Apostolica censuit puniendum; et si agatur de eadem censura multiplicanda, ipse Ordinarius per reservationem vel retineret ligatum, quem Sedes Apostolica iudicaret quandoque per se aut per alium esse absolvendum, vel absolveret per se vel per alium praeveniendo circa hanc rem iudicium Sedis Apostolicae. Quod utrumque iuridice absonum esse, patet.

Vidimus in can. 2226 § 4 quod « poena (proindeque censura) reum ubique terrarum tenet », sed ait § *2. Reservatio censurae* cuiuslibet, dummodo haec latae sententiae sit, statuta *in particulari territorio*, nempe: ab Ordinario vel Concilio non Oecumenico, tunc enim est « reservatio in territorio », nam « reservatio censurae », si quae statueretur particularis a Rom. Pontifice vel Concilio Oecumenico, proprie esset « pro particulari territorio ». Illa igitur declarata *vim suam* limitandi iurisdictionem confessariorum pro foro interno, vel aliorum pro foro externo, *extra illius territorii fines non exerit,* eo quod absolventes non recipiunt fori interni vel externi iurisdictionem a Superiore reservante; additur vero iuxta notionem reservationis ex Codice: *etiamsi* taliter *censuratus* taxative *ad absolutionem* sacramentalem vel solius censurae *obtinendam e territorio*, ubi absolvi non possit, *egrediatur* solummodo, quin temporis mora quidquam influat, dummodo ibi absolvatur. Haec clausula fuit addita, ut ius praecedens derogaretur, tanquam fallentia illius regulae « fraus et dolus nemini patrocinari debent », cui illud innitebatur aiens: « nisi in fraudem reservationis egerit ».

Initio §[1] interpretati sumus reservationem de censura latae sententiae iure statuta. Hanc confirmat canon prosequens adversative: *censura vero ab homine* iuxta declarationem datam in § 2° can. 2245, ubi statuitur quibus tantum « est reservata », *est* propter rationem supradictae contrariam *ubique locorum*, ad quae se conferat censuratus, *reservata* ut in can cit.°, subditurque sensus: *ita ut censuratus nullibi* etiam in locis exemptis *absolvi valide sine debitis* ex can. cit.° *facultatibus possit.*

Codice semper prospiciente finem salutis animarum, prudentia duce, extendit simile can.[s] 207 §° 2° praescriptum ad censurarum absolutionem, dum sic dicit § *3. Si confessarius,* ergo pro sacramen tali foro, cum implicite hoc « exigatur » (can. 202, § 2), *ignorans* etiam culpabiliter, nam lex non distinguit, *reservationem* equidem

censurae ob contextum, *poenitentem*, seu in quem habeat ceteroquin sacramentalem iurisdictionem, nam verba « confessarius » et « poenitentem » hoc in loco se habent correlative, *a censura* reservata, ut supponitur, quae « importet reservationem peccati » (can. 2246, § 3), propter quod additur: *ac peccato* illo quoque *absolvat, absolutio censurae* supra declaratae, sive Sedi Apostolicae, sive Ordinario reservatae a iure *valet*, ac consequenter absolutio peccati solum virtualiter reservati, *dummodo ne* praedicta *sit* a) *censura ab homine*, saltem propter sententiam condemnatoriam, *aut* b) *censura specialissimo* tantum *modo Sedi Apostolicae reservata*. Quaeri potest num cognitio reservationis ex parte poenitentis obstet vi huius praescripti? Videtur respondendum affirmative, nisi aliunde reservatio cesset. Tunc enim deest poenitenti debita dispositio, cum in facto recipiendae absolutionis peccet contra legislatoris reservantis voluntatem. Et quia praescriptum canonis prospicit validitati absolutionis a peccato, deest mens extendendi illud ad casum propositum. Insuper fraus et dolus, sicut in casu, nemini patrocinari debet.

72. **De absolutione censurae**, quoad illius necessitatem, concessionem ac vim tractat *can. 2248*. Damnata fuit per Congr. S. Officii [1] prop. « 44. Quoad forum conscientiae, reo correcto eiusque contumacia cessante, cessant censurae ». E contrario asserit § *1. Quaelibet censura* proprie dicta, non iam homonyma poena, v. gr. « suspensio ad tempus praefinitum » (can. 2298, 2°), *semel contracta* per patratum delictum, vel per sententiam condemnatoriam, pro casuum diversitate, *tollitur tantum*, cum exclusione alterius modi, *legitima* seu iuxta ss. canones quoad validitatem data *absolutione*, quae est actus, quo legitimus Superior exprimit hoc verbo se absolvere talem personam ab incursa censura.

Hinc in praec. iure, Clementina 4 « de sententia excommunicationis... » (V, 10) dicitur: « Si Summus Pontifex scienter etiam excommunicato participet litteris, verbo, vel osculo, seu alio quovis modo: ipsum per hoc absolvere nulla ratione censetur, nisi se velle forsitan exprimat illum ex hoc pro absoluto haberi ». Immo ait Clemens XIII in const. « Inexhaustum » [2] § 5: « Ac itidem..., declaramus etiam per benedictionem, Apostolica auctoritate, sive per ipsos... Episcopos, sive per Regulares quoslibet, ut praefertur im-

[1] 16 Mart. 1666. Denzinger n. 1144. — [2] 3 Sept. 1762.

pendendam, nullam prorsus a censuris, et poenis ecclesiasticis, scienter, vel ignoranter incursis, absolutionem concedi, neque ab illis absolutio praetextu benedictionis huiusmodi susceptae praetendi possit ». Non est confundenda cum hac Papalis benedictio, de qua loquuntur can. 914, 915 cum absolutione generali, tum quae incipit: « Ne reminiscaris », tum sub aliis formulis, quae continent absolutionem a censuris ad cautelam.

Quia censurae sunt poenae medicinales ad frangendam reorum contumaciam, consequitur ex § 1° quod praescribit § *2. Absolutio* « censurae legitima » *denegari* licite *nequit* delinquenti eam petenti, iuxta illud Innoc. IV in Conc. Lugdunen:[1] « Solet a nonnullis in dubium revocari, an cum aliquis per Superiorem absolvi postulat ad cautelam, dum in se latam excommunicationis sententiam asserit esse nullam, sine contradictionis obstaculo munus ei debeat absolutionis impendi?... In prima igitur dubitatione sic statuimus observandum, ut petenti absolutio non negetur, quamvis in hoc excommunicator, vel adversarius se opponat ». Attamen canon supponit censuram esse contractam, propter quod subdit: *cum primum delinquens* ac censuratus *a contumacia recesserit* prouti hoc explicatum est *ad normam can. 2242, § 3*, nam secundum reg. iuris 5 in 6°: « Peccati venia non datur nisi correcto », et iuxta reg. 4 iuris in 6°: « Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum ».

Prosequitur legislator: *a censura autem* qualibet *absolvens* quicumque *potest* vi huius canonis, *si res ferat* secundum circumstantias, *pro patrato delicto* ob quod censura haec fuerat contracta, *congruam* eidem delicto *vindicativam poenam*, quando ipse aliunde habeat potestatem coactivam, *vel poenitentiam* semper *infligere*, quam absolutus servare debet.

Denique statuit § *3. Censura* absque earum distinctione, *per absolutionem* etiam ad normam can. 2247, § 3 vel aliorum *sublata*, uti regula generalis, eadem *non reviviscit* quolibet ex motivo, *nisi in casu quo onus* a iure vel ab absolvente *impositum* graviter *sub poena reincidentiae* (quae subintelligitur in eandem censuram) *impletum non fuerit* equidem culpabiliter, quamvis subeunda censura non distinguatur ab ea, quae fuit absoluta, veluti si absolutio data fuerit sub illa conditione ipsius resolutiva.

[1] Cap. 2 « de sententia excommunicationis... » (V, 11) in 6°.

Ita fuerat constitutum a Bonif. VIII in cap. 22 « de sententia excommunicationis » in 6°: « Eos, qui a sententia canonis (cum ad illum, a quo alias de iure fuerant absolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum, pro absolutionis beneficio habere recursum) ab alio absolvuntur: si cessante postea periculo, vel impedimento huiusmodi, se illi, a quo his cessantibus absolvi debebant, quam cito commode poterunt, contempserint praesentare mandatum ipsius super illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi, et satisfacturi prout iustitia suadebit: Decernimus (ne sic censurae illudantur ecclesiasticae) in eandem sententiam recidere ipso iure ». Atque in cap. 8 « de officio iudicis ordinarii » (I, 31) X, Innoc. III ait Archiepiscopo Rothomagen. « tu (recepta iuratoria cautione) absolutionis munus ei poteris exhibere, ita tamen quod nisi legitime tibi constiterit, eum contra iustitiam excommunicatum fuisse, ex debito sibi iuramenti praecipias, ut super eo, de quo fuerit excommunicatione notatus, eidem episcopo satisfaciat competenter: Quod si facere contempserit, eum in excommunicationis sententiam, appellatione remota, reducere non omittas ».

73. **De absolutionis a censuris amplitudine** loquitur *can. 2249* supponens traditam explicationem praescripti sub can. 2244. Tunc enim dictum est censuras esse tanquam vincula prohibentia iure a quibusdam actibus. Hinc rite intelligitur quod ait § *1. Si quis pluribus* « diversae vel eiusdem speciei » *censuris detineatur, potest ab una absolvi* legitime ac licite, *ceteris minime absolutis*. Hinc etiam a pluribus absolvi, unica relicta.

§ *2. Petens absolutionem*, cum « pluribus censuris detineatur », eo quod additur, *debet* iuris praescripto, ut simpliciter absolutus evadat, *casus* in censuram *omnes indicare* sufficienter, nam *secus absolutio* data *valet tantum* equidem iuxta § 1 *pro casu expresso* in precibus uno vel multiplici; haec est enim voluntas rescribentis secundum tenorem documenti. Prosequitur canon: *quod si absolutio*, quae in parte rescripti dispositiva invenitur, *quamvis particularis* quoad rei veritatem *petitio facta sit*, *fuerit illa generalis* ex verborum tenore, a) *valet quoque absolutio* ultra petitionem pro censuris, quibus detineatur, *reticitis bona fide*, idest: ex simplicitate, vel ignorantia tum aliarum censurarum, tum modi exarandi preces, *excepta*, si inter reticitas adsit, *censura* quaelibet *specialis-*

simo modo Sedi Apostolicae reservata, b) *non autem valet pro* censuris non expressis in precibus, atque *reticitis mala fide*, nempe: dum cognoscat eisdem detineri ac eas esse exprimendas, quolibet motivo ad hoc inducatur. Sic enim scriptum est in Decretalibus:[1] « Postremo, quaesivisti, utrum is, qui propter plures excessus a pluribus Praelatis ius in ipsum habentibus, excommunicationis est vinculo innodatus, etc.... Super hoc articulo respondemus, quod supprimenti veritatem absolutio subrepta non prodest; et veritatem intelligens, absolutionem huiusmodi exhibere non debet ».

74. **De ipso absolutionis censurae actu** haec teneantur. *Can. 2250. § 1. Si agatur de censura,* nempe: ut videbimus quoad omnes suspensiones, *quae* in casu *non impedit* hic et nunc vi ss. canonum de singulis censuris *Sacramentorum receptionem, censuratus*, a) *rite dispositus* ad suscipiendum sacramentum poenitentiae, et b) *a contumacia recedens* ad normam can. 2242 § 3, qui recessus ultra poenitentiam de delicto requirit quandoque aliquid aliud, *potest absolvi a peccatis* omnibus directe, servatis aliunde servandis, *firma censura* in suis iuridicis effectibus.

§ *2. Si vero agatur de censura*, videlicet: excommunicatione et interdicto, *quae* regulariter *impedit Sacramentorum* ac proinde poenitentiae *receptionem, censuratus,* quando illa in foro interno servanda est hic et nunc, *nequit absolvi a peccatis* ob illam ex censura prohibitionem, *nisi prius* per legitimum Superiorem vel saltem per confessarium eumdem vel alterum rite *absolutus fuerit.*

Rituali Romano congruit, nec « ipsum expresse corrigit » § *3. Absolutio censurae* cuiuslibet *in foro sacramentali*, seu in sacramento poenitentiae ministrando exercenda, *continetur* expressa *in consueta forma absolutionis peccatorum*, huic nempe praevia pro quibusvis censuris, *in libris ritualibus* diversis Ecclesiae Latinae *praescripta;* v. gr. in Rit. Rom.[2] dicitur: « et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, (sed, si poenitens sit laicus, omittitur verbum: suspensionis), et interdicti, in quantum possum et tu indiges ». Similiter ex Breviario Ord. Praed. sic incipit « Forma communiter observanda in confessione sacramentali: " Si teneris aliquo vinculo excommunicationis (suspensionis) et interdicti a quo possim te absolvere; ego absolvo

[1] Cap. 42 « de sententia excommunicationis » (V, 39) X.
[2] Tit. III, c. 2 « Absolutionis forma ».

te, et restituo te sanctis Sacramentis Ecclesiae, communioni et unitati fidelium. In nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti. Amen „. — Prosequitur canon: *in foro non sacramentali*, tum interno, tum externo, absolutio danda, quae « valet quoque (haec pro) interno foro ac (illa pro) sacramentali » (can. 202 § 1), *quolibet modo* verborum, quae absolutionem sufficienter exprimant, *dari* valide ac licite *potest* vi legis ecclesiasticae, *sed ad excommunicationis* tantummodo *absolutionem*, ut ait Rit. Rom. « pro rei gravitate praedictam [1] caeremoniam et preces adhibeat; at vero si res non fuerit adeo gravis, absolvere poterit, dicens »: etc. sed unam alteramve formulam non esse obligatoriam innuit canon subiungens: *regulariter formam adhiberi convenit in eisdem libris* pro ritus diversitate in Ecclesia latina *traditam*.

Attamen est servanda rubrica in Rit. Rom. posita: « Si potestas absolvendi ab excommunicationis sententia Sacerdoti commissa fuerit a Superiore, et in mandato certa forma sit praescripta, illa omnino servanda est: si vero in mandato seu commissione dicitur: *In forma Ecclesiae consueta absolvat;* haec servanda sunt », quae ibidem sequuntur. Diverso modo est scriptum in eodem Rituali « De modo absolvendi a suspensione vel interdicto extra vel intra sacramentalem confessionem », quando nempe censurae illae sunt certae: « Si Sacerdoti sit commissa facultas absolvendi aliquem a suspensione. vel interdicto, quamvis nulla verba sint praecipue determinata, uti poterit hac formula » ibi sequente. Hinc sufficeret quoque « consueta forma absolutionis » pro foro sacramentali praescripta.

75. **De absolutionis huiusmodi effectu quoad diversum forum** congrue iuri praecedenti et liquido statuit *can. 2251. Si* a) *absolutio censurae* cuiuslibet *detur* valide cum « potestate iurisdictionis sive ordinaria sive delegata » (can. 202 § 1) *in foro externo, utrumque forum* idest: internum quoque *afficit*, propter quod est vere absolutus coram Deo et Ecclesia; *si* b) *in foro interno* « sive sacramentali sive extrasacramentali » (can. 196) detur absolutio declarata, ex tunc *absolutus, remoto scandalo* fidelium censuram noscentium, dum absolutionem ignorant, *potest uti talem* idest: non amplius censuratum *se habere etiam in actibus fori externi*, quandocumque aliter « a poena observanda non excusaretur » vi can. 2232

[1] Tit. III, c. 3 « de absolutione ab excommunicatione in foro exteriori ».

§ 1; *sed* respectu commatis sub utraque littera *a*) et *b*) admonet canon: *nisi concessio absolutionis* a) *probetur* testimoniis, documento, etc. *aut* b) *saltem legitime* iuxta ss. canones *praesumatur*, idest: « a Superiore coniiciatur » (can. 1825, § 1) ex circumstantiis *in foro externo* extraiudiciali, *censura* quamvis vere absoluta *potest a Superioribus fori externi*, eo quod in hoc hi debent agere secundum ea, quae patent, et *quibus* hoc in negotio propriis *reus*, quamvis absolutus, *parere debet* « post sententiam tamen declaratoriam, vel si delictum sit notorium » seu ad normam can. 2232 § 1, nam additur: *urgeri*, seu « exigi » pro foro quidem externo, non occulte, *donec absolutio in eodem foro habita fuerit* ab eo, qui pro « eodem » auctoritatem habet, ita ut certo de illa constet.

Ad confirmationem afferemus ex iure veteri quosdam textus. S. Poenitentiaria Ap. interrogata:[1] « Utrum verba *in utroque foro absolvas* ita intelligenda sint, ut requiratur duplex absolutio separatim impertienda, una scilicet in foro externo, alia in foro interno; an ista verba ita intelligenda sint, ut requiratur una tantum absolutio in foro externo impertienda, quae valeat etiam pro interno. R. Ad. 4. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam ». — Item in cap. 39 « de sententia excommunicationis » (V, 39) X ait Innoc. III: « Fraternitati tuae respondemus, quod nisi excommunicati a te, super absolutione sua litteras nostras, vel illius cui vices nostras in hac parte commisimus reportaverint, aut alio modo legitime de illorum absolutione tibi constiterit: tu ipsos pro excommunicatis ut prius habeas, et facias evitari ».

76. **De absolutione in periculo mortis** a censuris reservatis fuit declaratum in Commentario Textus praescriptum can. 882, ubi scriptum est, quod tunc « omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibusvis... censuris, quantumvis reservatis et notoriis ». Ibi subdebatur clausula « salvo praescripto can... 2252 », quae innuit connexionem inter eos canones, illumque praesupponit statuens *can. 2252. Qui in periculo mortis constituti, a sacerdote*, presbytero vel Episcopo, sed a) *specialis facultatis* in casu reservato necessariae *experte*, b) *receperunt* « valide et licite » vi can. 882 *absolutionem* de facto datam *ab aliqua censura* saltem « in consueta forma (pro

[1] 27 Apr. 1886. Collectanea S. C. de P. F. n. 1655.

tali periculo) absolutionis peccatorum » contentam (can. 2250 § 3), dummodo haec censura sit *ab homine* (can. 2217, § 1, 3°), vel saltem quae « consideratur tanquam ab homine », *vel a censura* solum *specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata* iuxta declarationem can. 2245 § 3, a) *tenentur* vi huius canonis, qui « ius vetus ex integro refert » (can. 6, 2°), sed solum b) *postquam convaluerint* ab infirmitate, *obligatione* c) *recurrendi*, *sub poena reincidentiae* in eandem reservatam censuram, seu haec « reviviscit » ob non adimpletam cum gravi culpa conditionem absolutionis resolutivam « recurrendi » a) *ad illum qui censuram tulit* sententia vel ad modum praecepti particularis, *si agatur de censura* saltem considerata tanquam *ab homine;* b) *ad S. Poenitentiariam*, quae « pro solo foro interno... largitur absolutiones », *vel ad Episcopum*, atque in eo requiritur quod in sequenti: *aliumve facultate* erga censuram « sub poena reincidentiae » ut supra absolutam *praeditum*, c) *ad normam can. 2254 § 1*, nempe: « intra mensem (a cognito recurrendi onere actuali) saltem per epistolam et per confessarium, (etsi diversum ab absolvente), si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine », sed haec intelliguntur applicanda in hypothesi sub littera *b*) solummodo, quia sic clausula haec completur: *si agatur de censura a iure* « specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata »; nec id sufficit ad vitandam reincidentiam, quia pro utraque hypothesi sub litteris *a*) et *b*) ex contextu requiritur copulative d) *eorumque mandatis* ob recursum accipiendis *parendi* cum dilatione convenienti.

Data interpretatio authentice confirmatur sequenti responso Pontificiae Commissionis ad Cod. can. auth. interpr. [1] « VIII... Utrum in canone 2252, quo statuitur obligatio recurrendi *ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve facultate praeditum*. etc., verba illa *facultate praeditum* restringenda sint ad vocabulum *aliumve*; an etiam pertinere dicenda sint ad aliud vocabulum *Episcopum*, ita ut Episcopus qui non sit facultate praeditus, mandata dare nequeat.

Resp. Negative ad 1^am^ partem, affirmative ad 2^am^, seu Episcopum mandata dare non posse, nisi facultatem habeat a iure vel ex Sedis Apostolicae concessione ».

Igitur ad censuras « specialissimo modo Sedi Apostolicae re-

[1] 12 Nov. 1922. CO. XIV, 663.

servatas» fuit coarctata clausula const[1]. «Aplcae Sedis» a Pio IX s. m. [1] inserta de censuris speciali modo Romano Pontifici reservatis, «dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint». Hanc clausulam sic interpretata est Congr. S. Officii respondens ad quaesita: «1. An obligatio standi mandatis Ecclesiae, a Bulla Apostolicae Sedis imposita, sit sub poena reincidentiae vel non. — 2. An obligatio standi mandatis Ecclesiae, in sensu Bullae Apostolicae Sedis, idem sonet ac obligatio se sistendi coram Summo Pontifice, vel an ab illa debeat distingui.

R. Ad 1. Affirmative ad primam; negative ad secundam partem. — Ad 2. Obligationem *Standi mandatis Ecclesiae* importare onus sive per se, sive per confessarium, recurrendi ad S. Pontificem, eiusque mandatis obediendi, (quod in canone convenienter extenditur loco eius quod ait clausula sequens) vel novam absolutionem petendi ab habente facultatem absolvendi a censuris S. Pontifici speciali modo (nunc a censuris specialissimo modo) reservatis». Demum quoad censuras ab homine inflictas extat cap. 22 «de sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti» (V, 11) in 6° relatum ad can 2248, § 3.

77. **De absolutione a censuris ordinaria** praescribit *can. 2253. Extra mortis periculum*, seu in casibus ordinariis *possunt absolvere* vi huius canonis:

1° A censura quae sit a iure, sed *non reservata* expresse, a) *in foro sacramentali* tantum *quilibet confessarius*, sic dictus propter sacramentalem iurisdictionem erga proprium ad normam can. 881 vel can. 875 § 1, vel can. 876 § 1, poenitentem; b) *extra forum sacramentale*, *quicumque iurisdictionem* ordinariam vel delegatam *in foro externo habeat*, (v. gr. Praelatus localis religiosus), quam non habet parochus, nec vicarius foraneus, *in reum* singularem a censura absolvendum;

2° A censura saltem quae «consideratur tanquam *ab homine*» can. 2217, § 1, 3°), *ille* «absolvere potest», *cui censura reservata est ad normam can. 2245*, § *2*, ibi declaratam, nempe: «ei qui censuram inflixit aut sententiam tulit, eiusve Superiori competenti, vel successori aut delegato»; *ipse autem* idest: quilibet eo-

[1] 12 Oct. 1869.

rum *potest absolutionem* hanc *concedere, etiamsi reus* non sit iam ei subditus eo quod *alio domicilium vel quasi-domicilium* « discessione a priori loco cum animo non revertendi » (can. 95) *transtulerit* ad normam can. 92.

3.º A censura a iure reservata iuxta diversitatem in can. 2245 declaratam, « possunt absolvere » *ille* a) *qui* ferens legem *censuram constituit,* sive Ordinarius sit, sive Concilium, sive Apostolica Sedes, quia secundum cap. 1 « de regulis iuris » (V, 41) X: « Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur », *vel* b) *cui* iuxta hypothesim *reservata est* expresse censura in lege illa poenali, ut patet, *eorumque* singulorum c) *successores* in eadem alterutrius potestate, nam est reg. iuris 46 in 6.º: « Is, qui in ius succedit alterius, eo iure, quo ille, uti debebit », et in cap. un. « de maioritate et obedientia » (I, 17) X dicitur: « Episcopali Sede vacante, potest Capitulum, seu is ad quem episcopalis iurisdictio tunc temporis noscitur pertinere, iis, quibus posset Episcopus si viveret, ab excommunicationis sententia, sive iuris sive hominis fuerit, absolutionis beneficium impertiri. Nisi ei fuerit a Sede Apostolica specialiter interdicta potestas »: *aut* d) *competentes* quoad hanc rem in iurisdictionis hyerarchia *Superiores*, *aut* e) singulorum sub praec.^s litteris *delegati,* iuxta reg. 68 iuris in 6º: « Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum ».

Hanc normam applicans subiungit canon: *Quare a censura* per Codicem aliamve legem ecclesiasticam a) *reservata* taxative *Episcopo vel Ordinario,* promiscue intelligendo verbum, *quilibet Ordinarius* loci vel Superior maior religionis clericalis exemptae (can. 198, § 1) *absolvere potest* servatis servandis *suos* censura devinctos *subditos*, sive ad normam can. 94, §§ 1, 2, propter domicilium, vel quasi-domicilium, vel actualem vagi commorationem intra dioecesim, sive ratione personalis subiectionis, eo quod canon prosequitur sub distinctione: *loci vero Ordinarius*, igitur ad normam can. cit. § 2, *etiam peregrinos*, seu in proprio illius territorio, « versantes extra domicilium et quasi domicilium quod adhuc retinent » alio in loco (can. 91), ex quibus clausulis eruitur a sensu contrario, non posse quoslibet Ordinarios vel locorum absolvere censuram, quae in Codice « Superiori maiori religiosi delinquentis » reservata inveniatur, sub hoc enim nomine nec Ordinarii veniunt locorum, nec Ordinarii aliarum religionum, quod e memoria non

excidat. « Loci vero Ordinarius » hoc in numero 3° canonis secundum praecedens ius intelligendus est quoque ritus orientalis. Etenim ad quaesitum « 3. An R. P. D. Patriarcha Maronitarum possit absolvere a censuris aliisque poenis ecclesiasticis alienos subditos, invito aut inconsulto proprio Episcopo? S. Congr. de Prop. Fide...[1] R. ad 3. Quoad censuras latas a iure, Affirmative; quo vero ad censuras latas seu declaratas ab homine: In gradu appellationis, servatis servandis ». Prosequitur canon in enumeratione particulari: b) *a* « censura » *reservata* expresse *Sedi Apostolicae* intelligendae ad normam can. 7, « absolvere potest » *haec*, scilicet: « non solum Romanus Pontifex », « tum omnes et singulas ecclesias, tum omnes et singulos pastores et fideles » (can. 218, § 2), sed etiam iuxta singulorum competentiam Congregationes S. Officii, Consistorialis Congregatio Ordinarios locorum, Concilii clericos saeculares, etiam parochos et canonicos, ac singulos laicos, eorumque associationes, sed hae duae Congr.[s] cum restrictione locorum per tres subsequentes Congregationes, quae sunt: religiosis sodalibus praeposita quoad subditos ipsius, alia de Propaganda Fide in eius circumscripta regionibus, ac in religiosos etiam qua missionarios, ac denique S. Congr. pro Ecclesia orientali ergo quoslibet eiusdem subditos et loca. Etenim ab his Congregationibus « absolutio censurae datur in foro externo » (can. 2251), pro foro autem interno tantum sive sacramentali sive extra-sacramentali has « largitur absolutiones S. Poenitentiaria » (can. 258 § 1). Praeter Sedem Apostolicam modo declarato, addit canon: *aliive* possunt *qui absolvendi* a censuris *potestatem ab ea* scilicet, Sede Apostolica, ut manet distincta, *impetraverint*, sed cum tenoris diversitate: a) *sive generalem*, seu nullo addito, *si censura* absolvenda *simpliciter reservata sit*, b) *sive specialem* ex verbis rescripti cognoscendam, *si reservata* fuerit *speciali modo* censura remittenda, c) *sive denique specialissimam* « facultatem impetraverint », *si reservata specialissimo modo* illa sit, *salvo praescripto can. 2254* statim explicando, per quod tales facultates ipso iure conceduntur ad casus occurrentes.

Adnotandum verba « absolvendi potestatem... sive generalem sive specialem, sive denique specialissimam » non designare praecise maiorem vel minorem numerum eorum, qui ea donantur, nec

[1] 17 Febr. 1772. Collectanea S. Congr. de P. F., n. 487.

innuere clausulam in rescripto Sedis Aplcae adhibendam, sed materiam concessionis exprimere, ut plurimum agnoscendam explicita censurarum absolvendarum enumeratione vel designatione, ut patebit in sequenti canone. Iuvat quoque referre adhuc [1] vigens post Codicem responsum S. Poenitentiariae Aplcae [2]: « An Praelati Regulares post const. *Apostolicae Sedis* iisdem privilegiis gaudeant quibus antea, id est possint nec ne suos subditos absolvere a casibus papalibus in dicta Constitutione (et nunc in Codice) simpliciter reservatis. — R. Negative, salvis illis facultatibus quae promanant ex rescriptis particularibus ad tempus concessis », et quidem cum eorum amplitudine tenoris quoad censuras absolvendas.

78. **De absolutione a censuris extraordinaria.** S. Congregatio S. Officii interrogata [3] « 2... utrum recurrendum sit, saltem per litteras ad Emum Card. Poenitentiarium pro omnibus casibus Papae reservatis, nisi Episcopus habeat speciale indultum, praeterquam in articulo mortis, ad obtinendam absolvendi facultatem? Resp. Ad 2 Affirmative », sed concessit « facto verbo cum Ssmo » facultatem in casibus urgentioribus iuxta primam hypothesim canonis iamiam declarandi. Sed eadem S. Congregatio ampliavit facultatem sub altera canonis hypothesi in responso ad 1 alterius decreti diei 16 Junii 1897 [4]. Plurae aliae subsequutae sunt declarationes illorum Decretorum, quae omnia paulo immutatis verbis refert *can. 2254. § 1. In casibus* singulis *urgentioribus*, qui tales sint ob alterutram sequentem conditionem, a) *si nempe*, non iam « in quibus absolutio diferri nequeat », quod de peccatorum absolutione intelligi per errorem posset, sed *censurae latae sententiae*, seu iam incursae, equidem exclusis aliis « ab homine » iuxta praecedentis iuris tenorem, *exterius servari nequeant*, utpote incognitae aliis, *sine periculo gravis scandali*, v. gr. ob non celebratam missam a parocho bene valenti die Paschatis, *vel infamiae*, v. gr. quia suspicio criminis in certitudinem moralem transiret apud prudentes, et quamvis « ante sententiam declaratoriam a censura observanda delinquens excusatur quoties eam servare sine infamia nequit » (can. 2232, § 1), benignius agit cum illo Ecclesia, iuxta hunc canonem. Sed prius declaremus alteram hypothesim: b) *aut si durum*

[1] Sed vide dicta in can. 2237, § 2 seu in pag. 84. — [2] 5 Dec. 1873. Collectanea S. C. de P. F. n. 1409. — [3] 23 Jun. 1886. Collectanea S. C. de P. F. n. 1658. — [4] Collectanea S. Congr. de P. F. n. 1971.

revera *sit*, non iam in se, sed *poenitenti* hoc est subiective *in statu gravis peccati* per sacramentum nondum remissi, quamvis contritione perfecta deleti, quia hic modus non est ordinarius, nec proinde respiciendus per canones, eademque interpretatio suadetur ex canonis concessione ad absolutionem sacramentalem ordinata, *permanere* cum tali privatione *per tempus* ex circumstantiis diversum qua *necessarium* prudenti aestimatione *ut Superior* iuxta canonem praec. per se vel per alium de absolutione censurarum *provideat*, tunc scilicet: in unaquaque praefata hypothesi a) *quilibet confessarius* ob iurisdictionem erga talem poenitentem b) *in foro sacramentali* eo quod instituatur sacramentalis confessio, *ab eisdem* nempe: « censuris latae sententiae », atque exclusis censuris ab homine in casibus sub littera *b*) priori, ad quos extensum est solummodo primum decretum de eisdem censuris, *quoquo modo reservatis*, nam interrogata Congr. S. Officii [1] « 2 Utrum responsi ad secundum (23 Julii 1866) clausula « sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras etc. » referatur solummodo ad absolutionem a censuris et casibus *speciali modo* S. P. reservatis, an etiam ad absolutionem a censuris et casibus simpliciter Papae reservatis? Resp. Ad 2. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam partem », *absolvere potest*, ita ut « censura sit per absolutionem sublata », nec alia indigeat absolutione iuxta litt. eiusdem S. Congr. [2] num. « 3. An absolutio data in casibus urgentioribus, a censuris etiam speciali modo S. P. reservatis, in sensu decreti S. Officii (23 Jun. 1886) sit directa, vel tantum indirecta. R. Ad. 3. Affirmative ad primam; Negative ad secundam partem ».

Sequitur adimplenda per confessarium obligatio in dicta absolutione, non quidem ad huius validitatem, sed ex illa noscitur a poenitente grave onus a se implendum, ut absolutio censurae obtentae stabilis perseveret. In Dec° saepius cit.° (23 Iul. 1866) legitur: « iniunctis de iure iniungendis ». Haec clausula, explicatione quoad plures confessarios indigens, ex proposito fuit mutata in sequentem: singulariter *iniuncto* per obligationis intimationem factam poenitenti *onere* 1° *recurrendi*, a) *sub poena reincidentiae*, idest: secus cum gravi transgressione « censura reviviscet », prout hoc fuit

[1] 17 Jun. 1891. Collectanea S. C. de P. F., n. 1756.
[2] 19 Aug. 1891. Collectanea S. C. de P. F., n. 1764 et in n. 1788 S. C. S. Officii 30 Martii 1892 ad 6.

declaratum in exceptione can. 2248, § 3, b) *intra mensem* supputandum ad normam can. 34, § 3, 3°, 4°, c) *saltem* veluti sufficienter *per epistolam* fortassis ab ipso poenitente scriptam et missam, iuxta responsum S. Poenitentiariae [1] « 5. Quando Missionario occurrit poenitens censuris innodatus, et transiens obiter, ita ut missionarius non possit iterum poenitentem videre, numquid sufficit, posito casu urgentiori absolutionis, exigere a poenitente promissionem scribendi, tacito si vult nomine, (nunc ita faciendum), ad S. Poenitentiariam intra mensem, et standi illius mandatis, quin confessarius ipse scribat? R. Ad 5 Affirmative » *et* quod adhuc minus est, sed praeferendum, ni quid obstet, *per confessarium* a quo ut supra est absolutus, attamen *si id* minus *fieri possit sine gravi incommodo*, (alioquin tempus illud interim non currit), quod non adest iuxta eiusdem S. Poenitentiariae haec responsa [1]: « 6. Utrum, tuta conscientia doceatur et in praxim deducatur, ut quidam volunt, propter hodiernum periculum ne aperiantur epistolae a potestate civili, non requiri ut epistola ad Summum Pontificem dirigatur in casibus urgentioribus, vel quando adiri nequit Papa. 7. Posito quod non requiratur epistola ad Summum Pontificem, numquid requiritur epistola directa ad Episcopum, stante hoc generali periculo, praesertim quando agitur de absolutione complicis, quae etiam perfidiose detecta et revelata scandalum generare potest? R. Ad 6. Negative, cum in precibus nomina et cognomina sint supprimenda. Ad 7. Provisum in 6.° ». Has responsiones innuit et confirmat canon, dum caute addit: d) *reticito nomine*, quo persona bene designetur, quapropter et « cognomine », adhibendo litteras vel nomina ficta Titius, Caius, *e*) ad quemlibet ex sequentibus: *ad S. Poenitentiariam* unice competentem in eo foro pro universa Ecclesia etiam orientali (can. 258, § 1), *vel ad Episcopum* proprium ratione auditionis confessionis, *aliumve Superiorem* videlicet: iurisdictione pollentem in utroque foro, non iam confessarium alterum, quamvis, ut necesse est, *praeditum facultate* in huiusmodi reservatam censuram secundum can. 2253, n.° 3.°, quam interpretationem postulat, praeterquam ipse contextus, Dec. Congr. S. Officii [2]: « 2. Utrum sufficiat etiam in casu eodem (urgentiori, 23 Jun. 1886) recursus ad Vicarium generalem Episcopi, tanquam ad Ordinarium facultatum

[1] 7 Nov. 1888. Collectanea S. C. de P. F. n. 1695.
[2] 19 Dec. 1900. Collectanea S. C. de P. F. n. 2098.

episcopalium absolvendi de iure participem: 3. Utrum generatim sufficiat recursus ad quemlibet sacerdotem habitualiter subdelegatum ab Ordinario ad absolvendum ab his papalibus reservatis, a quibus poenitens fuerit accidentaliter, ut supra, vi decreti S. Officii 1866 absolutus. — R. ad 2. Affirmative, facto verbo cum Ssmo. Ad 3. Negative. — Ssmus resolutionem Emorum ac Rmorum Patrum ratam habuit et confirmavit ».

Demum de « iniuncto onere » additur II° *et standi eius* ad quem recursus fuit factus *mandatis.* Haec clausula, aequipollens alteri « standi mandatis Ecclesiae », videtur ex contextu non esse affecta per canonis verba « sub poena reincidentiae », utpote quae interiecta « oneri recurrendi » per verba subsequentia determinato. Attamen, cum haec ratio me non convincat, eo magis quod iniuncta de iure inungenda pro censurae absolutione adhuc desiderantur secundum datam interpretationem, puto nunc adhibendam esse interpretationis normam generalem can. 6 n. 4°: « In dubio num aliquod canonum praescriptum cum veteri iure discrepet, a veteri iure non est recedendum ». Porro in litteris S. C. S. Officii [1] circa clausulam const. *Apostolicae Sedis:* « in quo tamen firma sit, quoad absolutos (in articulo mortis a censuris Summo Pontifici reservatis), obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint », ad quaes.ᵉ « 1. An obligatio standi mandatis Ecclesiae, a Bulla *Aplcae Sedis* imposita, sit sub poena reincidentiae vel non: et 2. An haec obligatio idem sonet ac obligatio se sistendi coram S. Pontifice, vel an ab illa debeat distingui: — R. Ad. 1. Affirmative ad primam; negative ad secundam partem. Ad 2. Obligationem *Standi mandatis Ecclesiae* importare onus sive per se, sive per confessarium, recurrendi ad S. Pontificem, eiusque (notetur bene) mandatis obediendi ». Animadvertatur etiam quod in exprimendo duplici hoc onere usus est legislator eodem modo redigendi can. 2252 et 2254, § 1, quod confirmat has praecedentes declarationes in praxi servandas.

S. Congr. S. Officii sic complet cit.ᵃ resp.ᵉ ad 2 et alterius Decreti ad 1: « vel novam absolutionem petendi ab habente facultatem absolvendi a censuris S. Pontifici speciali modo reservatis ». Quae restrictio posita est, quia ad quaes. « 4. An ista obligatio standi mandatis Ecclesiae etiam pro censuris Summo Pontifici sim-

[1] 19 Aug. 1891. Collectanea S. C. de P. F. n. 1764 atque in n. 1788, S. C. S. Officii 30 Mart. 1892, ad 1-4.

pliciter reservatis (ac in articulo mortis absolutis) urgeat: R. Ad 4. Negative ». Huic disciplinae « opportunam immutationem affert » (can. 6) § 2. *Nihil impedit* I° *quominus poenitens* de quo in § 1°, seu in eius arbitrio legitimo positum est, a) *etiam post acceptum, ut supra*, idest: « iniuncto duplici onere », *absolutionem* a censura latae sententiae quoquo modo reservata, b) *facto quoque recursu ad Superiorem*, seu quoad hanc partem impleto onere, non vero si ad S. Poenitentiariam recursus sit factus, *alium adeat confessarium facultate* erga censuram, a qua fuit absolutus, *praeditum*, II° *ab eoque repetita* alioquin non necessaria *confessione*, propter quod subditur: *saltem delicti cum censura*, quae « per absolutionem sublata, non reviviscit » (can. 2248. § 3), *consequatur absolutionem* sacramentalem; III° *qua obtenta*, quamvis omittatur absolutio censurae innecessaria, cum eo ipso fiat in foro sacramentali subditus, *mandata ab eodem* confessario *accipiat* ex motivo censurae alias absolutae cum onere « his mandatis standi » sub poena reincidentiae, ut declaratum fuit in §° praec , haec enim illis substituuntur, addit enim canon: *quin teneatur* idem poenitens *postea stare*, casu quo fecerit recursum ad Superiorem, *aliis mandatis* quamvis diversis *ex parte Superioris* huius *supervenientibus*. Hinc I° arguitur, quod « non obtenta saltem delicti cum censura absolutione », valet declaratio S. Congr.ª S. Officii ad 3 citata supra circa onus recurrendi, et II° confirmatur interpretatio tunc data verbis « aliumve Superiorem ».

Veniamus ad potestatem absolvendi censuram absque supradicto onere. De illa loquitur sequens Dec. S. Congr.ª S. Officii [1]: « Relate ad censurarum absolutionem Summo Pontifici reservatarum, S. C. R. et U. Inquisitionis, die 9 Nov. 1898 [2] sequentia decrevit: — Quando neque confessarius neque poenitens epistolam ad S. Poenitentiariam mittere possunt, et durum sit poenitenti adire alium confessarium, in hoc casu liceat confessario poenitentem absolvere etiam a casibus S. Sedi reservatis absque onere mittendi epistolam. His statutis, Episcopus N. ad pedes S. V. provolutus, humiliter expostulat: An ut onus epistolam mittendi cesset, scribendi impedimentum adstringere debeat confessarium simul et poenitentem; vel sufficiat, sicut aliqui interpretati sunt, quod poenitens scribendi

[1] 5 Sept. 1900. Collectanea S. C. de P. F. n. 2095. — [2] Collectanea S. C. de P. F. n. 2023.

impar, eidem confessario a quo vi [1] decret. 1886 et 1897 absolutus fuerit, se praesentare nequeat, et ipsi durum sit alium confessarium adire; licet confessarius absolvens, pro poenitente, epistolam ad S. Sedem mittere possit. — R. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam. — Ssmus adprobavit ».

Dictum Decretum limitatur per aliud eiusdem S. Congregationis rescriptum [2]. « Sacerdos Titius in regionem extraneam se contulit ad confitendum peccatum S. P. reservatum. Porro confessori declaravit: 1° nec opera ministerii sui nec substantiam facultatum sibi permittere iterum aggrediendi iter ad recipiendam responsionem S. Poenitentiariae; 2° nimis onerosum sibi fore ad alium confessarium se praesentare in propria regione, quod signanter voluit devitare iter adsumens.

Hisce expositis, Episcopus N. pro sua norma humiliter a Sanctitate Vestra petit utrum supradictus casus, etiamsi agatur de absolutione complicis, inter eos annumerari debeat praevisos in Decreto S. Officii diei 9 Nov. 1898, et confessarius niti possit praelaudato decreto ad absolutionem impertiendam sine recursu ad S. Poenitent., nec ne. — R. Non comprehendi ».

Haec decreta quoad mentem retinet atque explicat § *3. Quod si in casu aliquo*, velut per exceptionem, seu *extraordinario hic recursus*, nempe in § 1° espressus, *sit moraliter impossibilis*, v. gr. iuxta citata Decreta, *tunc* tantum *ipsemet confessarius* scilicet: « quilibet in foro sacramentali » supra (§ 1°) declaratus, *excepto casu* ad normam Dec.[1] ultimo relati, *quo agatur de absolutione censurae de qua in can. 2367*, nempe ex motivo absolutionis complicis, qui casus regitur duobus praec.[s] §§[is] tantum, ab aliis vero censuris « latae sententiae quoquo modo reservatis » *potest* vi huius canonis *absolutionem concedere sine onere* recurrendi et consequente *de quo supra* seu in §° 1°, a) *iniunctis tamen de iure iniungendis*, v. gr. « debita damnorum vel scandali reparatione » (can. 2242, § 2), « praevia abiuratione » haeresis aut schismatis (can. 2314, § 2), etc. pro casuum varietate, *et* b) *imposita congrua* delicti gravitati *poenitentia*, quarum « praecipuae sunt » in can. 2313, § 1 enumeratae, *et satisfactione pro censura*, v. gr. protestatione, quae in Rit[s]. Romani forma absolvendi est posita, reparatione honoris vel

[1] Collectanea S. C. de P. F. num. 1658, 1971.
[2] 7 Jun. 1899. Collectanea S. C. de P. F. n. 2052,

famae, *ita ut poenitens* et a censura sic absolutus, *nisi intra congruum* pro natura onerum impositorum *tempus a confessario* vi huius praecepti *praefiniendum* a) *poenitentiam egerit*, quae debet esse gravis propter huius omissionis sequelam, *ac* b) *satisfactionem* declaratam *dederit* saltem in parte ipsius gravi, ob omissionem graviter culpabilem *incidat* statim *in censuram* eamdem ac prius. Ergo absolutio haec sub duplici conditione resolutiva illius, seu ad reincidentiam datur.

CAPUT II.

De censuris in specie

Can. 2255. - § 1. Censurae sunt:
1.º Excommunicatio;
2.º Interdictum;
3.º Suspensio.

§ 2.º Excommunicatio afficere potest tantum personas physicas, et ideo, si quando feratur in corpus morale, intelligitur singulos afficere qui in delictum concurrerint; interdictum et suspensio, etiam communitatem, ut personam moralem; excommunicatio et interdictum, etiam laicos; suspensio, clericos tantum; interdictum, etiam locum; excommunicatio est semper censura; interdictum et suspensio possunt esse vel censurae vel poenae vindicativae, sed in dubio praesumuntur censurae.

Can. 2256. - In canonibus qui sequuntur:

1.º Nomine divinorum officiorum intelliguntur functiones potestatis ordinis, quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur et a solis clericis fieri queunt;

2.º Nomine autem actuum legitimorum ecclesiasticorum significantur: munus administratoris gerere bonorum ecclesiasticorum; partes agere iudicis, auditoris et relatoris, defensoris vinculi, promotoris iustitiae et fidei, notarii et cancellarii, cursoris et apparitoris, advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis; munus patrini agere in sacramentis baptismi et confirmationis; suffragium ferre in electionibus ecclesiasticis; ius patronatus exercere.

79. **Inscriptio capitis et praeambuli canones**. — Postquam caput I exposuit normas medicinalibus poenis communes, *Caput II* tractat *de censuris* diversis *in specie*, videlicet proponit canones, qui ad moderationem earum poenarum, servandi sunt speciales ultra praecedentes. Propterea in distinctos divisum est paragraphos iuxta censurarum diversitatem. Harum enumerationem, denominationem ac mutuas differentias recenset can. 2255, dum alter can. 2256 praevie dat iuridicam significationem quorumdam verborum, quae in hoc capite frequenter inveniuntur.

80. **Censurarum distinctio ac mutuae differentiae.** — In cap. 60 « de verborum significatione » (V, 40) X ait Innoc. III: « Quaerenti quid per censuram ecclesiasticam debeat intelligi, cum huiusmodi clausulam in nostris literis apponimus: Respondemus,

quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis et excommunicationis sententia valet intelligi ». Quaesitum supponit usque ad illud tempus censurarum nomen non fuisse usurpatum certa semper amplitudine. Imo refert Bened. XIV [1] quod textu « hoc non obstante, Gonzalez in Commentar. ad dict. textum contendit, quod sub nomine censurae etiam irregularitas ex delicto comprehendatur. Contrariam tamen sententiam tuentur Suarez, Molina, Trullengus, Filliucius, Reginaldus aliique complures ». Haec autem sententia adeo praevaluit, ut in const. « Apostolicae Sedis » Pii PP. IX inter censuras non enumerentur aliae poenae, quam expressae ab Innocentio III. Idipsum sancitur Codice, quando *Can. 2255* sic decernit. — § *1. Censurae*, uti « poenae medicinales » (can. 2216) *sunt* tantummodo sequentes appellatione canonica sic designatae: *1° Excommunicatio*, ultra quam, quae « spiritualis gladius » est [2], Ecclesia nihil aliud habet; *2° Interdictum* qua iuridicum nomen; *3° Suspensio* simpliciter dicta.

Characteres diversarum proprios sic recenset § *2*, ut illae communiter discernantur ab invicem. *Excommunicatio* 1° ratione subiecti poenae *afficere potest tantum*, ita ut invalide statueretur in alias, quam in *personas physicas*, nam sicut ait Innoc. IV, in cap. 5, « de sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti » (V, 11) X in 6°: « In universitatem vel collegium proferri excommunicationis sententiam penitus prohibemus: volentes animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset, cum nonunquam contingeret innoxios huiusmodi sententia irretiri », quod esset absdubio contra huiusmodi gravissimae poenae medicinalis naturam, « sed in illos dumtaxat de collegio vel universitate, quos culpabiles esse constiterit, promulgetur ». Hanc dispositionem admittit canon sic prosequens: *et ideo*, consequenter ad prius edictum, *si quando feratur* iure vel ab homine, saltem ab Apostolica Sede, nam « potest ferri censura etiam in delinquentes ignotos » (can. 2242, § 1), *in corpus morale*, idest: in personam collegialem, quae tantum est constituta ad modum organici corporis, *intelligitur* ex iuris praescripto a) *singulos* eidem adscriptos, ut membra, *afficere* b) *qui in delictum* excommunicatione mulctatum *concurrerint* iuxta sententiae aut legis tenorem; e contra *interdictum et suspensio*, *etiam communitatem*,

[1] Ep. encycl. « Inter praeteritos ». 3 Dec. 1749, § 48.
[2] Conc. Trid. sess. XXV, cap. 1 de Ref.

et implicite omnia membra etiam innoxia, sed *ut personam moralem* idest: quoad eiusdem iura « afficere potest », et hinc videmus Pium IX const. « Apostolicae Sedis » excommunicationes, quae in maiori sunt numero, statuisse in delicta, quae per singulos patrari queunt, dum in § V invenimus eumdem S. Pont. sic incipere: « Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum, etc. », atque in § VI decrevisse: « Interdictum Rom.° Pont.ⁱ speciali modo reservatum ipso iure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, etc. ». Et hoc idem ex dictis inveniri valet in Codice.

Prosequitur canon: *excommunicatio et interdictum*, II° ratione amplitudinis quoad personas et loca, « afficere potest » praeter clericos *etiam laicos;* dum *suspensio* ex sui natura *clericos tantum* videlicet: saltem propter primam tonsuram; *interdictum*, illos, istos, et *etiam locum* directe « afficere potest », quo in casu valet quod inquit Bonif. VIII in cap. 26 « de sententia excommunicationis, etc. » (V. 11) in 6°: « Caeterum cum propter delictum domini vel rectoris, est civitas interdicta: cives eiusdem (qui culpabiles non existunt,...) possunt extra ipsam licite interesse divinis », dum prius dicta prae oculis habuit Greg. X in Conc. Lugdunensi, quando sancivit contra usurarios [1]: « Qui contrafecerint, si personae fuerint ecclesiasticae, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, suspensionis, minores vero personae singulares, excommunicationis, si autem collegium seu alia universitas interdicti sententiam se noverint incursuros ».

Denique « cum medicinalis sit excommunicatio » [2] semper, decernitur in canone III° *excommunicatio est semper censura;* e contra *interdictum et suspensio* secundum eorum significationem verborum *possunt esse vel censurae* remittendae « per absolutionem » (can. 2236, § 1), quae « denegari nequit cum primum delinquens a contumacia recesserit » (can. 2248, § 1), *vel poenae vindicativae*, ac tunc earum « remissio per dispensationem concedi potest » (can 2236, § 1). Quam naturam induant patebit ex canonibus huius capitis, *sed*, quia juxta reg. iuris 30 in 6°: « In obscuris minimum est sequendum », monet legislator: *in dubio* iuris vel facti

[1] Cap. 16 Tit. XI Lib. V in 6°. - [2] Cap. 1 eiusdem tit. in 6°.

quolibet *praesumuntur censurae*, quia difficilius incurruntur ac facilius remittuntur, idest: ob delinquentis, qui eam privationem suffert, mutatam voluntatem, atque « in poenis benignior est interpretatio facienda » dicit reg. 49 iuris in 6°.

81. **Quorumdam verborum significatio** iuridica. *Can. 2256. In canonibus* praesertim huius capitis ob contextum *qui sequuntur*, sed alios usque ad finem Codicis afficit norma haec, scilicet in materia poenali (quamvis alia inveniatur significatio in canonibus qui praecesserunt): — *1° Nomine* taxative *divinorum officiorum intelliguntur functiones*, seu actus *potestatis ordinis* iam declaratae ad can. 108, § 2, sed tantum *quae* a) *de instituto Christi* v. gr. Altaris sacrificium *vel Ecclesiae* v. gr. horae canonicae *ad divinum cultum ordinantur*, cuiusmodi non est verbi Dei praedicatio, b) *et a solis clericis* nempe: « qui divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipati sunt » (can. 108, § 1) *fieri queunt* saltem licite ad normam ss. canonum. Hinc excluduntur ab illo nomine actus divini cultus extra sacram liturgiam, aliaeque oblationes temporalium in Dei honorem factae.

2.° Nomine autem actuum legitimorum, taxative in numero plurali, *ecclesiasticorum significantur* simul omnes sequentes: *munus administratoris* etiam cum aliis *gerere bonorum ecclesiasticorum*, de quo munere canones inveniuntur praecipue sub Titulo XXVIII, Lib. III, *partes agere iudicis* tum ordinarii, v. gr. officialis Curiae dioecesanae, tum delegati, sicut est iudex synodalis, etiamsi cum aliis « tribunal collegiale constituat » (can. 1576, § 2), *auditoris*, seu « actorum instructoris » (can. 1580, § 1) et *relatoris*, cuius munus describit can. 1584, *defensoris vinculi* « sacrae ordinationis atque matrimonii » (can. 1586), *promotoris* tum iustitiae, munus definitum in cit. canone, tum *fidei* « ad ius tuendum in quolibet processu » (can. 2010, § 1) beatificationis et canonizationis, *notarii* diversi *et cancellarii*, quorum officium describitur in can. 372 § 1, et in can. 374, *cursoris et apparitoris* de quibus agunt can. 1591-1593, *advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis* de quibus normae inveniuntur in can. 1655-1666; *munus patrini* saltem valide *agere in sacramentis baptismi et confirmationis* ad normam can. 765, 795; *suffragium ferre in electionibus ecclesiasticis* idest: ad normam ss. canonum peragendis; *ius patronatus* praesertim quoad « privilegium praesentandi clericum » (can. 1455 1°

et alia positive *exercere*, quin proinde obligetur v. gr. « in sui patronatus ecclesia stemma gentis vel familiae » auferre.

Nec deest huic significationi fundamentum in iure veteri, prout hoc habetur in cap. 13 « de haereticis » (V, 7) X, ibi enim statuit Innoc. III in Conc. Gen. de haereticorum conreis: « Ut postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit intra annum, ex tunc ipso iure sit factus infamis, nec ad publica officia, seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi nec ad testimonium admittatur:... Nullus praeterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causae aliquae ad eius audientiam praeferantur. Si fuerit advocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius sint momenti, sed cum auctore damnato damnentur. Et in similibus idem praecipimus observari ».

Art. 1. — *De excommunicatione.*

Can. 2257. - § 1. Excommunicatio est censura qua quis excluditur a communione fidelium cum effectibus qui in canonibus, qui sequuntur, enumerantur, quique separari nequeunt.

§ 2. Dicitur quoque *anathema*, praesertim si cum solemnitatibus infligatur quae in Pontificali Romano describuntur.

Can. 2258. - § 1. Excommunicati alii sunt *vitandi*, alii *tolerati*.

§ 2. Nemo est vitandus, nisi fuerit nominatim a Sede Apostolica excommunicatus, excommunicatio fuerit publice denuntiata et in decreto vel sententia expresse dicatur ipsum vitari debere, salvo praescripto can. 2343, § 1, n. 1.

Can. 2259. - § 1. Excommunicatus quilibet caret iure assistendi divinis officiis, non tamen praedicationi verbi Dei.

§ 2. Si passive assistat toleratus, non est necesse ut expellatur; si vitandus, expellendus est, aut, si expelli nequeat, ab officio cessandum, dummodo id fieri possit sine gravi incommodo; ab assistentia vero activa, quae aliquam secumferat participationem in celebrandis divinis officiis, repellatur non solum vitandus, sed etiam quilibet post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam aut alioquin notorie excommunicatus.

Can. 2260. - § 1. Nec potest excommunicatus Sacramenta recipere; imo post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam nec Sacramentalia.

§ 2. Quod attinet ad ecclesiasticam sepulturam, servetur praescriptum can. 1240, § 1, n. 2.

Can. 2261. - § 1. Prohibetur excommunicatus licite Sacramenta et Sacramentalia conficere et ministrare, salvis exceptionibus quae sequuntur.

§ 2. Fideles, salvo praescripto § 3, possunt ex qualibet iusta causa ab excommunicato Sacramenta et Sacramentalia petere, maxime si alii ministri desint, et tunc excommunicatus requisitus potest eadem ministrare neque ulla tenetur obligatione causam a requirente percontandi.

§ 3. Sed ab excommunicatis vitandis necnon ab aliis excommunicatis, postquam intercessit sententia condemnatoria aut declaratoria, fideles in solo mortis periculo possunt petere tum absolutionem sacramentalem ad normam can. 882, 2252, tum etiam, si

alii desint ministri, cetera Sacramenta et Sacramentalia.

Can. 2262. - § 1. Excommunicatus non fit particeps indulgentiarum, suffragiorum, publicarum Ecclesiae precum.

§ 2. Non prohibentur tamen:

1° Fideles privatim pro eo orare;

2° Sacerdotes Missam privatim ac remoto scandalo pro eo applicare; sed, si sit vitandus, pro eius conversione tantum.

Can. 2263. - Removetur excommunicatus ab actibus legitimis ecclesiasticis intra fines suis in locis iure definitos; nequit in causis ecclesiasticis agere, nisi ad normam can. 1654; prohibetur ecclesiasticis officiis seu muneribus fungi, concessisque antea ab Ecclesia privilegiis frui.

Can. 2264. - Actus iurisdictionis tam fori externi quam fori interni positus ab excommunicato est illicitus; et, si lata fuerit sententia condemnatoria vel declaratoria, etiam invalidus, salvo praescripto can. 2261, § 3; secus est validus, imo etiam licitus, si a fidelibus petitus sit ad normam mem. can. 2261, § 2.

Can 2265. - § 1. Quilibet excommunicatus:

1.° Prohibetur iure eligendi, praesentandi, nominandi;

2.° Nequit consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia;

3.° Promoveri nequit ad ordines.

§ 2. Actus tamen positus contra praescriptum § 1, nn. 1, 2, non est nullus, nisi positus fuerit ab excommunicato vitando vel ab alio excommunicato post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam; quod si haec sententia lata fuerit, excommunicatus nequit praeterea gratiam ullam pontificiam valide consequi, nisi in pontificio rescripto mentio de excommunicatione fiat.

Can. 2266. - Post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam excommunicatus manet privatus fructibus dignitatis, officii, beneficii, pensionis, muneris, si quod habeat in Ecclesia; et vitandus ipsamet dignitate, officio, beneficio, pensione, munere.

Can. 2267. - Communionem in profanis cum excommunicato vitando fideles vitare debent, nisi agatur de coniuge, parentibus, liberis, famulis, subditis, et generatim nisi rationabilis causa excuset.

Art. 1 De excommunicatione —
- — notio — Can. 2257
- — divisio — » 2258
- — effectus —
  - — in sacris quoad —
    - — divina officia — » 2259
    - — sacramentorum —
      - — receptionem et ecclesiasticae sepulturae — » 2260
      - — confectionem et administrationem — » 2261
    - — aliorum sacrorum participationem — » 2262
  - — in legitimis —
    - — actibus —
      - — ecclesiasticis — » 2263
      - — iurisdictionis — » 2264
    - — iuribus aliis — » 2265
  - — post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam — » 2266
  - — in profanis — » 2267

82. Divisio capitis et inscriptio art. I. — Can. 2255 expetit capitis huius divisionem in tres paragraphos. Ordo vero inter censuras in specie videtur incipere tum a maiori earum gravitate, quia summa est privatio bonorum in excommunicatione, post quam bonorum magis communium usum aufert interdictum, quam quaelibet suspensio. Praeterea haec coarctatur ad clericos, praecedentes vero extenduntur etiam ad laicos, quamvis interdicto, si locale sit, mulctati, eo durante possunt liberari per voluntatem a sustinendis eiusdem effectibus.

Art. 1 inscribitur *De excommunicatione* simpliciter tanquam unica, quae idem valet ac extra communionem constitui. Non illa intelligitur, quae innixa est fidei et caritati, seu sanctorum, quae semel adepta, nonnisi propria voluntate amittitur, utpote interna. Communio pendens ab Ecclesiae auctoritate est externa inter fideles actuum communicatio, quam baptismate homo acquirit et consequitur iura officiaque inde consequuta. Hinc illi qui excommunicantur fiunt extorres ab Ecclesiae societate, sed quia haec est catholica, non loco excedunt, sed spiritualiter ac socialiter tales efficiuntur. — In iure Decretalium invenitur duplex excommunicatio memorata a Gregorio IX his verbis [1]: « Si quem sub hac forma verborum, illum excommunico, (nihil addito), vel simili, a iudice suo excommunicari contingat: dicendum est eum non tantum *minori*, quae a perceptione sacramentorum (solummodo), sed etiam *maiori* excommunicatione (quae a communione fidelium separat) esse ligatum ». Porro haec *minor* excommunicatio fuit iure inflicta propter communicationem cum altero, postquam propter crimen fuit hic excommunicationi subiectus.

Sic enim legitur in cap. 2 « de exceptionibus » (II, 25): « is qui excommunicato (vitando post const. Martini V) in locutione, vel oratione scienter communicat,.... tantum a sacramentorum perceptione sit remotus ». Haec autem paulatim obsolevit, eo magis quod Pius IX in const. « Apostolicae Sedis » eam non retinuit. Unde, si aliquod dubium superesset, evanescit iuxta can. 6, 5°, quia eiusdem « in Codice nulla fit mentio, (proindeque) tanquam abrogata habeatur saltem iure ipso incurrenda vel infligenda ». Cum maneat igitur

[1] Cap. 59 « de sententia excommunicationis » (V. 39) X.

sola *maior* excommunicatio, illud adiectivum velut inutile rite fuit omissum.

83. **Canonum ordo** perspicuus est. Praecedentibus excommunicationis notione ac divisione sub can. 2257, 2258, sequuntur canones de illius effectibus. Hi triplicis sunt classis, quoad sacra nempe, quoad legitimos actus et iura, et quoad profanam conversationem. Haec postremo canoni moderanda relinquitur. In sacris vero distinguuntur divina officia, sacramenta quoad eorum receptionem, confectionem et administrationem, aliaque sacra participanda a fidelibus. De his ergo per ordinem tractant can. 2259-2662. Actus legitimi vel vocantur ecclesiastici, ut supra dicti fuerunt, vel sunt iurisdictionis. Hi proinde, si adiungas alia iura, petunt saltem claritatis causa tres canones 2263-2265, queis subsequitur can. 2266 de aliis iuribus, quae, tantum post sententiam comdemnatoriam vel declaratoriam excommunicationis ipsius, vel inefficacia redduntur, vel etiam auferuntur.

84. **Excommunicationis definitio** in usu est: « poena medicinalis qua baptizatus delinquens et contumax fidelium communione privatur ». Ipsi aequipollet, quam concorditer aliis Codicis praescriptis sic tradit *can. 2257*. — § *1. Excommunicatio est censura*, idest « poena medicinalis » (can. 2216, 1°) *qua quis* nempe: « homo baptizatus delinquens et contumax » (can. 2241, § 1) *excluditur a communione fidelium* videlicet: prohibetur ab omnibus iuribus exercendis, quae baptismate vel post illud acquisivit et consequuntur ecclesiasticae communionis vinculum, « id est, prout ait Innoc. III [1], per excommunicationis sententiam velut mortuus a communione fidelium separatur », ligatus quidem in coelo, et in conscientia obligatus, *cum effectibus* iuridicis quoad mensuram privationis, *qui in canonibus, qui sequuntur* in hoc paragrapho, *enumerantur*, sed cum extensione distincta pro triplici excommunicatorum gradu, *quique* in unoquoque gradu *separari* inter se iure vel ab homine *nequeunt*, secus ac in aliis censuris evenire potest. — Inter excommunicatos inveniri queunt qui tales effecti sunt ipso iure, alii excommunicati huiusmodi sed post declarationem censurae per sententiam, quibus sunt in iure aequales excommunicati ab homine seu per sententiam condemnatoriam, ac demum excommunicati vitandi. Excom-

[1] Cap. 13 « Qui filii sint legitimi » (IV, 22) X.

municationis effectus ergo sunt erga primos prohibitiones solummodo actuum, quoad alios prohibitiones aliae adduntur, imo inhabilitates ac irritationes actuum decernuntur, ita ut vitandi omni effectuum severitate percellantur.

Ad elucidationem datae notionis iuvat damnatio, quae invenitur in Bulla « Auctorem fidei »[1] Pii PP. VI. Videlicet: « XLVI. Propositio asserens. effectum excommunicationis exteriorem dumtaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriore communicatione Ecclesiae, — Quasi excommunicatio non sit poena spiritualis, ligans in coelo, animas obligans, — Falsa, perniciosa, in art. 23 Lutheri damnata, ad minus erronea ».

Clem. V in Conc. Viennensi statuit[2]: « in illis casibus de praedictis, in quibus excommunicationem per iam editos canones (aliquis) non subiret, sit huius nostrae constitutionis auctoritate (non obstante quacumque consuetudine, quam reputamus approbante sacro concilio potius corruptelam) anathematis mucrone percussus, a quo nequeat, nisi per S. Pont. (praeterquam in articulo mortis) absolvi ». Atque Conc. Trid.[3] postquam decreverat: iudices ecclesiastici « abstineant se tam in procedendo, quam definiendo (in quibusdam causis), a censuris ecclesiasticis, seu interdicto », quamvis, in capitis initio dixerit: « excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticae disciplinae, et ad continendos in officio populos valde salutaris », infra sic loquitur de supradictis causis: « Quod si executio realis, vel personalis adversus reos hac ratione (prius ibi posita) fieri non poterit; sitque erga iudicem contumacia; tunc eos etiam anathematis mucrone, arbitrio suo, praeter alias poenas ferire poterit ». — Propter ea recte ait § *2* de excommunicatione. *Dicitur quoque anathema*, v. gr. in definitionibus dogmaticis ex usu antiquissimo: « Si quis dixerit... (hoc vel illud)... anathema sit », idest: velut haereticus sit excommunicatus, sed *praesertim* in disciplina sic appellatur, *si cum sollemnitatibus* externarum caeremoniarum *infligatur* ab homine, *quae in Pontificali Romano* cum formulis quoque adhibendis, *describuntur* sub Titulo: « Ordo excommunicandi et absolvendi ».

85. **Excommunicatorum canonica distinctio** retinetur verbis, etiamsi per Codicem immutata sit quoad rem. Ad cuius intelli-

[1] 28 Aug. 1794. — [2] Clem. 1 « de poenis » (V, 8). — [3] Sess. XXV. cap. 3, de Ref.

gentiam primo adnotandum est quod legitur in cap. 13 « de appellationibus » (II, 28): « Si vero excessus publicus est notorius, appellationis obtentu non praetermittas, quin eos excommunicatos denuncies, ipsosque facias sicut excommunicatos (notetur bene) cautius evitari », quod supponit, eos iam praevie denunciationi evitandos fuisse a fidelibus excommunicationem noscentibus.

Martinus vero V const. « Ad evitanda » anno 1418 in Conc. Constantiensi statuit conditiones sub quibus excommunicati deberent esse a fidelibus vitandi, ita distinctionem inducens, quam memorat et confirmat iure scripto *can. 2258. § 1. Excommunicati alii sunt* a fidelibus quoad plures illius exclusionis actus *vitandi*, ceteri vero *alii* excommunicati quoad eosdem actus in fidelium consortium *tolerati*.

Hanc distinctionem elucidant verba Instructionis S. C. de Prop. Fide ad Vic. Ap. Sutchuen.[1]: « Atque in hanc rem illud maxime considerandum videtur, num aliquis per sententiam iudicis fuerit excommunicatus ac publice denuntiatus, an vero eam censuram a iure contraxerit, haud quidem iudicis sententia declaratam, sed cum crimen, propter quod in excommunicationem incidit, ita notorium ac manifestum sit, ut nulla possit tergiversatione celari, aut iuris suffragio excusari, hinc passim apud reliquos fideles pro publico peccatore habeatur. Uterque profecto a Sacramento Poenitentiae repelli debet; nequeunt enim excommunicati participes fieri Sacramentorum. Discrimen tamen inter utrumque intercedit, quod excommunicatus et denuntiatus sententia iudicis, cum a caeterorum fidelium communione separetur, *vitandus* etiam est, ideoque nec in ecclesiam admitti potest, ut incruento Sacrificio adsistat, publicas preces fundat, caeterisque communibus religionis officiis adstet, excepta dumtaxat Verbi Dei praedicatione, quam excommunicatos audire a iure permissum est, cap. « Responso » 43 « De sententia excommunicationis ». Is vero cui excommunicationis nulla est indicta sententia, vel iudicialis declaratio, nec a fidelium coetu repellitur, neque aditu ecclesiae prohibetur, nec a publicis precibus excluditur; Sacramentorum tamen participatione, sicut in seipso incapax est (quod de occulto excommunicato valet quoque), ita a fideli mysteriorum Dei dispensatore merito arcendus, propter cri-

[1] 29 Apr. 1784. Collectanea S. C. de P. F. n. 569.

minis sui notorietatem et pertinaciam; ex quo, cum publicum scandalum exortum fuerit, nisi cessaverit, et apta ac convenienti poenitentia fuerit emendatum, indignus omnino censendus est, ut mysteriorum Christi particeps fiat, ne contra Evangelii praeceptum margaritae mittantur ante porcos. Hucusque ex cit. Instructione.

« In textu, qui dicitur Concilii Constantiensis, solus *notorius clerici percussor* est vitandus praeter eos, " qui specialiter et expresse per sententiam a iudice publicatam vel denunciatam ,, fuerint excommunicati ». Additur quoque: « Per hoc tamen huiusmodi (seu toleratos) excommunicatos, suspensos, interdictos seu prohibitos, non intendit (Sacrum Concilium) in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari ». Ex vitandis ergo quidam fuerunt censurati ab homine, quidam vero a iure. — Quid simile statuit § 2 sic incipiens. *Nemo est vitandus,* seu non obstante iure praecedenti, *nisi*, quoad censuratos ab homine, *fuerit* a) *nominatim,* idest: proprio nomine et agnomine expresso, vel per officium aliasve circumstantias singillatim designatus, non « a quolibet iudice » ecclesiastico, sed b) *a Sede Apostolica* (can. 7) v. gr. a S. Congr. S. Officii, a Congregatione de religiosis, c) *excommunicatus*, vel quod idem est iure declaratus huiusmodi, non vero si alia censura fuerit perculsus, praeterea d) *excommunicatio* haec *fuerit publice denunciata* v. gr. in Actis Apostolicae Sedis, vel aliter ita ut divulgari facile queat, *et* e) *in decreto* etiam extraiudiciali *vel sententia* proprie dicta (can. 1868, § 1), *expresse dicatur ipsum* de quo supra excommunicatum *vitari debere,* sic enim nullum potest dubium remanere de fidelium obligationibus erga illum publice servandis iuxta subsequentes canones. Verumtamen quoad vitandos a iure, sic explicit canon: *salvo praescripto can. 2343, § 1, n. 1* coarctante ius praecedens de notorio clerici percussore, ad eum « qui violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerit », etiamsi notorietas non exigatur. — Iuxta praedicta sequitur Decretum S. Congr. S. Officii non facere reum vitandum, quando desit in illo expressio huiusmodi, seu conditio sub littera e) declarata.

86. **Effectus excommunicationis circa divina officia.** — *Can. 2259. § 1.° Excommunicatus quilibet*, id est: sive toleratus sive vitandus ob relationem cum seq. §°, *caret*, utpote per excommunicationem privatus, *iure assistendi* a) *divinis officiis*, non aliter ac ceteri acatholici, qua de causa propter omissionem videretur

sublata prohibitio, sed haec remanet ad normam iuris praecedentis, quatenus implicita est in §° sequenti; b) *non tamen* « caret iure assistendi » *praedicationi verbi Dei*, quamvis intra Missarum sollemnia fieret, quatenus ab his audiendis non prohibeatur. Concessio illa nititur cap. 43 « de sententia excommunicationis... » (V, 39) ubi Innoc. III ait Ferrarien. Episcopo: « Responso nostro postulas edoceri, an cum Ferrar. cives excommunicationis et interdicti sententiis sint ligati, liceat tibi viros et mulieres semel in hebdomada, vel in mense, apud aliquam ecclesiam convocare, quibus praedices verbum Dei, et eosdem ad correctionem inducas. Super quo respondemus, quod sine scrupulo conscientiae hoc facere poteris, cum videris expedire: dummodo contra formam interdicti nullum eis (praecise) divinum officium celebretur ».

Prohibitionem ex § 1° consequentem respicit sub distinctione duplici § 2. *Si passive* idest: mera praesentia quamvis devota *assistat* a) excommunicatus *toleratus*, etsi « post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam », *non est necesse ut expellatur*, ceteris enim fidelibus conceditur talis communicatio, ac secundum cit. Instructionem S. Congr.^s de P. F. ex benigna interpretatione practica « nec a fidelium coetu repellitur, neque aditu ecclesiae prohibetur, nec a publicis precibus excluditur », quae praxis erga acatholicos servatur; b) *si vitandus* « passive assistat », cum talis dicatur respectu fidelium, *expellendus est*, nam iuxta praecedentem disciplinam implicite hic contentam sustinetur pro eodem huiusmodi assistentiae prohibitio, hinc prosequitur canon: *aut, si expelli nequeat* quocumque motivo, v. gr. quia persona publica, ob malum alias consequens vitandum, *ab officio* etiam incoepto *cessandum* est, *dummodo id* quoque *fieri possit sine gravi incommodo*, quod extaret, si v. gr. plures fideles privarentur audire Missam, vel si iam incoeptus esset canon Missae; — *ab assistentia vero activa*, v. gr. deferendi cereum in processionibus, locum habendi inter cantores, nempe: *quae aliquam secum ferat participationem in celebrandis*, (v. gr. uti laicus deservire sacrificio Missae), non solum videndis vel audiendis, *divinis officiis*, quae « a solis clericis fieri queunt », *repellatur* semper, quia facilius est, *non solum* a) *vitandus*, qui exclusus fuit ab altera quoque assistentia, *sed etiam quilibet* excommunicatus a iure vel ab homine b) *post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam* ad can. 2258 explicatas, c) *aut alio-*

quin notorie excommunicatus, quod supponit delictum « notorium notorietate iuris vel notorietate facti », si agatur de excommunicatione latae sententiae a iure, vel divulgationem de inflicta certo excommunicatione ad modum praecepti. Abusus contra huiusmodi disciplinam videri queunt in Clem. 2 « de sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti » (V. 10).

87. **Circa receptionem sacramentorum et sacramentalium** statuit *can. 2260. — § 1. Nec* licite *potest excommunicatus* quilibet qua talis *Sacramenta*, quorum est subiectum capax, etiam poenitentiam iuxta § 2, can.[s] 2250, *recipere; imo* solum *post sententiam* excommunicationis *declaratoriam aut condemnatoriam* iudicis supra ad can. 2258 declaratam, et a fortiori excommunicatus vitandus, *nec Sacramentalia*, v. gr. « Agnus Dei », diversas benedictiones in personam, etc., et consequenter obligantur ministri excommunicato huiusmodi certe cognito haec non dare. Sub nomine Sacramentalium hic non veniunt exorcismi propter canonis 1152 ultima verba: « exorcismi... fieri possunt... etiam in excommunicatos », ne inaniter positum illud dicamus: ergo « generi per speciem derogatur » (reg. iuris 34 in 6°), nempe huius canonis praescripto de sacramentalibus per alterum cit.[1] can.[s] de exorcismis. — Simile quid dicatur de matrimonii sacramento ad normam can. 1066.

§ 2. *Quod attinet ad ecclesiasticam sepulturam* iuxta inscriptionem tit. XII, Lib. III ibi declaratam, num sit excommunicatis et quo modo deneganda, *servetur praescriptum can. 1240, § 1, n. 2* tunc explicatum. Videlicet: « ecclesiastica sepultura privantur, nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa: excommunicati post sententiam vel condemnatoriam », et fortiori de causa excommunicati vitandi, « vel declaratoriam » cuiuslibet excommunicationis a iure latae sententiae iam incursae.

88. **De sacramentorum et sacramentalium confectione et administratione,** simul agitur, quia hi duo actus ad invicem sunt relati, atque « sacramentalia in aliquam Sacramentorum imitationem » in usu veniunt (can. 1144). Item, quia hi effectus in definitione excommunicationis evidenter continentur velut partes in toto, sufficiat ex iure Decretalium unicus textus, cum plures congerantur in titulo « de clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante » (V, 27) X. Sit cap. 6: « Presbyteros autem, et alios clericos, qui pro suis excessibus a te nexibus anathematis

canonice innodati, praesumpserunt vel praesumunt officia celebrare divina, rationabiliter poteris omnibus beneficiis ecclesiasticis spoliare ». Hinc in Missali Rom. sub tit. « De defectibus in celebratione occurrentibus », cap. VIII, « de defectibus dispositionis animae » sic legimus: « 1. Si quis... excommunicatus... celebret: conficit quidem Sacramentum, sed gravissime peccat, tam propter Communionem, quam indigne sumit, quam propter exequutionem Ordinum, quae sibi erat interdicta ».

Perfectius exprimit hunc effectum *can. 2261.* — § *1. Prohibetur excommunicatus*, ut plurimum sacro praeditus ordine, *licite Sacramenta* etiam Baptismi non solemnis ac Matrimonii, *et Sacramentalia*, quaelibet de re permanenti *conficere et* eadem aliaque, quae in actionibus solis consistant, *ministrare*, quamvis hoc tantum fiat, v. gr. in ssm̃a eucharistia ministranda, quin attingatur per hunc paragraphum validitas ipsius quoque sacramenti Poenitentiae vel Ordinis atque cuiuscumque sacramentalis. Ita explicit hoc praescriptum: *salvis exceptionibus* circa liceitatem actuum, *quae sequuntur* in utroque §°.

Interpretationem datam §[i] 2[i] sub canone 2259 confirmat ex analogia § *2. Fideles*, quia hi tantum ius habent ad sacramenta et sacramentalia suscipienda, *salvo praescripto* § *3* propter distinctionem iuris praec.[s] inter excommunicatos toleratos et vitandos, *possunt* vi praefatae tolerantiae *ex qualibet iusta*, idest: necessitatis vel utilitatis *causa*, non pro arbitrio ob excommunicationis respectum et excommunicati indispositionem, *ab excommunicato* iure latae sententiae etiam speciali vel specialissimo modo *Sacramenta* quaelibet *et* quaecumque *Sacramentalia petere*, etiam devotionis causa, *maxime si alii ministri desint*, quo in casu deest prava indisposito fortassis ob excommunicationem cooperatio, *et tunc*, idest: hac posita conditione, vel ex illa causa, *excommunicatus requisitus potest* licite, ad prohibitionem §[i] praec. quod attinet, sed non tenetur, nisi urgeat caritatis vel iustitiae obligatio, *eadem* declarata « Sacramenta et Sacramentalia » singula *ministrare*, non Eucharistiae sacramentum vel Sacramentalem rem conficere; sed cum ex priore §[i] parte « iusta causa » petendi debeat extare, subditur: *neque ulla* etiam indirecte *tenetur obligatione* quamvis levi *causam a requirente percontandi*. Imo praesumere potest illam existere, nisi oppositum ei certo innotescat.

Explicatur statim clausula « salvo praescripto § *3* », quod propterea incipit adversative. *Sed ab excommunicatis* a) *vitandis* a iure latae sententiae vel ab homine iuxta §^m 2^m can.^s 2258, *necnon* b) *ab aliis* quibuslibet *excommunicatis*, sub conditione *postquam intercessit sententia* proprie dicta secundum can. 1868, § 1, *condemnatoria* seu excommunicationem infligente, *aut declaratoria* excommunicationis latae sententiae iam incursae, *fideles* ob ius habitum a) *in solo mortis articulo*, seu illa probabiliter proxima, *possunt* licite *petere* b) *tum absolutionem sacramentalem* a sacerdote excommunicato, « licet ad confessiones non approbato, et etiamsi praesens sit sacerdos approbatus », idest *ad normam can. 882, 2252*, qui posterior respicit absolutum « ab aliqua censura ab homine vel a censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata », c) *tum etiam* licite petere ab excommunicatis, quos considerat haec paragraphus, ac sub conditione: *si alii desint ministri* sequentium, *cetera Sacramenta* v. gr. Viaticum, Extremam Unctionem *et Sacramentalia* v. gr. « benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria » ad normam can. 468, § 2. In hoc disiunctivo praescripto relucet materna pietas Ecclesiae providentis suis filiis commoditatem reconciliationis.

89. **Aliae sacrorum prohibitiones** consequuntur excommunicationis naturam, quas recenset cum distinctione *can. 2262. § 1. Excommunicatus*, qua talis, etiamsi adimpleat conditiones « ut indulgentias revera lucretur » (§ 2) et alia requisita possideat « ut capax sit eas lucrandi » (can. 925, § 1), *non fit particeps* a) quarumlibet *indulgentiarum* etiam in articulo mortis ante absolutionem de facto receptam, b) *nec suffragiorum*, sicut scriptum est in cap. 38 « de sententia excommunicationis... » (V, 39) X de eo qui excommunicationis sententia est adstrictus: « non tamen priusquam absolutionis gratiam perceperit, habendus est absolutus: nec si occumbat in huiusmodi bello, sunt (absolutiones vel) oblationes recipiendae pro eo, vel orationes Domino porrigendae, nisi cum de ipsius viventis poenitentia per evidentia signa constiterit: et iuxta cuiusdam constitutionis nostrae tenorem (in cap. 28 eiusdem tit. insertum) defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur », nec demum « fit particeps » *publicarum Ecclesiae precum* sive in sacra liturgia, sive extra eam per fidelium coetum illae fiant. Etenim Leo X in

Bulla « Exurge Domine »[1] damnavit Lutheri prop. « 23. Excommunicationes sunt tantum externae poenae nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiae orationibus ».

Verumtamen excommunicatio non attingit directe communionem sanctorum, quae internis fidei et caritatis vinculis constat. Imo excommunicationis fini prodest intercessio fidelium et Advocati ad Patrem Christi Iesu. Propterea decernit § *2. Non prohibentur tamen* indirecte ob quamlibet alterius excommunicationem:

1.° Fideles, qui Ecclesiae subduntur, *privatim* idest: cultu privato (can. 1256) ac singulatim vel ad instar familiae *pro eo* scilicet: directe in favorem spiritualem vel temporalem excommunicati *orare* interne aut externe, expressa quoque intentione. Quamvis enim Ecclesia posset sua prohibitione actus illos externos vetare, non congruit ipsius benignitati ac fini, quem prosequi debet.

Item ad internam sanctorum communionem proprius accedit derivatio personalis et occulta meritorum Christi, quae conceditur sub n.° *2.°* Sacerdotes quilibet, parochi etiam et Ordinarii *Missam* a) *privatim,* quamvis conscia una vel altera persona familiave, forsitan praebente eleemosynam, dummodo publice ignoretur, addente canone: b) *ac remoto scandalo*, quod derivari posset fidelibus, qui putarent id fieri non posse, vel quia parvipenderetur Ecclesiae censura, sicut eveniret recipiendo Missae stipendium ab ipso excommunicato, *pro eo,* uti hoc est sub n. 1° declaratum, *applicare* ad quemlibet honestum finem iuxta applicationis extensionem ad can. 809 explicatam. — Haec interpretatio fulcitur a canone, dum adversative subiungit: *sed*, solummodo *si sit vitandus* excommunicatus ad normam can.[s] 2258, §[i] 2[i], *pro eius conversione tantum*, exclusis ergo utilitatibus, licet Missam « pro eo » sub conditionibus a) et b) « applicare ».

90. **Quoad actus legitimos etsi non sacros** explicat prohibitiones *can. 2263* « cum veteri iure congruens » (can. 6, 2°, 3°). Sic enim legitur in cap. 14 « de sententia excommunicationis » in 6°: « Excommunicatus tamen nominatim vel specialiter et expresse (limitationes nunc sublatae), qui post appellationem legitimam excommunicationis sententiam asserit in se latam, si appellationem eamdem infra tempus ad ipsam prosequendam ab

[1] 15 Iun. 1520. Denzinger, n. 763.

homine vel a iure statutum, non fuerit (ut debuit) prosecutus, lapso eodem tempore excommunicatus publice nuntiari, (ac referuntur effectus) et nedum in iudicialibus, sed etiam in extraiudicialibus evitari, ac a legitimis actibus removeri debebit, quousque quod post appellationem legitimam excommunicatus fuerit, vel alias de ipsius sententiae docuerit nullitate ». Porro magis complete refert prohibitiones in praesenti canone recensitas cap. 13 « de haereticis » (V, 7) X. Ait enim Innoc. III in Conc. generali: « Firmiter statuentes, ut postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit infra annum (conditio nunc sublata) ex tunc ipso iure... nec ad publica officia seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi nec ad testimonium admittatur... Nullus praeterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte iudex extiterit, (etiam « is cui causa, licet proprio nomine eius expresso, a Sede fuerit Aplca. delegata » ut constat ex cap. 10 « de officio et potestate iudicis delegati » tit 14, Lib. I in 6°), eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causae aliquae ad eius audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius sint momenti, sed cum auctore damnato damnentur. Et in similibus idem praecipimus observari... Similiter quilibet regulares, quibus etiam hoc infligatur, ut eorum privilegia in illa dioecesi non serventur, in qua tales excessus praesumpserint perpetrare ».

Codex mentem ac litteram iuris Decretalium servavit, decernens: a) *Removetur excommunicatus* quilibet hac de causa *ab actibus legitimis ecclesiasticis* (can. 2256, 2°), non autem ab actibus legitimis civilibus, et ab illis *intra fines* cognoscendos *suis in locis* Codicis pro illorum diversitate, seu *iure* scripto *definitos*, ultra quos non extendatur remotio, b) *nequit in causis* tantummodo *ecclesiasticis* propter hanc exercitam iurisdictionem *agere* proprie, *nisi ad normam can. 1654*, ubi quidquam huiusmodi ipsis « excommunicatis vitandis aut toleratis post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam permittitur »; c) *prohibetur ecclesiasticis officiis* stricto sensu atque lato (can. 145, § 1) ex additione: *seu muneribus* fungi, v. gr. advocati, notarii, praedicare verbum Dei, d) *concessisque antea*, nam in §° 2ª can.ˢ 2265 tractabitur de concedendis, *ab Ecclesia* per quamlibet potestatem *privilegiis* stricto sensu dictis

frui. Notandum est in his omnibus clausulam irritantem omissam fuisse, atque prohibitiones admittere parvitatem materiae, praeter excusationes sub can. 2232 expressas, aliasve generaliores a legibus ecclesiasticis.

91. **Circa iurisdictionis exercitium** decernit *can. 2264. Actus iurisdictionis* ceteroquin retentae, sed proprie dictae ad normam can. 196 *tam fori externi quam fori interni*, utriusque ibidem declarati, idest: cuiuslibet iurisdictionis, ordinariae, delegatae aut subdelegatae, a) *positus* personaliter *ab excommunicato* quolibet, ipsa quoque delegatio iurisdictionis, non autem qui vi huius delegationis fiat, *est illicitus* excommunicationis causa; *et*, b) *si lata fuerit sententia condemnatoria vel declaratoria*, et pari ratione, si fuerit vitandus iure, « actus iurisdictionis » supra declaratus, *etiam invalidus*, *salvo praescripto can. 2261*, *§ 3,* de validitate absolutionis « in solo mortis periculo ad normam canonis 882, 2252; c) *secus,* videlicet: non eveniente conditione declarata sub littera b), quivis actus iurisdictionis ab excommunicato positus *est* semper *validus*, *imo* per canonis exceptionem *etiam* erit *licitus*, *si a fidelibus petitus sit* quoad absolutionem sacramentalem *ad normam* declaratam *memorati* paulo ante *can. 2261*, sed §[1] *2*[i]. Ad hunc canonem pertinet, ut declaratio, quod ait Paulus IV in sua const. « Cum ex Apostolatus » [1] in § 5: quidam eo quod « sententiam excommunicationis eo ipso incurrant,... nec voce, persona, scriptis vel nuncio aut procuratore aliquo ad... consilia seu synodum vel concilium, generale vel provinciale, nec conclave cardinalium aut aliquam fidelium congregationem seu electionem alicuius, aut testimonium perhibendum admittantur, nec admitti possint ». Quae omnia nunc intelligenda sunt cum ampliatione ac sub conditione in can. 2263, praesenti et sequenti positis.

92. **Aliae prohibitiones** sequuntur. *Can. 2265. § 1. Quilibet excommunicatus* et huius causa: — *1.º Prohibetur* ab exercendo *iure* proprie dicto, quod a legislatione canonica oriatur vel recognoscatur, a) *eligendi*, in ipsis quoque laicorum confraternitatibus ad normam can. 715, et potiori ratione ad normam cann. « De electione » 160-178, quandocumque hi servandi sunt, v. gr. « in electionibus, quae a Capitulis fiunt » (can. 507), b) *praesen-*

[1] 15 Febr. 1559.

tandi tum vi iuris patronatus ob can. 1455, 1°, tum vi alterius canonis, v. gr. ob cann. 456, 471, § 2, c) *nominandi* sive propter apostolicum privilegium ad Ecclesias vacantes, sive propter ss. canones, v. gr. ob can. 480, § 2 « rector ecclesiae » a Superiore religionis exemptae nominatus, qui debet ab Ordinario loci approbari. Hanc interpretationem ampliorem sequimur, quia lex non distinguit aut coarctat praescriptum ad officia vel ad alia munera. Propter quod nec nos distinguere debemus.

2.° Nequit licite « excommunicatus », quandoque autem valide *consequi* a) *dignitates* sic vocatas propter ius praecedentiae ac honoris praecellentis, b) *officia* « stricto sensu » (can. 145), c) *beneficia* « ecclesiastica » (can. 1409), d) *pensiones ecclesiasticas,* quas ad can. 1429 explicavimus, e) *aliudve munus* saltem quod sit officium ecclesiasticum « lato sensu » ad normam mem. can. 145, *in Ecclesia* qua societate.

3.° Promoveri nequit licite *ad ordines,* quod verbum « comprehendit, praeter consecrationem episcopalem, ordines (maiores et minores) et ipsam primam tonsuram » (can. 950).

Valor huiusmodi ordinum pendet solummodo ab his, quae iure divino ad ordinationis in sacris essentiam requiruntur, et quae ad coeteras ordinationes iure ecclesiastico fuerunt extensa. Proinde sic incipit § 2. *Actus tamen positus* saltem acceptando *contra praescriptum* formale iuxta datam declarationem § *1, nn. 1, 2* solummodo *non est nullus, nisi positus fuerit ab excommunicato vitando* ad normam can. 2258, § 2, *vel ab alio excommunicato post sententiam* proprie dictam *declaratoriam*, quando fuit ipso facto excommunicatus, *vel condemnatoriam*, si excommunicatus fuit ab homine. Statim ob connexionem subiungitur alius effectus: *quod si haec alterutra sententia lata fuerit*, idque accidit quoad excommunicatum ab homine vitandum, unde comprehendi quoque dicendus est excommunicatus iure vitandus, huiusmodi *excommunicatus nequit praeterea*, veluti novus excommunicationis effectus, *gratiam ullam pontificiam* per quodcumque Curiae Romanae dicasterium et ab ipso Rom. Pontifice excommunicationis non conscio datam: etsi honorem solum civilem contineat illa, vel sit matrimonialis dispensatio vi delegationis S. Sedis concedenda, *valide consequi, nisi in pontificio rescripto,* cui aequipollet aliud documentum, *mentio* saltem implicita, v. gr. per absolutionem a censuris ad cautelam, *de*

excommunicatione tali *fiat*. Sic restrictum viget cap. 1 « de rescriptis » (I, 3) in 6° ubi ait Greg. IX: « Ipso iure rescriptum vel processus per ipsum habitum non valeat, si ab excommunicato super alio quam excommunicationis vel appellationis articulo fuerit impetratum ». Talis vero restrictio facta fuit primo in Normis peculiaribus, Cap. III, n. 6° [1].

93. **Propria differentia inter excommunicatum post sententiam et excommunicatum vitandum.** — Relationem habet ad num. 2, §i 1i, can.is praec. sequens praescriptum, quia dum ille considerat consequutionem rei, hic respicit easdem res iam possessas. Videlicet: *Post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam* in praec. §° 2° declaratam, sic *excommunicatus*, ultra effectus §i 2i, *manet privatus*, proinde ipso iure, *fructibus* equidem temporalibus alias percipiendis causa *dignitatis*, *officii*, *beneficii*, *pensionis, muneris*, *si quod* horum in can. praec. declaratorum *habeat in Ecclesia*, *et vitandus* « excommunicatus manet privatus », ut supra, sed *ipsa dignitate*, *officio, beneficio, pensione*, *munere*, ubilibet ea possideat.

94. **Communicatio in profanis prohibita directe fidelibus.** — S. C. S. Officii [2] interrogata: « Utrum, ablata excommunicatione minori contra eos, qui communicant cum excommunicatis nominatim a Summo Pontifice, censeatur etiam ablata prohibitio. Resp. Negative. — SSmus adprobavit ». Haec prohibitio, quae indirecte gravat excommunicatum et ad profana quaeque iure veteri extendebatur, sic retinetur iuxta verbi proprietatem iuridicam. *Can. 2267. — Communionem in profanis*, « sicut in verbo, vel in osculo, vel in mensa », *cum excommunicato vitando* solummodo ad normam can. 2258, § 2, *fideles* Ecclesiae subditi *vitare debent,* eo quod in casu « corporalia ad spiritualia ordinantur. Et ideo potestas quae se extendit ad spiritualia, etiam ad corporalia se extendere potest; sicut ars quae est de fine imperat de his quae sunt ad finem » [3]. Verumtamen in Decreto Greg. VII in cap. « Quoniam, inquit, multos peccatis nostris exigentibus pro causa excommunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantia, partim nimia sim-

[1] Ordo servandus in SS. Congregationibus, Tribunalibus, Officiis Romanae Curiae, 29 Sept. 1908. CO. I, 64. — [2] 2 Aug. 1893. Collectanea S. C. de P. F. n. 1844. — [3] D. Th. in Supplem. quaest. XXIII, art. 1, ad 1m et ad 2m.

plicitate, partim timore, partim etiam necessitate; devicti misericordia, sententiam anathematis ad tempus, prout possumus opportune temperamus. Apostolica itaque auctoritate ab anathematis vinculo subtrahimus uxores, liberos (id est filios), servos, ancillas, seu mancipia, necnon rusticos servientes; et omnes alios qui non adeo curiales sunt ut eorum consilio scelera perpetrentur, et eos qui ignoranter excommunicatis communicant. Quicumque autem orator, sive peregrinus, aut viator, in terram excommunicatorum devenerit, ubi non possit emere, vel non habeat unde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et si quis excommunicatis non in sustentationem superbiae, sed humanitatis causa, dare aliquid voluerit, non prohibemus ».

Praedicto textui congruit canon subdens exceptionem: *nisi agatur de* « excommunicati vitandi » *coniuge*, marito vel uxore, illius *parentibus, liberis* ut in textu citato, *famulis*, quamvis cum illo non cohabitantibus, *subditis* ratione cuiuslibet potestatis, *et generatim nisi rationabilis causa,* v. gr. inter eas per Greg. VII relatas, *excuset* a prohibitione servanda, atque multo magis « in illo casu in quo aliquis ex praecepto caritatis communicare tenetur, non prohibetur » a dicta communicatione. Transgressio vero huius canonis veniale numquam excedit, nisi fiat in formalem contemptum Ecclesiae.

Art. II. — *De interdicto.*

Can. 2268. - § 1. Interdictum est censura qua fideles, in communione Ecclesiae permanentes, prohibentur sacris quae in canonibus, qui sequuntur, enumerantur.

§ 2. Prohibitio fit vel directe per interdictum personale, cum personis ipsis usus eorum bonorum interdicitur; vel indirecte per interdictum locale, cum certis in locis eorundem dispensatio vel perceptio vetatur.

Can. 2269. - § 1. Generale interdictum tam locale in territorium dioecesis, reipublicae, quam personale in populum dioecesis, reipublicae, ferri tantum potest a Sede Apostolica vel de eius mandato; interdictum vero generale in paroeciam vel paroeciae populum, et particulare sive locale sive personale, etiam Episcopus ferre potest.

§ 2. Interdictum personale sequitur personas ubique; locale non urget extra locum interdictum, sed in loco interdicto omnes etiam exteri aut exempti, excluso speciali privilegio, illud servare debent.

Can. 2270. - § 1. Interdictum locale sive generale sive particulare non vetat morientibus Sacramenta et Sacramentalia, servatis servandis, ministrare, sed prohibet in loco quodlibet divinum officium vel sacrum ritum, salvis exceptionibus de quibus in § 2 huius canonis et in can. 2271, 2272.

§ 2. In die Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, sanctissimi Corporis Christi et Beatae Mariae Virginis in caelum assumptae interdictum locale suspenditur, et prohibetur tantum collatio ordinum et sollemnis nuptiarum benedictio.

Can. 2271. - Si interdictum fuerit locale generale et interdicti decreto aliud non caveatur expresse:

1° Permittitur clericis, dummodo non sint ipsi personaliter interdicti, omnia divina officia et sacros ritus in quacumque ecclesia aut oratorio privatim obire, ianuis clausis, voce submissa et campanis non pulsatis;

2° In ecclesia vero cathedrali, ecclesiis paroecialibus vel in ecclesia quae unica sit in oppido, in iisque solis, permittuntur unius Missae celebratio, asservatio sanctissimi Sacramenti, administratio baptismatis, Eucharistiae, poenitentiae, assistentia matrimoniis, exclusa benedictione nuptiali, mortuorum exsequiae, vetita tamen quavis sollemnitate, benedictio aquae baptismalis et sacrorum oleorum, praedicatio verbi Dei. In his tamen sacris functionibus prohibetur cantus et pompa in sacra supellectili et sonitus campanarum, organorum, aliorumve instrumentorum musicalium; sacrum autem Viaticum ad infirmos privatim deferatur.

Can. 2272. - § 1. In interdicto locali particulari, si interdictum fuerit altare vel sacellum alicuius ecclesiae, nullum sacrum officium seu sacer ritus in eisdem celebretur.

§ 2. Si interdictum fuerit coemeterium, fidelium quidem cadavera sepeliri ibidem possunt, sed sine ullo ecclesiastico ritu.

§ 3. Si latum fuerit in certam ecclesiam vel oratorium:

1° Si ecclesia fuerit capitularis nec interdictum sit Capitulum, valet praescriptum can. 2271, n. 1, nisi interdicti decretum praecipiat Missam conventualem celebrari et horas canonicas recitari in alia ecclesia aut oratorio;

2° Si fuerit paroecialis, servetur praescriptum cit. can. 2271, n. 2, nisi interdicti decretum aliam ecclesiam pro interdicti tempore eidem substituat.

Can. 2273. - Interdicta civitate, interdicta quoque manent loca accessoria etiam exempta et ipsa ecclesia cathedralis; interdicta ecclesia, interdicta sunt sacella contigua, non vero coemeterium; interdicto sacello, non est interdicta integra ecclesia nec, interdicto coemeterio, interdicta est ecclesia ipsi contigua, sed interdicta sunt omnia oratoria in coemeterio erecta.

Can. 2274. - § 1. Si communitas seu collegium delictum perpetraverit, interdictum ferri potest vel in singulas personas delinquentes, vel in communitatem, uti talem, vel in personas delinquentes et in communitatem.

§ 2. Si primum, servetur praescriptum can. 2275.

§ 3. Si alterum, communitas seu col-

legium nequit ius ullum spirituale exercere quod ei competat.

§ 4. Si tertium, effectus cumulantur.

Can. 2275. - Personaliter interdicti:

1° Nequeunt divina officia celebrare eisve, excepta praedicatione verbi Dei, assistere; passive assistentes non est necesse ut expellantur; sed ab assistentia activa, quae aliquam secumferat participationem in divinis officiis celebrandis, repellantur interdicti post latam sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, aut alioquin notorie interdicti;

2° Prohibentur Sacramenta et Sacramentalia ministrare, conficere et recipere, ad normam can. 2260, § 1, 2261;

3° Praescripto can. 2265 etiam ipsi adstringuntur;

4° Carent sepultura ecclesiastica ad normam can. 1240, § 1, n. 2.

Can. 2276. - Qui interdicto locali vel interdicto in communitatem seu collegium subest, quin eidem causam dederit, nec alia censura prohibeatur, potest, si sit rite dispositus, Sacramenta recipere, ad normam canonum praecedentium, sine absolutione ab interdicto aliave satisfactione.

Can. 2277. - Interdictum ab ingressu ecclesiae secumfert prohibitionem ne quis in ecclesia divina officia celebret vel eisdem assistat aut ecclesiasticam sepulturam habeat; si autem assistat, non est necesse ut expellatur, nec, si sepeliatur, oportet ut cadaver amoveatur.

95. **Inscriptio articuli et ordo canonum.** — Deinde considerandus est *Art. II* cuius inscriptio *De interdicto* innuit hoc verbum sumi non secundum eius vulgarem significationem, quae prohibitionem sonat, sed proprio sensu iuridico. Nam revera illud uti nomen ac in materia poenali Ecclesiae denotat unam ex tribus poenis medicinalibus, quae infliguntur delinquentibus.

Interdicti notionem ac praecipuam distinctionem tradit can. 2268, auctorem ac subiectum edicit can. 2269, dum tres sequentes 2270-2272 referunt effectus diversi localis interdicti, adnexo can. 2273 circa huiusmodi interdicti interpretationem. Interdictum autem personale per duos can. 2274, 2275 est moderatum, quamvis sequens can. 2276 comprehendat aliquod personale interdictum simul ac locale, sed ad hoc, ut concessa innotescant. Ultimus can. 2277 est exclusivus de interdicto ab ingressu ecclesiae.

96. **Interdicti notio et praecipua distinctio.** — § *1.* Iuxta Innoc. III in cap. 20 « de verborum significatione » (V, 40) X supra relato: *Interdictum est censura,* nempe: « poena qua homo baptizatus delinquens et contumax » (can. 2241, § 1), id est, ut in canone: *qua fideles, in communione Ecclesiae permanentes,* quae clausula secernit eos ab excommunicatis, solummodo *prohibentur sacris,* videlicet: usu sacrorum passivo vel activo, *quae in canonibus, qui sequuntur* sub hoc articulo atque sub interdictorum diversitate *enumerantur.*

Cum sacrorum usus fiat a personis atque ut plurimum debeat fieri in locis sacris, vel saltem aliquo in loco, quamvis prohibitio

interdicti ab illis servari debeat, ob duplicem huius prohibitionis modum, oritur distinctio quam sic exprimit § *2. Prohibitio fit* personis *vel directe per interdictum* iam ex usu et proprie dictum *personale,* scilicet: *cum personis ipsis,* baptizatis et cum contumacia delinquentibus *usus eorum* iuxta seqq. canones *bonorum interdicitur; vel indirecte* personas fideles attingit *per interdictum* ex usu pariter ac specialiter vocatum *locale,* hoc est: *cum certis in locis* sacris solum, vel etiam non sacris, *eorumdem* mediorum ad salutem *dispensatio* in ministris *vel perceptio* a fidelibus, quae ut plurimum in tali usu connectuntur, *vetatur* ita, ut illa dispensatio qua usus bonorum formaliter inhibeatur.

Quin obstet interpretatio data, optime particula vel, disiunctiva, est canoni inserta. Sic enim manet salvum cap. 16 « de sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti » (V, 11) in 6°, quando Bonif. VIII decernit: « Si sententia interdicti proferatur in clerum, non intelligitur, nisi aliud sit expressum in ea, interdictus populus, nec etiam e converso. Unde uno interdicto ipsorum, alius licite admittitur ad divina ».

97. **Interdicti auctor et subiectum.** — Supposito praescripto canonis 2220, potestatem illam poenas adnectendi circumscribit *can. 2269* afferens aliam interdicti subdivisionem, quam simul declarat § *1.* Distinctio afficit primo interdictum locale in generale et particulare, atque per similia distinguitur interdictum personale. Porro *generale interdictum* a) *tam locale* videlicet: *in territorium dioecesis* ut inferioris limitis quoad ecclesiasticam distributionem, *reipublicae,* quia magis practica ut limes superior, etsi consideretur velut civilis, b) *quam personale in populum dioecesis, reipublicae, ferri tantum potest* ex reservatione vi huius canonis *a Sede Apostolica* ad normam can. 7, ut vidimus exemplum per S. Congr. Consistorialem [1], *vel de eius mandato,* non secus ac decreverat Bonif. VIII in Extrav. comm. « Provide » tit. « de sententia excommunicationis », ubi postquam prohibuit quaedam infligi ab Ordinariis interdicta, sic prosequitur: « Nos enim ex nunc decernimus irritum et inane, si secus hactenus extitit attentatum, vel contigerit attentari, illudque revocamus omnino ». Et hoc repetendum est quoad declaratam canonis partem, sequitur enim ex tenore reser-

[1] 10 Dec. 1913. CO. V, 517.

vationis. Atque finis Extrav.[s] cit. talis est: « Nisi talis suppositio interdicti hactenus foret facta vel in antea fieret de Apl. Sedis speciali licentia, et expressa per ipsius sedis patentes litteras apparente ».

Prosequitur canon: *interdictum vero,* quod vocatur etiam a) *generale in paroeciam* qua territorium, seu locale, *vel paroeciae populum* seu personale, idemque dicatur de pluribus simul paroeciis, v. gr. cuiusdam civitatis intra dioecesim, *et* fortiori ratione b) *particulare* supple « interdictum », seu infra illud « generale » explicitum, *sive locale* v. gr. in aliquam ecclesiam, *sive personale* ex causa in quandam communitatem, in sacerdotes uni ecclesiae inservientes, *etiam Episcopus* « Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2), Vicarius et Praefectus ob can. 294, § 1, *ferre potest.*

Vidimus in can.[s] 2226, § 4, quod « poena reum ubique terrarum tenet », imo quod « poena latae sententiae, sive medicinalis sive vindicativa, delinquentem, qui delicti sibi sit conscius, ipso facto in utroque foro tenet ». His consequitur quod initio ait § 2. *Interdictum* a) *personale,* quia « personis ipsis usus sacrorum interdicitur » (can. 2268, § 2), sive a iure latae sententiae sit, sive ab homine inflictum, *sequitur personas* illo mulctatas et delinquentes *ubique;* b) *locale,* quamvis nondum sublatum, *non urget* quoad eius observantiam *extra locum interdictum* commorantes, etsi de personis agatur, quae in eo domicilium vel quasi-domicilium retinent, quia « per interdictum locale certis in locis eorumdem (sacrorum) dispensatio vel perceptio vetatur » (can. 2268, § 2), *sed*, cum hoc « indirecte » personas afficiat, *in loco interdicto* pariter a iure latae sententiae vel ab homine *omnes* « fideles », innocentes quoque, imo *etiam exteri,* veluti hoc in territorio peregrini, *aut exempti* v. gr. « regulares viri » (can. 615), et notetur clausula limitans praescriptum can. 613, § 1, ac conformis exceptioni can.[s] 4, *excluso,* seu « expresse revocato » *speciali* quoad hoc (et sic vocato respectu generalis expressi ad calcem §[1]) usque ad Codicem in usu nec revocato *privilegio,* et a personis sive physicis sive moralibus etiam a quacumque religione quomodolibet obtento, *illud* locale interdictum sub eiusdem limitibus *servare* vi huius canonis *debent* in utroque foro.

Sic manet vigens dec.[m] Conc.[i] Trid.[i] [1]: « ...interdicta, nedum

[1] Cap. 12 sess. XXV de Regularibus et monialibus.

a Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante episcopo, a regularibus in eorum ecclesiis promulgentur, atque serventur ». Quod postremum in canone absolute iubetur. Ex iure autem veteri sufficiat Clem. 1 « de sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti », quae continet abusus contrarios et rationem praescripti. Sic. Clem. V in Conc. Viennensi: « Ex frequentibus Praelatorum querelis accepimus et nos ipsi experientia certa probavimus in minoribus constituti, quod plerumque religiosi nunc patenter excusationibus fucatis et frivolis innitentes, nunc latenter ecclesiarum suarum ianuis perforatis, aut in eis factis fenestris, seu modis aliis exquisitis non absque damno cathedralium et parochialium ecclesiarum et scandalo plurimorum, dirumpendo nervum ecclesiasticae disciplinae, civitatum, terrarum, et aliorum locorum generalia interdicta praesumptione damnabili violare praesumunt. — Nos igitur in sancta Dei Ecclesia, cui disponente Domino praesidemus, quae quidem unica est, et unum Deum praedicat atque colit, unam fidem firmiter et simpliciter confitetur, uniformitatem (quantum commode possumus) conservare volentes: circa interdictorum observantiam praedictorum auctoritate Sedis Aplcae. vel a locorum Ordinariis positorum de fratrum nostrorum consilio districte praecipiendo mandamus: quatenus religiosi quicumque tam exempti quam non exempti cuiuscumque ordinis et conditionis existant, cum cathedralem vel matricem (seu parochialem) loci ecclesiam illa viderint aut sciverint observare (non obstantibus quibuscumque appellationibus... et aliis obiectibus quibuscumque) absque dolo et fraude cum moderatione tamen decretalis " Alma ", inviolabiliter observent ». Citata decretalis « Alma » in can. seq. invenitur servata.

98. **Interdicti localis prohibitio limitatur** quoad sacra et dies. *Can. 2270.* § *1. Interdictum locale* in can. 2268, § 2 declaratum, *sive generale sive particulare* iuxta locorum interdictorum amplitudinem ad normam can. 2269, § 1, *non vetat,* seu non comprehendit sub prohibitione usus sacrorum *morientibus* sic vocatis ex mortis periculo certo moraliter, *Sacramenta*, etiam confirmationis, praesertim poenitentiae, communionis ad modum Viatici ac extremae unctionis, *et Sacramentalia,* v. gr. indulgentiam plen. in articulo mortis, *servatis servandis* etiam quoad ritus et coeremo-

nias concomitantes, *ministrare,* ac consequenter matrimonia in illis angustiis coniungere. Hucusque limitatio.

Sequitur expositio vetiti: *sed prohibet in loco,* sive hoc sacrum sit sive profanum, dummodo sub interdicto comprehensum, *quodlibet divinum officium* ex recensitis sub can.s 2256, n.º 1º, *vel sacrum ritum,* etsi a non clericis ponendum, v. gr. processionem, *salvis exceptionibus* tribus, *de quibus* singulis agitur *in* § *2 huius canonis* quoad dies ab interdicto exclusos ex const. « Alma mater », *et in can. 2271,* circa dicta officia vel sacros ritus concessos tempore interdicti localis generalis, *2272,* respectu eorumdem si interdictum illud sit particulare. Haec omnia per ordinem nunc explicanda erunt.

Bonif. VIII ait citata in Decretali [1]: « In festivitatibus vero Natalis Domini, Paschae ac Pentecostes, et Assumptionis Virginis gloriosae, campanae pulsentur, et ianuis apertis, alta voce divina officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis (nunc ad normam can. 2259), sed interdictis admissis: quibus ob reverentiam dictarum solemnitatum (et ut ipsi ad humilitatis gratiam et reconciliationis affectum facilius inclinentur) praefatis diebus participationem permittimus divinorum; sic tamen quod illi, propter quorum excessum interdictum huiusmodi est prolatum (ab homine vel a iure), altari nullatenus appropinquent ». Martinus vero V in sua const. « Ineffabile Sacramentum » [2] idipsum ac iisdem verbis concessit in festo Corporis Christi et diebus octavarum huiusmodi.

Hoc « ius vetus ex integro refert » (can. 6, 2º) § *2. In die Nativitatis Domini,* seu 25 Decembris, *Paschatis* dominico « die » sicut et *Pentecostes, sanctissimi Corporis Christi,* nempe: fer. V post octavas Pentecostes, exclusis ob omissionem « diebus octavarum huiusmodi », ut ait Martinus V « quo tam pretiosissimi venerationi Sacramenti sinceris affectibus et dignis obsequiis ferventer intendant (fideles), excitare satagimus, ut... illis caelesti pabulo vegetatis ipsius institutio sacramenti prosit iugiter ad salutem », *et* « die » *Beatae Mariae Virginis in coelum assumptae,* idest: 15 Augusti, *interdictum locale* quodlibet ut initio canonis « ab homine vel a iure prolatum », sicut in const. « Alma Mater » qua tale *suspenditur,* seu illis diebus a clero et populo non est servandum, *et prohibetur*

[1] Cap. 24 « de sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti » (V, 11) in 6º. — [2] 26 Maii 1429, § 3.

tantum veluti memoria interdicti, tum *collatio ordinum* sicut « divinum officium » *et sollemnis nuptiarum benedictio* qua « sacer ritus » declarata ad can. 1101 in Commentario Textus.

99. **Permissiones ex iure** pro tempore localis interdicti recenset cit. const.: « Alma mater Ecclesia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat et consulte, quod suadente subiectorum utilitate postmodum consultius ac rationabilius revocat, in meliusve commutat. Sane a nostris dudum fuit praedecessoribus constitutum, ut in terris seu locis ecclesiastico suppositis interdicto, nulla (certis casibus et sacramentis exceptis) divina celebrentur officia, vel ministrentur ecclesiastica sacramenta. Quia vero ex districtione huiusmodi statutorum excrescit indevotio populi, pullulant haereses, et infinita pericula animarum insurgunt, ac ecclesiis sine culpa earum debita obsequia subtrahuntur », sequuntur concessiones infra dicendae.

Can. 2271. — § 1. Si interdictum, poena medicinalis vel vindicativa, *fuerit locale generale* ad normam can. 2269, § 1, « ab homine vel a iure prolatum » (cit. const.), *et interdicti decreto,* nam hoc interdictum ipso iure Codicis non infligitur, et « dummodo delictum certum sit, infligi potest (illud) etiam per modum praecepti extra iudicium » (can. 1933, § 4), quo « decreto » si *aliud* a tenore canonis diversum *non caveatur expresse,* quae cautio admittitur a iure praevalens canonis huius praescripto, etsi clausulam huic derogantem non habeat:

1° Permittitur clericis, eo quod « a solis ipsis fieri queunt », *dummodo non sint ipsi personaliter interdicti,* idest: subiecti canoni 2275, quo casu excluduntur hi tantum ab hac permissione, nempe: *omnia divina officia,* seu « functiones potestatis ordinis » ad normam can.^s 2256, 1°, v. gr. recitationem divini officii choraliter, nisi « interdictum in communitatem seu collegium (eorum) uti talem latum fuerit » ob can. 2274, §§ 3, 4, *et sacros ritus* ceteroquin interdicto prohibitos *in quacumque* loci generaliter interdicti *ecclesia aut oratorio* triplici iuxta can. 1188, § 2, quin admittatur populus fidelis, hoc est *privatim obire* adimplendo munera ordinaria eorum ministerii, a) *ianuis clausis,* b) *voce submissa* quamvis intelligibili ceteris, *et* c) *campanis*, quae exterius adhibeantur, *non pulsatis* etiam innuendo tantum elevationem in sacrificio Missae. De consuetudinis vero contrariae natura teneatur quod respondit

Innoc. III: « Nos igitur cognito, quod ex tali consuetudine, si qua foret, disrumperetur nervus ecclesiasticae disciplinae, ipsam de consensu fratrum nostrorum duximus irritandam ». Ergo irrationabilis est censenda.

Non aliter ac in const. « Alma mater » aiebat Bonif. VIII: « Adiicimus praeterea, quod singulis diebus in ecclesiis et monasteriis Missae celebrentur (quod nunc est, ut infra, limitandum), et alia dicantur divina officia, sicut prius: submissa tamen voce, ianuis clausis, excommunicatis ac interdictis exclusis (nunc ad normam can. 2259, § 2 quod illos singulos, quoad hos vero singulos ad normam can. 2275, 1°, quatenus una vel aliquae personae non subintelligantur verbo " privatim „ praesentis canonis), et campanis etiam non pulsatis. Et » prosequitur Pontifex: « tam canonici quam clerici ecclesiarum in quibus distributiones quotidianae illis, qui horis intersunt canonicis tribuunt: si ad officia non venerint supradicta, distributiones easdem amittant: sicut interdicto perderent non extante, si divinis officiis non adessent ». Hinc sequitur ob paritatem rationis omnes clericos, sive saeculares sive religiosos, qui ad chorum obligantur teneri sicut prius ad « divinum officium, quod comprehendit psalmodiam horarum canonicarum et celebrationem... Missae conventualis » (can. 413, § 2), et « in religionibus sive virorum sive mulierum, quibus est chori obligatio », equidem ad normam can. 610.

Quoad alia vero sacra, moderatur canon sequenti modo ius vetus sub n.° *2°*. *In ecclesia vero* a) *cathedrali,* cui aequiparanda est ecclesia Abbatialis vel Praelatitia, b) *ecclesiis paroecialibus* singulis c) *vel in ecclesia quae unica sit in oppido* etiam parvo, quod intra paroeciam situm sit, *in iisque solis,* clausula excludens alia loca sacra religiosorum quoque exemptorum, nisi « a Sede Apostolica directe eidem (religioni) concessum fuerit » derogans huic numero privilegium, *permittuntur* vi canonis, non facta ceteroquin relaxatione interdicti. a) *unius Missae* praeter aliam conventualem, si detur, *celebratio,* singulis quidem diebus ex indefinito verbo, b) *asservatio sanctissimi Sacramenti,* causa praesertim Viatici, iuxta cap. 57 « de sententia excommunicationis... » (V. 39) X dicentem: « Permittimus ecclesiarum ministris semel in hebdomada (hoc omisso verbo in canone) tempore interdicti, non pulsatis campanis, voce submissa (idest: sine cantu), ianuis clausis, excommunicatis et interdictis

exclusis. Missarum solemnia celebrare causa conficiendi corpus Domini, quod decedentibus in poenitentia non negatur ». Imo nec sanis, sequitur enim in canone: *administratio* c) *baptismatis* quibuslibet, sed omittitur confirmatio expressa in cap. 42 cit. tit. (V, 39) X: « Super quo respondemus, quod sicut baptizari possunt pueri (cum Ferrar. civitas sit interdicto supposita), sic et baptizati ad confirmationem in frontibus a te possunt sacro chrismate deliniri », e converso additur d) *Eucharistiae,* quae bene valentibus ministratur, e) *poenitentiae,* secundum verba Bonif. VIII (const. « Alma mater »): « concedimus, quod tempore interdicti ab homine vel a iure prolati, non tantummodo morientes, sed etiam viventes, tam sani etiam quam infirmi, ad poenitentiam (quae propter pronitatem et facilitatem hominum ad peccandum summe necessaria est) licite admittantur:... Nec tunc etiam quo ad istos vel alios qui circa interdictum minime deliquerunt (ubi civitas, vel locus alius, seu universitas interdicti existunt) facienda est relaxatio interdicti, sed est eis solummodo iniungenda poenitentia salutaris ». Propter naturam et necessitatem contractus-sacramenti « permittitur » etiam sine limitatione f) *assistentia* ad validitatem necessaria *matrimoniis,* sed *exclusa benedictione nuptiali,* etiam quae licita esset in « tempore non feriato » (can. 1101, § 1), utpote quae non est sub gravi praescripta. — Innoc. III declaravit etiam [1]: « in illo verbo per quod poenitentia morientibus non negamus, viaticum etiam, quod vere poenitentibus exhibetur, intelligi volumus, ut nec ipsum decedentibus denegetur. Licet autem per generale interdictum denegetur omnibus tam unctio, quam ecclesiastica sepultura: concedimus tamen ex gratia, ut clerici decedentes, qui tamen servaverint interdictum, in coemeterio ecclesiae, sine campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus cum silentio tumulentur ». Haec concessio amplius mitigata ad omnes fideles extenditur in canone, quando subdit: « permittuntur » g) *mortuorum exsequiae* « super cadaver in ecclesia celebratae, illiusque depositione in loco legitime deputato fidelibus defunctis condendis » (can. 1204), *vetita tamen quavis solemnitate* ut in veteri iure. — Demum additur: h) *benedictio aquae baptismalis,* quando praescripta est, *et sacrorum oleorum,* i) *praedicatio verbi Dei.* De illis iam cautum erat sic a

[1] Cap. 11, « de poenitentiis et remissionibus » (V, 38) X.

Bonif. VIII per cap. 19 « de sententia excommunicationis etc. » (V, 11) in 6°: « Quoniam in baptismo et confirmatione (atque addatur in extrema unctione), quod nedum pueris, sed et adultis propter morae periculum exhiberi possunt licite tempore interdicti, chrismatis (et sacri olei) utimur unctione, posse (licet terra interdicta existat) chrisma (adde: et alia olea) confici, dubium non existit ». De praedicatione autem ait Innoc. III Ferrarien. Episcopo [1]: « Responso nostro postulas edoceri, an cum Ferrarien. cives excommunicationis et interdicti sententiis sint ligati, liceat tibi viros et mulieres semel in hebdomada, vel in mense, apud aliquam ecclesiam convocare, quibus praedices verbum Dei, et eosdem ad correctionem inducas. Super quo respondemus, quod sine scrupulo conscientiae hoc facere poteris, cum videris expedire: dummodo contra formam interdicti (in canone declaratam) nullum eis divinum officium celebretur ».

In his tamen praedictis sub n.° 2° *sacris functionibus,* quae comprehendunt administrationem sacramentorum, atque admissionem fidelium postulant implicite concessam, *prohibetur* a) *cantus* praecipue liturgicus *et* b) *pompa* seu pretiositas et decor *in sacra supellectili* necessario adhibenda, *et* c) *sonitus campanarum* alias solitus, et complete *organorum, aliorumque instrumentorum musicalium* quorumlibet; et ob connexionem sic explicit canon: *sacrum autem Viaticum* iuxta exceptionem can.[s] 847 *ad infirmos privatim* ad normam can. 849, § 2 *deferatur* semper interdicti illius causa.

Ex dictis patet, motivum concessionum fuisse utilitatem animarum. Hinc, quia ubi eadem est ratio, eadem sit oportet legis dispositio, ne legislator imprudentiae arguatur, consequens est, ut pro « ecclesia cathedrali » praecipuam intelligamus in territorio, quod sit dioecesi aequiparandum, v. gr. in Vicariatu et Praefectura Aplca. ecclesiam, ubi residet Praelatus, et pro « ecclesiis paroecialibus » recte intelligemus quoque ecclesias vel oratoria domuum religiosorum exemptorum a parochi cura, et quasi-paroeciarum.

100. **Effectus interdicti localis particularis** omnes pro casuum diversitate statuit *can. 2272. § 1. In interdicto* a iure vel ab homine, sed *locali particulari, si interdictum fuerit* quam minus, nempe: *altare vel sacellum alicuius ecclesiae, nullum sacrum officium,* atque idem ac « nomine divinorum officiorum intelligitur »

[1] Cap. 43 « de sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti » (V, 39) X.

(can. 2256, 1°), *seu sacer ritus* idest: iuxta sacram liturgiam *in eisdem celebretur.*

Pariter pro loci natura decernit § *2. Si interdictum* ut supra in §° 1° *fuerit* singulare *coemeterium* quodlibet, *fidelium quidem cadavera,* illo non obstante, *sepeliri* idest: tumulari tantum *ibidem possunt* licite, sed *sine ullo ecclesiastico ritu,* qui alias est servandus « ad normam librorum liturgicorum » sub § 1°, can.s 1231 in Commentario Textus declaratam.

§ *3. Si latum fuerit* ab homine quidem, eo quod *in certam ecclesiam vel oratorium: — 1° Si ecclesia* a) *fuerit capitularis* propter « clericorum collegium ideo institutum ut solemniorem cultum Deo in (ea) ecclesia exhibeat » (can. 391, § 1), b) *nec interdictum sit Capitulum,* uno ex tribus modis, quibus « interdictum ferri potest » ex can.s 2274, § 1, dummodo in primo desint quatuor saltem innocentes, *valet* pro eodem interdicto permissivum *praescriptum can. 2271, n. 1,* uti norma generalis iure statuta, *nisi interdicti decretum,* quo illud infligitur, et quod hinc praevalere debet normae iuris, *praecipiat* expresse *Missam conventualem celebrari,* et per hanc clausulam confirmatur interpretatio illius numeri data, *et horas canonicas recitari* vi alterius canonis debitas *in alia* per se non capitulari *ecclesia aut oratorio* publico vel semipublico:

2° Si fuerit supple « ecclesia » *paroecialis,* eidemve aequiparanda iuxta interpretationem citandi numeri datam, *servetur praescriptum cit. can. 2271, n. 2* in bonum paroecianorum, *nisi interdicti decretum* supra declaratum *aliam* non paroecialem *ecclesiam pro interdicti tempore,* quo videlicet idipsum perduret *eidem* ecclesiae « paroeciali » *substituat* qua tali.

101. **Localis interdicti interpretatio** regitur per sequentem multiplicem normam ex iure veteri desumptam. Sic enim legitur in cap. 17 « de sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti » (V, 11) in 6°: « Si civitas, castrum aut villa subiiciantur ecclesiastico interdicto, illorum suburbia et continentia aedificia eo ipso intelligi volumus interdicta. Nam licet praedicta videantur alias murorum ambitu terminari: hoc tamen casu ne vilipendi valeat sententia interdicti (quod fieret, si posset in ipsorum suburbiis, vel continentibus aedificiis licite celebrari ut prius) expedit interpretationem fieri latiorem. Ratione quoque simili, si sit ecclesia interdicto supposita, vel subiecta: nec in capella eius celebrari, nec in

coemeterio ipsius eidem ecclesiae contiguis poterit sepeliri. Secus si ei continua non existant ».

« Hoc ius ex integro refert » (can. 6, 2°) *can. 2273. Interdicta* etsi ab homine *civitate* singulari, *interdicta quoque manent* vi huius canonis illud interpretantis authentice *loca accessoria,* quae in cit.° Decretalium capite fuerunt determinata, et hoc est iuxta reg. 42 iuris in 6°: « Accessorium naturam sequi congruit principalis », *etiam exempta* propter rationem supra dictam et congruenter §° 2ae, can.s 2269: « excluso speciali privilegio » (clausula ibi declarata), *et* additur *ipsa ecclesia cathedralis,* si in tali civitate inveniatur, unde a fortiori, quaelibet ecclesia collegiata etiam perinsignis, secundum verba Clem. V in Conc. Viennensi [1]: « Gravis ad nos praelatorum querela perduxit, quod nobiles quidam et domini temporales (terris eorum ecclesiastico suppositis interdicto) nedum in locorum suorum capellis, sed et in collegiatis et aliis insignium locorum ecclesiis Missas et alia divina officia publice et solemniter faciunt celebrari ».

Prosequitur canon secundum Decretalem citatam: *interdicta ecclesia* determinata qualicumque, *interdicta sunt* iure *sacella contigua* iuxta regulam iuris 35 in 6°: « Plus semper in se continet quod est minus », sed derogando eidem Decretali, *non vero coemeterium* ac ex contextu, etsi contiguum ecclesiae; et hoc est congruenter can.i 1172, §° 2ae statutum.

Argumento ad contrarium reg. 80 iuris in 6°: « In toto partem non est dubium contineri », sequitur canonis praescriptum: a) *interdicto sacello, non est* iure *interdicta integra ecclesia* b) *nec, interdicto coemeterio,* quod in hodierna disciplina non est pars ecclesiae quoad benedictionem, *interdicta est ecclesia ipsi contigua,* c) *sed* in hypothesi sub littera b), *interdicta sunt* iure *omnia oratoria in coemeterio erecta,* quae regulantur per cann. 1190. 1194, et hoc exigitur ex principio iuris per regulam ultimo citatam enunciatum.

102. **Multiplex personale interdictum** cum diversis effectibus iuridicis exhibet *can. 2274. § 1. Si communitas,* seu hominum associatio in communi viventium, religiosa vel saecularis, *seu collegium,* sic dictum propter unionis in finem vinculum saltem ortum ex voluntate sociorum, *delictum* ad normam can. 2195 in-

[1] Clem. 2 « de sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti » (V, 10).

tellectum *perpetraverit, interdictum* equidem personale *ferri potest* I° *vel in singulas personas* physicas, ex quibus « communitas seu collegium » coalescit, *delinquentes*, ita ut non consentientes in « delictum » maneant a poena immunes, *vel* II° *in communitatem,* quae corpus morale cum Superiore constituit, *uti talem*, id est: qua distinctam iure a singulis sociis, *vel* III° *in personas delinquentes* ut sub n. I° *et* simul *in communitatem* sicuti sub II°.

Effectus iuridici decernuntur. § *2. Si primum* fiat, *servetur praescriptum can. 2275* circa « singulas personas » interdicto mulctatas. — § *3. Si alterum* sub n. II° acciderit, *communitas seu collegium*, ac persona collegialis supponitur, *nequit* licite saltem *ius ullum* per ss. canones concessum aut recognitum, nam designatur *spirituale exercere quod* ceteroquin *ei competat,* v. gr. electio per Capitulum. — § *4. Si tertium*, idest: « si in personas delinquentes et in communitatem (earum) fertur interdictum » *effectus* antedicti sub § 3° et in can. 2275 *cumulantur,* seu simul vigent ratione interdicti eiusdem.

103. **Prohibitiones ex personali interdicto** enumerat *can. 2275. — Personaliter interdicti,* scilicet: singuli hac poena directe mulctati, sive communitatem collegiumve ut socii efforment in casibus §§ 2 et 4 can.^s praec.^s, sive ut singuli deliquerint:

1.° Nequeunt licite a) *divina officia* (can. 2256, § 1), si clerici sint, *celebrare* b) *eisve, excepta praedicatione verbi Dei* iuxta cap. 43 ad can. 2271 relatum, *assistere* quamvis mera solum praesentia; — *passive assistentes non est necesse* pro aliis fidelibus aut clericis, *ut* illi *expellantur* a loco sacro; *sed ab assistentia activa,* v. gr. a deferendo cereo in processionibus, a cantu liturgico, *quae* sic determinatur, nempe: *aliquam secumferat participationem* etsi laicis concessam *in divinis officiis* iuxta horum significationem per clericos *celebrandis,* ex canonis praescripto *repellantur* modo debito *interdicti* de quibus in canone a) *post latam sententiam condemnatoriam vel declaratoriam* huiusmodi poenae medicinalis aut vindicativae, quae clausula fuit ad can. 2258 declarata, b) *aut alioquin* etiam sine illa *notorie* « notorietate iuris aut facti » quoad delictum et quoad poenam illi adnexam *interdicti.*

2.° Prohibentur Sacramenta quaelibet et *Sacramentalia*, qua actiones a) *ministrare*, qua res b) *conficere*, atque haec duo supponunt ad normam can. 1147, interdictam personam esse « lecto-

rem », diaconum aut sacerdotem, *et* de clerico aut laico interdicto intelligitur prohiberi quaelibet « Sacramenta et Sacramentalia » *recipere ad normam* tum *can. 2260*, § *1*, quae agit de excommunicato, et sic ad hunc canonem aptanda est: « nec potest interdictus personaliter Sacramenta recipere; imo post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam nec Sacramentalia », tum can. *2261*, qui de administratione atque confectione tractat excommunicato prohibitis, atque de receptione correlativa fidelium.

Sic aptandus est citatus hic canon ad illum, quem commentamur. « § 1. Prohibetur personaliter interdictus licite Sacramenta et Sacramentalia conficere et ministrare, salvis exceptionibus quae sequuntur. — § 2. Fideles, salvo praescripto § 3, possunt ex qualibet iusta causa ab interdicto personaliter Sacramenta et Sacramentalia petere, maxime si alii ministri desint, et tunc personaliter interdictus requisitus potest eadem ministrare neque ulla tenetur obligatione causam a requirente percontandi. — § 3. Sed ab interdictis personaliter, postquam intercessit sententia condemnatoria aut declaratoria, fideles in solo mortis periculo possunt petere tum absolutionem sacramentalem ad normam can. 882, 2252, tum etiam, si alii desint ministri, cetera Sacramenta et Sacramentalia ». Diversae huius canonis clausulae in eo loco declaratae fuerunt.

3.° Praescripto can. 2265 tunc declarato *etiam ipsi* « personaliter interdicti » *adstringuntur*, in quo sufficit mutare verbum « excommunicatus » in alia « personaliter interdictus » et omittere in §° 2° verba « excommunicato vitando vel ab alio », atque praescriptum sub hoc n. 3° esset substituendum.

4.° Carent sepultura ecclesiastica ad normam can. 1240, § *1*, *n. 2* ibi explicatam, videlicet: « personaliter interdicti post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam ».

104. De Sacramentorum receptione sine absolutione ab interdicto. — *Qui*, laicus, clericus vel religiosus, vir aut mulier, a) *interdicto locali* quamvis generali b) *vel interdicto* uniuscuiusque ex triplici modo *in communitatem seu collegium* ad normam can. 2274 *subest*, eo quod illius loci sit « incola » vel « advena » (can. 91), aut huius communitatis seu collegii membrum, sub sequentibus conditionibus: a) *quin eidem* interdicto alterutri *causam dederit*, nempe: non sit conreus delicti tali poena medicinali aut vindicativa mulctati, b) *nec alia censura* sub toto hoc ergo

capite comprehensa, qua *prohibeatur* a sequenti actu, *potest* valide ac licite, a) *si sit rite dispositus* pro eorum diversitate, quaelibet, ad hoc interdicti impedimentum quod attinet, b) *Sacramenta recipere*, c) *ad normam canonum praecedentium* circa praefata interdicta, quoad loca in quibus, et ministros a quibus, illa queunt administrari et quoad permissa Sacramenta, d) *sine absolutione ab interdicto*, idest: hoc omnino permanente, *aliave* quacumqne non praevia *satisfactione* per se ipsum data vel ab aliis, qui eam dare teneantur.

Notetur hunc canonem complere respectu non delinquentis can.s 2271 n. 2°, 2275, 2°, (quatenus hic continetur sub can. 2274), et can. 2272, § 3. Et hinc confirmatur interpretatio eorum tunc adducta. — Praescriptum canonis extendit ad permissa tempore interdicti alterutrius Sacramenta, quod de poenitentiae Sacramento statuit Bonif. VIII in cap. 24 « de sententiis excommunicationis, suspensionis et interdicti » (V, 11) in 6°. « Concedimus, ait ipse, quod tempore interdicti ab homine vel a iure prolati, non tantummodo morientes, sed etiam viventes, tam sani etiam quam infirmi, ad poenitentiam (quae propter pronitatem et facilitatem hominum ad peccandum summe necessaria est) licite admittantur, dum tamen excommunicati non fuerint: quos admitti (praeterquam in mortis articulo) nolumus ad eandem ». Intellige nunc: nisi prius absolvantur rite ab eadem. Et sub Codice manet verum. — « Illis etiam propter quorum culpam, dolum vel fraudem lata est sententia interdicti, vel qui ad perpetrandum delictum, cuius occasione ipsum interdictum est latum, praebuerunt auxilium, consilium vel favorem: nisi de ipso delicto (si sint tales quod id facere valeant) prius satisfecerint, vel de satisfaciendo idoneam dederint cautionem: aut si satisfacere nequeunt, vel huiusmodi cautionem praestare iuraverint, quod cum poterunt, satisfacient, et ad satisfactionem huiusmodi per eum vel per eos qui facere ipsam debent et possunt, praestandam dabunt consilium et auxilium, ac iuxta posse suum fideliter laborabunt: non est poenitentiae beneficium aliquatenus concedendum ». Et hoc viget nunc etiam ad normam can^s. 2275, 2° collati cum can. 2250, § 2, et 2242, § 3, vel si agatur de interdicto mere locali ob rationem ipsius absolutionis sacramentalis.— Explicit illa Decretalis: « Nec tunc etiam quoad istos vel alios, qui circa hoc minime deliquerunt, (ubi civitas, vel locus alius, seu universitas in-

terdicti existunt) facienda est relaxatio interdicti, sed est eis solummodo iniungenda poenitentia salutaris ». Quod etiam nunc in eadem hypothesi est servandum.

105. **Interdictum partiale** seu minus dici posset, quod ex veteri iure Decretalium retinet *can. 2277* cum iisdem pariter effectibus. — De hoc statuitur in cap. « Omnis utriusque sexus » annuales confessionem et communionem praecipiente: « alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura ». Effectus vero iuridicos eiusdem poenae sic exponit cap. 20 « de sententia excommunicationis... » (V, 11) in 6°: « Is, cui est ecclesiae interdictus ingressus (cum sibi per consequens censeatur in ipsa divinorum celebratio interdicta) irregularis efficitur, si contra interdictum huiusmodi divinis in ea se ingerat, in suo agens officio, sicut prius. Talis quoque si hoc interdicto durante decedat, non debet in ecclesia, vel coemeterio ecclesiastico (nisi poenituerit) sepeliri ».

Hoc « ius vetus » ex integro refert canon praesens collatus cum can. 985. *Interdictum* specialiter dictum ac proprie *ab ingressu ecclesiae* ipso facto incurrendum vel ab homine *secumfert* iure *prohibitionem ne quis* eo mulctatus *in ecclesia* seu oratorio publico, quia hoc « eodem iure quo ecclesia regitur » (can. 1191, § 1). a) *divina officia*, quae « intelliguntur » (can. 2256, 1°) ut a Sacramentis et Sacramentalibus extra illa distinctis iuxta praecedentes huius articuli canones, *celebret,* si clericus sit, *vel* si mulier aut vir fidelis b) *eisdem* supple « divinis officiis » *assistat,* tum passive, tum active, c) *aut ecclesiasticam sepulturam* secundum quod « consistit » ex can. 1204, *habeat*, idest obtineat secundum ius quo, « omnes baptizati sepultura ecclesiastica donandi sunt » (can. 1239, § 3). Hoc vero postremum, « nisi (talis interdictus) ante mortem aliqua dederit poenitentiae signa » (can. 1240, § 1) ac illa « censura tollatur legitima absolutione » (can. 2248, § 1) saltem post mortem. — Sequuntur limitationes quarumdam praecedentium praescriptionum cum interdicto ab ingressu ecclesiae connexarum. Videlicet: a) *si autem* « in ecclesia divinis officiis » interdictus huius modi *assistat*, subaudi passive, nam conceditur: *non est necesse* ex praescripto pro aliis *ut expellatur, nec*, b) *si sepeliatur* « in coemeterio quod... sit benedictum » (can. 1205, § 1), *oportet*, quia vide-

retur consequens ex verbo « ne habeat », *ut cadaver amoveatur*, idest: « exhumetur et in loco profano reponatur », sicut can. 1242 cavet solum de « cadavere excommunicati vitandi ».

Art. III. — *De suspensione*.

Can. 2278. - § 1. Suspensio est censura qua clericus officio vel beneficio vel utroque prohibetur.

§ 2. Etiam suspensionis effectus separari queunt; sed, nisi aliud constet, in *suspensione* generaliter lata comprehenduntur omnes effectus qui in canonibus huius articuli enumerantur; contra, in suspensione *ab officio* vel *a beneficio* omnes tantum effectus alterutrius speciei.

Can. 2279. - § 1. Suspensio *ab officio* simpliciter, nulla adiecta limitatione, vetat omnem actum tum potestatis ordinis et iurisdictionis, tum etiam merae administrationis ex officio competentis, excepta administratione bonorum proprii beneficii.

§ 2. Suspensio:

1.⁰ *A iurisdictione* generatim, vetat omnem actum potestatis iurisdictionis pro utroque foro tam ordinariae quam delegatae;

2.⁰ *A divinis*, omnem actum potestatis ordinis quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet;

3.⁰ *Ab ordinibus,* omnem actum potestatis ordinis receptae per ordinationem;

4.⁰ *A sacris ordinibus,* omnem actum potestatis ordinis receptae per ordinationem in sacris;

5.⁰ *A certo et definito ordine exercendo*, omnem actum ordinis designati; suspensus autem prohibetur insuper eundem ordinem conferre et superiorem recipere receptumque post suspensionem exercere;

6.⁰ *A certo et definito ordine conferendo*, ipsum ordinem conferre, non vero inferiorem nec superiorem;

7.⁰ *A certo et definito ministerio,* ex. gr., audiendi confessiones, vel *officio*, ex. gr., cum cura animarum, omnem actum eiusdem ministerii vel officii;

8.⁰ *Ab ordine pontificali,* omnem actum potestatis ordinis episcopalis;

9.⁰ *A pontificalibus,* exercitium actuum pontificalium, ad normam canonis 337, § 2.

Can. 2280. - § 1. Suspensio *a beneficio* privat fructibus beneficii, excepta habitatione in aedibus beneficialibus, non autem iure administrandi bona beneficialia, nisi decretum vel sententia suspensionis ipsam administrandi potestatem suspenso expresse adimat et alii tribuat.

§ 2. Si, quamvis censura obstet, beneficiarius fructus percipiat, fructus restituere debet et ad hanc restitutionem cogi potest canonicis quoque, si opus sit, sanctionibus.

Can. 2281. - *Suspensio* generaliter lata vel suspensio *ab officio* aut *a beneficio* afficit omnia officia aut beneficia, quae clericus habet in dioecesi Superioris suspendentis, nisi aliud appareat.

Can. 2282. - Loci Ordinarius nequit clericum suspendere a determinato officio vel beneficio quod in aliena dioecesi reperiatur; sed suspensio latae sententiae, iure communi irrogata, afficit omnia officia vel beneficia in quacunque dioecesi possideantur.

Can. 2283. - Quae de excommunicatione can. 2265 statuuntur, etiam suspensioni sunt applicanda.

Can. 2284. - Si incursa fuerit censura suspensionis quae vetat administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, servetur praescriptum canonis 2261; si censura suspensionis quae prohibet actum iurisdictionis in foro seu interno seu externo, actus est invalidus, ex. gr., absolutio sacramentalis, si lata sit sententia condemnatoria vel declaratoria, aut Superior expresse declaret se ipsam iurisdictionis potestatem revocare; secus est illicitus tantum, nisi a fidelibus petitus fuerit ad normam mem. can. 2261, § 2.

Can. 2285. - § 1. Si communitas seu collegium clericorum delictum commiserit, suspensio ferri potest vel in sin-

gulas personas delinquentes vel in communitatem, uti talem, vel in personas delinquentes et communitatem.

§ 2. Si primum, serventur huius articuli canones.

§ 3. Si alterum, communitas prohibetur exercitio iurium spiritualium quae ipsi, uti communitati, competunt.

§ 4. Si tertium, effectus cumulantur.

106. Inscriptio articuli et coordinatio canonum. — Iam considerare oportet canones, quos continet *Art. III* inscriptus *De suspensione* proprie sic dicta. Ipsa enim afficit semper aliquam facultatem secundum leges possessam, ita ut eius licitum exercitium impediatur, quandoque vero etiam effectu tale exercitium frustretur. — Facultas illa potest obtineri secundum divinam legem, v. gr. in presbyteratu, quia eius ordinis potestas a charactere sacerdotali nonnisi ratione differt. Huic facultati par est quaecumque sacro ritu ordinationis obtinetur, etsi iuri tantum ecclesiastico innitatur. Aliquando facultas est potius subiectivum ius secundum ss. canones obtentum, quod vel ad regimen fidelium destinatur, vel ad spiritualium administrationem: illud vocatur iurisdictio, istud sacrum ministerium. Facultas denique vi canonum obtinetur erga temporalia bona ecclesiastica, atque tale ius plura ut partes sub se continet. Igitur suspensio afficere potest I° ordinis potestatem, vel iura spiritualia plura vel pauciora unumve solum, II° vel plura huiusmodi iura quae officium ecclesiasticum stricto sensu constituant, vel III° ius erga bona temporalia quatenus illud adnexum officio beneficium constituit, vel denique IV° tam iura erga spiritualia quam erga temporalia.

Propterea definitione suspensionis data per can. 2278, adduntur in eo et sequentibus usque ad can. 2281 divisiones suspensionum a generali descendendo ad particulares, simulque exponendo singularum effectus iuridicos. Potestatem Ordinarii loci quoad suspensionem limitatur, et sic ab hac distinguitur suspensio latae sententiae. Quosdam alios effectus suspensioni et aliis censuris communes explicant can. 2283, 2284, dum canon 2285 articuli postremus innixus praecedentibus loquitur de suspensione, quae in communitatem seu collegium ferri potest.

107. Suspensionis definitio et illius diversi effectus. — *Can. 2278. § 1. Suspensio* in iure canonico *est censura* idest « poena medicinalis » *qua clericus*, eo quod hi « soli possunt potestatem sive ordinis sive iurisdictionis ecclesiasticae (ac per consequens ecclesiastica officia) et beneficia obtinere » (can. 118),

« delinquens et contumax » (can. 2241, § 1), disiunctive a) *officio*, quod lato sensu vel stricto dicatur, *vel* b) *beneficio*, quatenus hoc illi ius ad temporalia superaddit, *vel* c) *utroque*, sed illo sub a) in stricto sensu, exercendo *prohibetur* ab auctoritate ecclesiastica per legem, sententiam vel ad modum praecepti. — Cum autem sub officio potestas ordinis veniat, concordat paragraphi sententia plenior et accuratior cum Instr. S. Congr. de Prop. Fide [1] in num. 1. « Suspensio ex informata conscientia, non secus ac illa, quae per iudicialem sententiam infligitur, personam ecclesiasticam a suis ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis exercendis interdicit ».

Definitio data suggerit ex collatione suspensionis cum aliis censuris verba, quibus incipit § *2. Etiam suspensionis*, sicut et interdicti secundum praec. canonem, secus autem ac de excommunicatione asseruit can. 2257, § 1, *effectus* iuridici *separari* ad invicem *queunt*, ita ut dentur suspensiones diversae amplitudinis — *sed* ut norma generalis, *nisi aliud constet* certo ex tenore illius, a) *in suspensione* sic *generaliter* seu sine addito verbo *lata* iure vel ab homine *comprehenduntur*, vi huius canonis illud verbum authentice interpretantis, *omnes effectus* simul *qui in canonibus huius articuli* pro diversis suspensionibus *enumerantur* proprie ob numeros canonum et alios sub can[s] seq[s] § 2; *contra*, *in suspensione* cum additione b) *ab officio vel* c) *a beneficio omnes tantum effectus alterutrius speciei* infra perspicue designati.

108. **Suspensionis ab officio effectus** decernit *can. 2279. § 1. Suspensio ab officio simpliciter*, idest: illis verbis expressa, quamvis officium lato sensu vel stricto accipi queat iuxta can. 145, si exprimatur *nulla adiecta limitatione*, v. gr. ab officio hic vel alibi possesso, ab officio confessarii, parochi, etc., quorum officiorum munera ex aliis Codicis locis cognoscuntur, illa « suspensio » declarata *vetat*, ex huius canonis praescripto, sive a iure sive ab homine sit inflictā, *omnem actum* complexive *tum potestatis* iure divino vel humano obtentae a) *ordinis* sive cuiuslibet ex enumeratis in can. 949 sive provenientis ex consecratione episcopali, *et* b) *iurisdictionis*, tum fori externi tum fori interni, sive ordinariae sive qualitercumque delegatae, iudicialis aut extra-iudicialis, c) *tum etiam*

[1] 20 Oct. 1884. Collectanea S. C. de P. F. n. 1628.

merae administrationis ex officio ecclesiastico *competentis* sive quoad spiritualia v. gr. concessionis indulgentiarum, sive quoad temporalia v. gr. oeconomi sede vacante, quoad haec *excepta administratione bonorum proprii beneficii* v. gr. praebendae canonicalis. Cetera iura v. gr. praecedentiae atque honorifica manent intacta.

De aliis denominationibus in iure poenali Ecclesiae usitatis quoad sensum earum dat fixam normam § 2. *Suspensio* unaquaeque ex sequentibus habet effectus hic subnexos:

1.° A iurisdictione generatim idest: sine adiecta limitatione, *vetat omnem actum potestatis iurisdictionis pro utroque foro* noscenda ex declaratione can. 196, *tam ordinariae quam delegatae,* utriusque ad can. 197 explicatae.

2.° A divinis taxative, supple « vetat » *omnem actum potestatis ordinis,* quatenus adnectitur ille ex instituto Dei (v. gr. consecratio Corporis et Sanguinis Christi) aut Ecclesiae (v. gr. benedictiones sacerdotales) huic potestati, *quam quis sive per sacram ordinationem* quamlibet, etiam per consecrationem episcopalem, *sive per privilegium* extendens praedictam potestatem inferiori ordinis gradui, v. gr. potestatem confirmandi tributam simplici presbytero, qui sit Praefectus Apostolicus, et sic alterutro modo « potestatem » declaratam *obtinet.*

3.° Ab ordinibus absolute, « vetat » *omnem actum potestatis ordinis receptae* solum *per ordinationem,* quamvis illius exercitium requirat iurisdictionem v. gr. potestas absolvendi a peccatis, non autem prohibet actum illius potestatis, quam quis per privilegium obtinet.

4.° A sacris expresse *ordinibus*, « vetat » *omnem actum potestatis ordinis* declaratum sub 2°, sed *receptae per ordinationem in sacris*, idest: « presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus » (canones 949).

5.° A certo, utpote qui per proprium nomen vel alia clausula v. gr. ultimo receptus designatur, *et definito* qua singulari *ordine exercendo*, vetaret a) *omnem actum ordinis designati*, v. gr. pro diacono, canere evangelium, in processionibus assistere stola transversim delata, sic indutum exponere SS.mum Sacramentum, aut Eucharistiam ministrare; *suspensus autem* fortassis Episcopus aut sacerdos cum privilegio ordines conferendi, *prohibetur insuper*

b) *eundem* a quo suspensus est *ordinem conferre et* c) *superiorem recipere* v. gr. in exemplo adducto presbyteratum, atque hoc vetitum sub c) non servans, id est: d) *receptumque* ordinem *post suspensionem exercere.* Unde habens plures ordines receptos, si suspendatur ab inferiore, potest altiorem exercere.

6.° A certo et definito ordine, quomodo fuerunt declarata haec verba sub n. 5°, *conferendo* « suspensio vetat » solummodo *ipsum* taliter designatum *ordinem conferre*, etsi ex privilegio, nam additur: *non vero* prohibet *inferiorem* designato « conferre » *nec superiorem.*

7.° A certo et definito ut supra *ministerio* proprie dicto, etsi non sit certo aut solius potestatis ordinis, *ex. gr.*, praedicandi verbum Dei, *audiendi confessiones, vel* « suspensio ab » *officio* « certo et definito », nec refert utrum sit vel non tale stricto sensu, *ex. gr., cum cura animarum,* ut habet tum parochus, tum vicarius quilibet paroecialis; alterutra « suspensio vetat » *omnem actum eiusdem* designati ac declarati *ministerii vel officii*, eo quod ratione alterutrius ad clericum actus exercitus pertineat.

8.° Ab ordine taxative *pontificali,* « vetat » *omnem actum potestatis ordinis episcopalis;* ergo qui potest poni ab Episcopo titulari, saltem ex licentia Ordinarii loci, nec refert, utrum ex canonum praescripto, vel ille actus praesupponat iurisdictionem possessam ab Episcopo, vel nequeat licite fieri absque conditione aliqua, v. gr. ordinatio ab Archiepiscopo sine usu pallii. E contra haec suspensio non prohibet sollemnia Missarum, quamvis haec fiant in pontificalibus, imo cum usu pallii et in diebus sollemnioribus; similiter nec vetat deferre SS.mum Sacramentum in processione diei festi Corporis Christi.

Aliter dicendum est *9°* de suspensione *a pontificalibus* taxative, quia haec inhibet *exercitium* singulorum *actuum pontificalium*, idest: qui sunt Episcoporum proprii *ad normam* tamen *can. 337, § 2;* nempe: « sacras functiones, quae ex legibus liturgicis requirunt insignia pontificalia, idest baculum et mitram », sicut ibi fuit declaratum. Notandum hos actus etsi a non Episcopo, v. gr. ab Abbate nullius ponantur cum illis insignibus sub eadem cadunt suspensione.

109. **Suspensionis a beneficio effectus.** — Sicut in Decretalibus mentio fit de praecedenti suspensione, v. gr. in cap. 13

« de vita et honestate clericorum » (III, 1) illis verbis: « Si quis igitur hac de causa suspensus praesumpserit celebrare divina », ita etiam in 6° Decretalium memorantur aliae suspensiones, quando dicitur [1]: « Et nihilominus praelatos, qui secus fecerint, ipso facto ab officio et administratione, clericos etiam qui scientes contra inhibitionem praedictam aliquid esse praesumptum, id superiori denuntiare neglexerint, a perceptione beneficiorum, quae in ecclesia obtinent sic gravata, triennio statuimus esse suspensos ». Huius suspensionis effectus determinat plene *can. 2280. — § 1. Suspensio a beneficio* ut sic a) *privat fructibus beneficii,* quos ex eius praebenda beneficiarius iure percepturus esset, sive reditus pecuniarii sint, sive fructus agri, sive pretium locationis domus, vel huius inhabitatio, quapropter additum est: *excepta habitatione*, quam incipere vel prosequi potest gratuito, *in aedibus beneficialibus* id est: ad sortem beneficii pertinentibus, b) *non autem* supple: eadem « suspensio privat » ab exercendo *iure administrandi bona beneficialia,* quod beneficiario suspenso competit ad normam can. 1476, *nisi decretum vel sententia suspensionis,* prouti haec de qua agitur, extraiudicialiter vel iudicialiter fuerit inflicta, et *ipsam administrandi potestatem suspenso* huiusmodi *expresse* in eius tenore *adimat* simul *et alii tribuat,* non enim pati debet patrimonium beneficii ob defectum administratoris.

Cum nemo debeat retinere alienum illicite susceptum, statuit consequenter § *2. Si*, *quamvis censura obstet* de qua in § 1°, *beneficiarius* peccans *fructus percipiat* de facto ac quolibet ex praetextu, *fructus* sic perceptos *restituere debet*, proinde ipsi doti beneficii, *et ad hanc restitutionem* in conscientia et absque ulla praevia declaratione aut mandato peragendam *cogi potest* ab Ordinario loci aliove Superiore competente *canonicis quoque,* videlicet: in Codice explicatis, *si opus sit* ad obtinendum illud, *sanctionibus* seu poenis.

110. **Amplitudo suspensionis** triplicis sub § 2 can. 2278 positae determinatur, quando hae suspensiones sint ab homine inflictae. In cap. 27 « de electione et electi potestate » (I, 6) in 6.° postquam dixit Bonif. VIII: « Porro eo casu, cum scilicet indignus eligitur a compromissario, ...ipse (ut poena suum auctorem teneat) a beneficiis ecclesiasticis triennio, iuxta Lateranense Conc. suspen-

(1) Cap. 2 « de rebus ecclesiae non alienandis » (III, 9) in 6°.

ditur ipso iure », interpretatur hanc suspensionem sic: « restringitur etiam dicta poena solum ad ea beneficia, quae sic peccans, in illa obtinet ecclesia, quam taliter eligendo, specialiter noscitur offendisse ». Huius statuti mentem sequitur decernens *can. 2281. Suspensio* a) *generaliter lata vel suspensio* b) *ab officio aut* c) *a beneficio*, quarum trium effectus declarati sunt in can. 2278, § 2, quia verba generalia generaliter sunt intelligenda, unaquaeque dictarum suspensionum *afficit omnia* b) *officia aut* c) *beneficia* atque « officia simul et beneficia » suspensio sub littera a), *quae clericus* respectiva suspensione mulctatus *habet in dioecesi Superioris suspendentis,* quamvis applicantis ius praeexistens decernensque poenam illam ferendae sententiae, *nisi aliud,* idest: minorem esse amplitudinem in suspensionis tenore *appareat* saltem implicite.

111. **Limitatio suspensionis ab homine, quae deest in suspensione latae sententiae.** — *Can. 2282.* — *Loci Ordinarius,* etsi « Vicarius Generalis cum mandato speciali » (can. 2220, § 2), *nequit* valide *clericum suspendere* poenâ medicinali aut vindicativa *a determinato* per nomen aut locum, etc. singularique a) *officio vel* b) *beneficio quod in aliena* respectu suspendentis *dioecesi*, « cuius nomine venit quoque abbatia vel praelatura nullius » (can. 215, § 2), *reperiatur; — sed suspensio* a) *latae sententiae;* b) *iure communi* hoc est: Codicis *irrogata*, secus si iure particulari etiamsi per Rom. Pontificem condito, *afficit* vi subintelligendae interpretationis huius *omnia* a) *officia,* si suspensio ab officio sit, *vel* b) *beneficia,* si fuerit suspensio a beneficio, ac demum suspensio generaliter lata « afficit officia simul et beneficia », *in quacunque dioecesi possideantur* a clerico sic suspenso.

112. **Alii suspensionis effectus** sunt accurate inspiciendi, quos memoratur *can. 2283. Quae de excommunicatione* toto *can. 2265 statuuntur, etiam suspensioni sunt applicanda*, salva equidem diversitate inter has censuras.

Utile putamus illam facere applicationem. « § 1. Quilibet suspensus » generaliter: « 1.° Prohibetur iure eligendi, praesentandi, nominandi ». Hoc asserendum est etiam de suspenso ab officio aut beneficio, si alterutrius causâ illud ius haberet. — « 2.° Nequit consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia ». Idipsum pariter extendatur ad suspensum ab officio vel beneficio, si quandoque alterutrius possessio daret ei ius

v. gr. optionis ad illam consequutionem. — « 3.º Promoveri nequit ad ordines ». Id extendendum est tantummodo ad suspensionem a certo et definito ordine exercendo vi praescripti can. 2279, § 2, n.º 5º.

Quia « ubi est eadem ratio, eadem debet esse legis dispositio », non est dubium praedicta ubique valere ad normam can. 2282, quando aliqua harum suspensionum sit « latae sententiae, iure communi irrogata ». Quando autem agatur de suspensione ab homine, vel latae sententiae sed iure particulari inflicta, praescriptum sub n. 3º intelligatur ubique, eo quod ordinum receptio pendet ab Episcopo proprio. Praescripta autem sub num. 2º et 3º intelligenda erunt respective quoad ius eligendi, praesentandi et nominandi exercendum in propria dioecesi suspendentis vel pro qua viget ius particulare infligens suspensionem; et circa dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia particulari seu dioecesis, ut haec paulo ante fuit declarata.

Complendo applicationem can.ⁱ 2265, sic redigendus esset eiusdem § 2 relatus ad § 1 aptatum ut supra. « § 2. Actus tamen positus contra praescriptum § 1 nn. 1, 2, non est nullus, nisi positus fuerit a suspenso post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam; quod si haec sententia lata fuerit ». (restringendo sequens praescriptum ad suspensionem generaliter latam et quidem latae sententiae, iure communi irrogata, ut minor fiat correctio iuris vigentis ex Normis peculiaribus, Cap. III n. 6º), « suspensus nequit praeterea gratiam ullam pontificiam valide consequi, nisi in pontificio rescripto mentio de suspensione fiat ».

113. **De invaliditate actuum contra suspensionis prohibitiones** decernit *can. 2284. Si incursa fuerit* quaelibet *censura suspensionis,* excluditur implicite a praescripto homonyma poena vindicativa, *quae vetat* inter alios forsitan actus *administrationem* singulorum vel plurium *Sacramentorum et Sacramentalium,* quales sunt cum diversa amplitudine suspensio *a*) ab officio simpliciter, *b*) a divinis, *c*) ab ordinibus in diacono et ultra, atque in lectore, *d*) pariter in eis, a sacris ordinibus, *e*) in eisdem, ab illo certo et definito ordine exercendo, *f*) in Episcopo et aliis sub can. 782, § 3 recensitis, quamvis aliorum canonum vi, suspensio a certo et definito ordine conferendo, *g*) a certo et definito ministerio, quando hoc dictam complectatur administrationem, *h*) ab ordine pontificali,

i) ab officio determinato, quando vi huius officii solum administratio talis suspenso competeret, idemque repetendum est *j*) de suspensione a beneficio simul et officio certis et definitis, denique a fortiori *k*) suspensio generaliter lata.

Ergo « si incursa fuerit quaedam censura » ex recensitis, *servetur praescriptum can. 2261.* — Scilicet: « § 1. Prohibetur huiusmodi suspensus licite Sacramenta et Sacramentalia, ut supra, respective conficere et ministrare, salvis exceptionibus quae sequuntur. — § 2. Fideles, etiam clerici, salvo praescripto § 3, possunt ex qualibet iusta causa ab huiusmodi suspenso Sacramenta et Sacramentalia ei vetita petere, maxime si alii ministri desint, et tunc huiusmodi suspensus requisitus potest eadem, quamvis alias sibi qua suspenso vetita, ministrare, neque ulla tenetur obligatione causam a requirente percontandi ».

« 3. Sed ab huiusmodi suspensis, postquam intercessit sententia condemnatoria aut declaratoria, fideles in solo mortis periculo possunt petere tum absolutionem sacramentalem ad normam can. 882, 2252, tum etiam, si alii desint ministri, cetera Sacramenta et Sacramentalia » huiusmodi suspenso vetita. — Clausularum huius canonis declarationes in Commentario Textus ad can. 2261 perquirantur.

Pars secunda can. 2284 est: *si* « incursa fuerit » quaelibet *censura suspensionis*, atque hinc implicite excluditur suspensio, quae sit poena vindicativa, *quae prohibet actum iurisdictionis* proprie dictae, « seu potestatis regiminis quae ex divina institutione est in Ecclesia » (can. 196) *in foro* respective a) *seu interno* b) *seu externo* aut c) utroque, *actus* prohibitus *est* quoque *invalidus ex. g.* « in foro interno » *absolutio sacramentalis*, a) *si lata sit sententia* suspensionis *condemnatoria* ad subeundam illam censuram *vel declaratoriam* eiusdem iam incursae, b) *aut Superior* eam infligens ad modum praecepti *expresse declaret* tunc *se ipsam iurisdictionis potestatem revocare*, quando ab eo pendeat haec revocatio; *secus* id est: si utraque desit conditio sub litteris a) et b) *est illicitus tantum* actus iurisdictionis vetitus, *nisi a fidelibus petitus fuerit ad normam mem. can. 2261*, § *2;* quia in hac postrema hypothesi esset quoque licitus. Animadvertatur quod ex citato § 2, manet quoque salvum praescriptum § 3[1] eiusdem canonis, iuxta quod actus absolutionis sacramentalis, quam daret suspensus a iurisdictione fori

interni etiam post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam esset quoque validus ac licitus ad normam vero can. 882, 2252.

Oportet recensere suspensiones quas respicit haec secunda pars can. 2284. Sunt suspensio *a*) generaliter lata (can. 2278, § 1), *b*) « ab officio simpliciter » (can. 2279, § 1), *c*) « a iurisdictione » (can. eod. § 2, n. 1°), *d*) « a certo et determinato ministerio vel officio », sed alterutro cum iurisdictione (can. eod. § 2, n. 7°), *e*) « a certo et determinato officio cum beneficio », dummodo sub eo implicetur iurisdictio.

114. De suspensione ob delictum personae moralis est ultimus huius art.[1] *can. 2285*, qui post alios facilior est captu. § *1. Si communitas* sic dicta, eo quod eiusdem sodales communem vivendi modum sequuntur sub capitis ductu, *seu collegium* propter coniunctionis vinculum iuridicum ad aliquem finem, sed illa et istud sint *clericorum,* quia « suspensio intelligitur clericos tantum afficere » (can. 2255, § 2), *delictum* per ipsius personae moralis actum *commiserit*, sub qua clausula et « delictum » per veram omissionem recte subauditur, *suspensio* tum a iure, tum ab homine propter illud *ferri potest* valide ac licite a) *vel in singulas personas* illius personae moralis membra, sed *delinquentes* idest: consentientes in delictum suffragio proprio vel alio modo in lege expresso, ita ut suffragium contrarium dantes nec alio modo praedicto delinquentes non innodentur tali suspensione, b) *vel in communitatem, uti talem*, nempe: qua personam moralem, prout ergo significat implicite « collegium », *vel* c) *in personas delinquentes* supra declaratas *et communitatem* eodem ac antea sensu, cuius illae sunt membra.

§ *1. Si primum* fiat, v. gr. ut Bonif. VIII ait in cap.[1] « Quia saepe contingit, quod cathedralibus, et regularibus ac collegiatis ecclesiis vacantibus, capitula, conventus, collegia, et singulares earumdem personae, bona ab ipsarum praelatis dimissa, vel vacationis tempore obvenientia, quae in utilitatem dictarum ecclesiarum expendi, vel futuris deberent successoribus fideliter reservari: occupant, inter se dividunt, subripiunt, etc.... Nos ipsorum ausus reprimere, ac ecclesiarum indemnitatibus praecavere volentes: Decernimus, ut hi, qui praemissa de caetero praesumpserint, eo ipso sint,

[1] Cap. 40 « de electione et electi potestate » I, 6 in 6°.

et tamdiu maneant ab officio et beneficiis quibuscumque suspensi, donec plene restituerint, quidquid de bonis perceperint supradictis ». — Similibus ergo in casibus, *serventur huius articuli canones*. Innuit igitur legislator de personis physicis illos conditos fuisse.

§ *3. Si alterum*, id est: si suspensio lata fuerit « in communitatem, uti talem, clericorum, quae delictum commiserit « (§ 1), v. gr. quando statuit Bonif. VIII[1] quod: « poterit episcopus (vacantes conferre praebendas, quarum ad Episcopum et Capitulum communiter pertineat collatio), si Capitulum ab ipsa collatione suspendi contingat ». Hac in hypothesi *communitas* « seu collegium clericorum », quia uti persona moralis illa est accipienda, *prohibetur*, et quia « actum esse nullum expresse vel aequivalenter (non) statuitur » (can. 11), tantum a licito *exercitio iurium* solummodo *spiritualium* (salva ergo manent iura in bona temporalia) *quae ipsi, uti communitati*, idest: supra declaratae personae morali, *competunt*, seu communiter exercenda, non vero si ratione huius ad singulos similia iura pertineant.

§ *4. Si tertium,* idest: « si suspensio lata fuerit in personas delinquentes et communitatem » (§ 1), *effectus* praedicti sub §§ 2 et 3 *cumulantur,* nempe: omnes praedicti causa suspensionis erunt servandi per singulos delinquentes quoad effectus § 2, per communitatem quoad praescriptum § 3.

TITULUS IX.

De poenis vindicativis.

CAN. 2286. - Poenae vindicativae illae sunt, quae directe ad delicti expiationem tendunt ita ut earum remissio e cessatione contumaciae delinquentis non pendeat.

CAN. 2287. - Ab inflictis poenis vindicativis datur appellatio seu recursus in suspensivo, nisi aliud expresse in iure caveatur.

CAN. 2288. - Exceptis poenis degradationis, depositionis, privationis officii aut beneficii, et nisi urgeat necessitas reparandi scandalum, prudentiae iudicis remittitur, si reus talis sit ut prima vice post vitam laudabiliter peractam deliquerit, poenae ordinariae per sententiam condemnatoriam inflictae exsecutionem suspendere, ea tamen conditione ut, si reus intra proximum triennium aliud delictum eiusdem vel alterius generis commiserit, poenam utrique delicto debitam luat.

CAN. 2289. - Poena vindicativa finitur eius expiatione vel dispensatione ab eo concessa qui legitimam habeat dispensandi potestatem ad normam can. 2236.

CAN. 2290. - § 1. In casibus occultis urgentioribus, si ex observatione poenae vindicativae latae sententiae, reus seip-

[1] Cap. un. « Ne Sede vacante aliquid innovetur » (III, 8) in 6°.

sum proderet cum infamia et scandalo, quilibet confessarius potest in foro sacramentali obligationem servandae poenae suspendere, iniuncto onere recurrendi saltem intra mensem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum facultate praeditum et standi eius mandatis.

§ 2. Et si in aliquo casu extraordinario hic recursus sit impossibilis, tunc ipsemet confessarius potest dispensationem concedere ad normam can. 2254, § 3.

115. Inscriptio Tituli ac ordo canonum. — Explicatis omnibus praescriptis, quae in genere ac in specie respiciunt censuras, ordo exposcit, ut iuxta divisionem poenarum sequens *Titulus IX* inscribatur *De poenis vindicativis,* quarum notionem tradit can. 2286. Hunc sequuntur alii duo can. de appellatione atque recursu contra poenarum huiusmodi inflictionem, et de sententiae exequutione quandoque suspendenda. Duo postremi canones 2289, 2290 diversos modos, quibus hae poenae solvuntur, moderantur.

116. Poenae vindicativae definitio. — *Can. 2286.* — *Poenae vindicativae,* sic appellatae a vindicta delicti sumpta per publicam auctoritatem in scopum protegendi societatis finem, « iure ecclesiastico » *illae sunt,* seu « privationes alicuius boni » (can. 2215), *quae*, etiamsi delinquentis correctionem non excludant iuxta Ecclesiae finem, *directe ad delicti* commissi *expiationem*, seu aequipollentem iuridice passionis [1] « retributionem, quae fit secundum iustitiam, (ex eo quod delinquens egit in nocumentum alterius, vel redundans in societatem Ecclesiae »), *tendunt,* cuius scopi ratione differunt a censuris, *ita ut* ex consequenti *earum* poenarum vindicativarum *remissio* per publicam auctoritatem *e cessatione contumaciae delinquentis*, per quam non aufertur illud nocumentum, *non pendeat:* videlicet, secus ac in censuris praescriptum est in can. 2248, § 2, remissio denegari potest, etiamsi « delinquens a contumacia recesserit ad normam can. 2242, § 3 ».

Verba « delicti punitionem » adhibita in can. 2215 et alia « delicti expiationem » hoc in canone expressa, nonnisi diverso differunt modo idem significandi. Priora significant privationem alicuius boni respectu auctoritatis ipsam infligentis, equidem propter delictum, dum alia eamdem exprimunt privationem actu passam equidem iuste propter delictum. Hinc eadem expiatio, quae hoc in loco appellatur « delicti », infra sub canone 2289 vocatur « poenae expiatio ».

[1] D. Th. I-II, q. XXI, art. 3, c.

117. **Distinctio alia iuridica eam inter et censuram.** — *Can. 2287.* — *Ab inflictis* proprie seu ab homine *poenis* quibuslibet *vindicativis,* nempe: singulis hoc in articulo enumeratis, *datur* a legislatore per hunc canonem seu permittitur *appellatio* proprie, « idest provocatio ab inferiore iudice qui sententiam tulit, ad superiorem » (can. 1879) iudicem; proinde si per sententiam iudicialem inflicta fuerit poena vindicativa, nam si ad modum praecepti extraiudicialiter, tunc « datur » proprie *recursus* ad altiorem in hyerarchia Praelatum. Illa vero et hic habent effectum *in suspensivo,* idest: praeterquam cognitio de iustitia inflictae poenae sit altius perducta, poena vindicativa inflicta non est subeunda, *nisi* quoad hunc solum effectum *aliud expresse* sive implicite sive explicite *in iure* scripto, nempe: Codicis *caveatur.*

Contraria huic fuit norma tradita de inflictis censuris utroque modo in can. 2243, § 1. Ratio videtur desumenda ex fine alterutrius poenae. Censura enim, utpote ad correctionem delinquentis ordinata, expetit ne differatur hoc remedium, atque si fuerit quandoque innocens adversus praesumptionem pro Superiore aut iudice, deinde quam primum erit absolvendus. E contra poena vindicativa, quae ad delicti expiationem tendit, semper ac plene obtinere poterit suum scopum; ac proinde melius est ut differatur, ne quis poenam iniustam patiatur irreparabiliter.

118. **Suspensio exequutionis sententiae** quandoque solummodo permittitur, quoad poenas vindicativas infligendas. Sic enim statuit *can. 2288.* — *Exceptis poenis* a) *degradationis*, quam memoratur can. 2298, 12° et exponit can. 2305, b) *depositionis* in can. 2298 n. 10 enunciata et per can. 2303, 2304 moderata, c) *privationis officii aut beneficii,* de qua loquuntur can. 2298, 6°, 2299, *et, nisi urgeat necessitas reparandi scandalum* delicto puniendo causatum, quia in edictis sic casibus legislator vult, ut poenae semel inflictae, et appellatione non interposita, exequutioni dentur. Extra hos casus *prudentiae iudicis* circumstantias ponderantis *remittitur,* sub hypothesi: a) *si reus* ob sententiam condemnatoriam *talis sit ut prima vice post vitam laudabiliter peractam deliquerit,* cuius cognitio etiamsi habeatur extraiudicialiter sufficiet, dummodo fundata sit, *poenae ordinariae,* prout hae opponuntur poenis determinatis adauctis, quando « extraordinaria adiuncta id exigant » (can. 2223, § 1), *per sententiam condemnatoriam infli-*

ctae, prout officium iudicis eamdem requirit, *exsequutionem* requirentem praevium « exsequutorium iudicis decretum, quod vel in ipso sententiae tenore includatur vel separatim edatur » (can. 1918), *suspendere* per huiusmodi decreti omissionem, b) *ea tamen conditione*, prosequitur canon, *ut, si reus intra proximum triennium* a lata sententia ad normam can. 34, § 3, 3° computandum, *aliud delictum* quodcumque, seu, ut expressius in canone, *eiusdem vel alterius generis commiserit, poenam utrique delicto debitam*, sed quoad hoc aliud delictum superveniente sententia condemnatoria iuxta can. 1933, §§ 1, 2, *luat*. Eapropter decretum exsequutorium utriusque sententiae, huic ultimae subsequatur oportet.

119. **Cessatio poenae vindicativae** semel inflictae duobus tantum modis accidere potest. Ait enim *can. 2289*. — *Poena vindicativa*, sive ipso facto incursa, sive per sententiam inflicta cum effectu, *finitur* a) *eius expiatione* idest: illius pleno adimplemento in temporis progressu, *vel*, sive in perpetuum luenda fuerit, aut ad tempus, hoc adhuc recurrente, *dispensatione*, non eiusdem iudicis, « qui eam semel applicatam remittere nequit » (can. 2236, § 3), sed *ab eo concessa*, Praelatus sit vel non, parum refert, *qui legitimam* idest: iuxta ss. canones 196-209 *habeat* hanc *dispensandi* seu relaxandi poenam in casu speciali *potestatem* verae iurisdictionis *ad normam can. 2236* in eius §§is 1, 2, tanquam normis generalibus. Servandae quoque vigent normae can. 2237-2239, quamvis non memorentur, quia proprio earum tenore atque Codicis loco, ubi sunt insertae, respiciunt quoque vindicativas poenas. Imo, quando « potest Ordinarius poenas latae sententiae (vindicativas) iure communi statutas in casibus publicis remittere » (can. 2237, § 1), tunc clericorum « reconciliatio et dispensatio fit eo modo », quem docet Pontificale Romanum [1].

120. **Suspensio ac dispensatio poenae vindicativae per confessarios** decernitur, ad hos extendens *can. 2290* similem facultatem iisdem attributam in iure praec. quoad censuras, eodemque pariter motivo. § *1. In casibus occultis* poenae ipsius ac implicite delicti, *urgentioribus* tamen, quando nempe: *si ex observatione poenae vindicativae latae sententiae, reus* ob praesuppositum delictum *seipsum proderet* qua talem, non solum *cum infamia*, in

[1] Tit. Ordo suspensionis, reconciliationis, depositionis, dispensationis, degradationis et restitutionis sacrorum ordinum.

qua hypothesi subvenitur canone 2232, § 1, eo quod « a poena observanda delinquens toties excusatur », sed *et* cum *scandalo*, quod cum morali certitudine sequuturum praevidetur; an unius, paucorum, vel multorum sit, non refert, tunc praeter illud remedium antedictum, adest sequens: *quilibet* a) *confessarius*, nempe: ob iurisdictionem erga hunc poenitentem in loco habitam, nam dicitur *potest* b) *in foro sacramentali*, hoc est: audiens illius confessionem vere sacramentalem, quamvis eumdem poenitentem non absolveret, c) *obligationem servandae poenae suspendere* verbis exprimentibus hanc suspensionem, pro eo quoque tempore interpretandis, quando in posterum ad remedium can. 2232, § 1 non posset reus confugere, d) *iniuncto onere recurrendi saltem intra mensem* ab hac iniunctione, ac proinde sumatur prout est in calendario » (can. 34, § 3), *per epistolam et per confessarium*, ad quem proinde idipsum vel alium reverti deberet ad audiendum responsum acceptum, *si id fieri possit sine gravi incommodo* ex circumstantiis extrinsecis petito, nam subditur hunc recursum faciendum e) *reticito* poenitentis *nomine*, ac propterea disiunctive *ad S. Poenitentiariam*, intra cuius exclusivam iurisdictionem huiusmodi « dispensationes » in Curia Romana reservantur vi can. 258, § 1, *vel ad Episcopum*, « cuius nomine venit quoque Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2), « Vicarius et Praefectus Apostolicus » (can. 294, § 1), proprium poenitentis Ordinarium vi can. 94 aut can. 111 quoad clericos, ob verba quae sequuntur, *facultate praeditum* pro foro quidem interno vi can. 2237, § 2, f) *et standi eius mandatis* hac de causa receptis et a dispensato implendis.

§ 2. *Et si in aliquo casu extraordinario* sic designato, *hic recursus*, prout est declaratus, *sit* saltem « moraliter » *impossibilis*, v. gr. eo quod hunc confessarium non videbit amplius, aliumque adire sit poenitenti valde durum, *tunc ipsemet confessarius* de quo in canone conditionem hanc deprehendens *potest* vi huius canonis *dispensationem* quoque poenae vindicativae sub hypothesi totius §[i] 1[i] *concedere*, idest: poenam relaxare omnino sed *ad normam can. 2254, § 3*. Videlicet: nullo « excepto casu », qui non datur, « iniunctis tamen de iure iniungendis, et imposita congrua poenitentia et satisfactione pro (poena vindicativa), ita ut poenitens, nisi intra congruum tempus a confessario praefiniendum poenitentiam egerit et satisfactionem dederit, recidat in « poenam vindicativam ».

CAPUT I.

De poenis vindicativis communibus.

Can. 2291. - Poenae vindicativae quae omnes fideles pro delictorum gravitate afficere possunt, in Ecclesia praesertim sunt:

1.° Interdictum locale et interdictum in communitatem seu collegium in perpetuum vel ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum Superioris;

2.° Interdictum ab ingressu ecclesiae in perpetuum vel ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum Superioris;

3.° Poenalis translatio vel suppressio sedis episcopalis vel paroecialis;

4.° Infamia iuris;

5.° Privatio sepulturae ecclesiasticae, ad normam can. 1240, § 1;

6.° Privatio Sacramentalium;

7.° Privatio vel suspensio ad tempus pensionis quae ab Ecclesia vel ex bonis Ecclesiae solvitur, vel alius iuris seu privilegii ecclesiastici;

8.° Remotio ab actibus legitimis ecclesiasticis exercendis;

9.° Inhabilitas ad gratias ecclesiasticas aut munia in Ecclesia quae statum clericalem non requirant, vel ad gradus academicos auctoritate ecclesiastica consequendos;

10.° Privatio vel suspensio ad tempus muneris, facultatis vel gratiae iam obtentae;

11.° Privatio iuris praecedentiae vel vocis activae et passivae vel iuris ferendi titulos honoris, vestem, insignia, quae Ecclesia concesserit;

12.° Mulcta pecuniaria.

Can. 2292. - Poenalis suppressio aut translatio sedis episcopalis est Romano Pontifici reservata; sedis autem paroecialis, a locorum Ordinariis decerni nequit, nisi cum consilio Capituli.

Can. 2293. - § 1. Infamia est vel iuris vel facti.

§ 2. Infamia iuris illa est quae casibus iure communi expressis statuitur.

§ 3. Infamia facti contrahitur, quando quis, ob patratum delictum vel ob pravos mores, bonam existimationem apud fideles probos et graves amisit, de quo iudicium spectat ad Ordinarium.

§ 4. Neutra afficit delinquentis consanguineos aut affines, firmo praescripto can. 2147, § 2, n. 3.

Can. 2294. - § 1. Qui infamia iuris laborat, non solum est irregularis ad normam can. 984, n. 5, sed insuper est inhabilis ad obtinenda beneficia, pensiones, officia et dignitates ecclesiasticas, ad actus legitimos ecclesiasticos perficiendos, ad exercitium iuris aut muneris ecclesiastici, et tandem arceri debet a ministerio in sacris functionibus exercendo.

§ 2. Qui laborat infamia facti, repelli debet tum a recipiendis ordinibus ad normam can. 987, n. 7, dignitatibus, beneficiis, officiis ecclesiasticis, tum ab exercendo sacro ministerio et ab actibus legitimis ecclesiasticis.

Can. 2295. - Infamia iuris desinit sola dispensatione a Sede Apostolica concessa; infamia facti cum bona existimatio apud fideles probos et graves, omnibus perpensis adiunctis et praesertim diuturna rei emendatione, fuerit, prudenti Ordinarii iudicio, recuperata.

Can. 2296. - § 1. Si agatur de rebus ad quas assequendas capacitas iure communi statuitur, inhabilitatis poenam infligere una Sedes Apostolica potest.

§ 2. Iura iam quaesita non amittuntur ob supervenientem inhabilitatem, nisi huic addatur poena privationis.

Can. 2297. - Mulctas pecuniarias iure communi inflictas, quarum erogatio non sit eodem iure praefinita, aliasque iure peculiari statutas vel statuendas, Ordinarii locorum erogare debent in pios usus, non vero in commodum mensae episcopalis aut capitularis.

121. **Divisio tituli et inscriptio capitis primi.** Si poenae vindicativae inspiciantur formaliter, ut « privationes alicuius boni » (can. 2215), haec bona, cum fere innumera sint, difficulter in classes distribui possent, nisi attendantur communes qualitates delin-

quentium, qui sic numero aliquo queant comprehendi. Hoc sequutus est legislator, dum Titulum distribuit in duo Capita.

Caput primum inscripsit *De poenis vindicativis communibus*, cuius verbi significatio sumitur respectu inscriptionis capitis secundi. Videlicet: communes vocantur illae poenae in Ecclesia, quibus mulctari possunt omnes illius subditi, cum bona, quibus illae privant, a singulis fidelibus habeantur.

122. **Ordo canonum** valde facilis ac logicus est. Nam can. 2291 enumerat praecipuas poenas vindicativas mentione dignas, et subsequuntur canones explicativi earum. Praetermittuntur vero, quae ex homonymis censuris innotescunt, et quae sola enunciatione aliis ex canonibus notae sunt. Propterea can. 2292 agit de suppressione aut translatione sedis tum episcopalis tum paroecialis, cui adnectuntur can. 2293-2295 de infamia iuris, atque can. 2296 tractat de inhabilitatibus, canon vero 2297 de mulctis pecuniariis.

123. **Harum poenarum enumeratio.** *Can. 2291. Poenae vindicativae* in can. 2286 definitae, « communes » iuxta capitis inscriptionem, id est: *quae omnes fideles*, viros ac mulieres, sive clerici sint illi, sive laici, aut religiosi, *pro delictorum gravitate* diversae, atque his innui videtur illas inter se ordinari secundum maiorem minoremve gravitatem, *afficere possunt* ex iure impositae vel ab homine, *in Ecclesia* seu hac religiosa societate perfecta *praesertim*, quin aliae excludantur, sunt:

Propter homonymas censuras et, quia in hoc Capite non explicantur, moderandas iuxta canones Tituli praecedentis, ubi desit verbum « censura », *1° Interdictum locale* « sive generale sive particulare » (can. 2270) cum permissionibus can.s 2271 pro illo can.s 2272 pro isto, atque interpretandum ad normam can.s 2273, *et interdictum in communitatem seu collegium* secundum can. 2274, a) *in perpetuum* expresse b) *vel ad tempus praefinitum* c) *vel* expresse *ad beneplacitum Superioris* illud infligentis vel alterius, in qua triplici hypothesi differt ab interdicto, quod sit censura; — *2° Interdictum ab ingressu ecclesiae* quoad effectus canonicos explicatum in can. 2277, a) *in perpetuum* b) *vel ad tempus praefinitum* c) *vel ad beneplacitum Superioris*, clausulis sub n.° 1° declaratis; — *3° Poenalis*, quia ex aliis causis fieri etiam posset, *translatio* de una civitate vel ecclesia in aliam, *vel suppressio*, eo quod alii dioecesi vel paroeciae adiiciatur territorium, *sedis* idest:

potestatis cum residentia *episcopalis*, abbatialis aut Praelaturae nullius, *vel paroecialis ;*

4° Infamia iuris infra explicanda ; — *5° Privatio sepulturae ecclesiasticae,* semper ac sit exequenda equidem extraiudicialiter, sed *ad normam can. 1240*, § 1, idest : « nisi ante mortem aliqua dederint (delinquentes) poenitentiae signa », et dummodo verificentur canonicae conditiones sub singulis numeris ibidem declaratis ; — *6° Privatio sacramentalium* separatim inflicta, quia sub censuris quandoque includitur, v. gr. ob can. 2260, 2261, ubi declaratio huius poenae est requirenda ;

7° Privatio, quae perpetuum habet effectum, *vel suspensio ad tempus*, quo transacto reviviscat perceptio a) *pensionis quae ab Ecclesia* fidelibus *vel ex bonis Ecclesiae* tum communibus, tum alicuius beneficii, aut personae moralis *solvitur* causa muneris prius exerciti vel caritatis, *vel* b) *alius iuris* quaesiti *seu* c) *privilegii* praeter ius aut contra ius, alterutrius *ecclesiastici*, idest : in Ecclesiae foro vigentis ; — *8° Remotio ab actibus legitimis ecclesiasticis,* qui in can. 2256, 2° recensentur, *exercendis* licite, aut post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam etiam valide, iuxta can. 765, 2° quoad baptismum, can. 795, 2° quoad confirmationem, quae ad alios actus legitimos ecclesiasticos non immerito extenditur ad normam can. 20, quando nempe « hac de re desit expressum praescriptum » in Codice ; — *9° Inhabilitas,* quae proinde est a) *ad gratias ecclesiasticas*, seu favorabiles concessiones ex parte auctoritatis ecclesiasticae, b) *aut munia in Ecclesia* qua societate valide obtinenda haec, vel illas, *quae statum clericalem* iuxta can. 118 *non requirant*, c) *vel ad gradus academicos auctoritate ecclesiastica,* proinde « qui effectus canonicos in Ecclesia habeant » (can. 1377), valide *consequendos ;*

Cum praecedenti relationem servat, quae sequitur sub n.° *10° Privatio* qua perpetua ex se *vel suspensio ad tempus* post quod revirescat exercitium *muneris*, quod non sit officium ecclesiasticum, *facultatis* ad pluries aliquid agendum, *vel gratiae* praeter, aut contra ius *iam obtentae ; — 11° Privatio* a) *iuris praecedentiae* ad normam ss. canonum quaesiti *vel* b) *vocis activae et passivae* v. gr. in confraternitatibus, tertiisve ordinibus, *vel* c) *iuris ferendi titulos* seu appellationes *honoris*, *vestem* seu honorificum indumentum, *insignia* illorum titulorum aut in honoris testimonium rece-

pta, *quae* videlicet singula *Ecclesia*, idest: per huius Praelatos, *concesserit*, seu ut plurimum per officia Sedis Apostolicae: — *12° Mulcta pecuniaria* in Superioris dispositionem solvenda.

124. **Privatio sedis ut laicorum poena** seu communis dignoscitur ex cap. 9 « de haereticis » (V, 7), quando ait Lucius III: « Civitas autem quae his institutis dixerit resistendum: vel contra commonitionem Episcopi punire neglexerit resistentes,... episcopali se noverit dignitate privandam ». A quo similis privatio dignitatis decerni queat, *can. 2292* ostendit dicens. *Poenalis* a) *suppressio aut* b) *translatio* sub n.° 3° praec. utraque declarata *sedis episcopalis*, idest: residentiae pro Praelato obligatoriae in tali civitate, *est Romano Pontifici reservata* vi huius canonis congruentis canoni 215, quae tamen alterutra decernitur per S. Congr. Consistorialem aliamve de Propaganda Fide pro earum territoriis; *sedis autem paroecialis*, qua ecclesiae hoc titulo cum parocho decoratae, supple « poenalis suppressio aut translatio », *a locorum Ordinariis*, quibus implicite attribuitur, *decerni nequit*, nam extraiudicialiter supponitur infligenda, *nisi cum consilio Capituli*, quod simpliciter dictum est cathedrale, aut abbatiale vel Praelaturae nullius, aut: « coetus consultorum dioecesanorum, ubi vices Capituli cathedralis supplet », atque ultima clausula est interpretanda ad normam can. 105, 1°.

125. **Infamiae duplicis notio.** Fama est idem ac bonum nomen; seu apud plures bona de aliquo existimatio. Hinc etymologice loquendo infamia est huiusmodi existimationis diminutio. Quae vel a legislatore, qui respicit subditorum actiones, quatenus hae magis vel minus nocent bono communi, decerni potest, vel provenit ex actionibus propter quas subditus demereatur bonam illam existimationem apud ceteros bono societatis bene affectos. Et hinc patet distinctio, quam affert *can. 2293*. *Infamia*, seu amissio bonae existimationis *est vel iuris vel facti*.

§ *2. Infamia iuris illa est quae casibus iure* solum *communi* Codicis vel auctoritatis supremae *expressis statuitur*, videlicet lege proprie dicta.

§ *3. Infamia facti contrahitur, quando quis*, vir aut mulier, laicus, clericus vel religiosus, a) *ob patratum delictum* proprie, seu « iure ecclesiastico » (can. 2165), *vel* b) *ob pravos mores* quamvis sine illo, *bonam existimationem* habitam *apud fideles*, nempe: Ecclesiae subiectos, atque *probos et graves* quoad eorum iudicium

amisit, de quo effectu amissionis sub praedictis circumstantiis *iudicium spectat ad Ordinarium*, sive loci sive Superiorem maiorem, cui gravatus infamia illa subdatur. Ita legitur v. gr. in cap. 4 « de accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus » (V. 1): « Valde grave est, ut vir, de quo tanta et talia denunciantur (cum ante requiri et discuti debeant) honoretur ». Atque in cap. 54 « de testibus et attestationibus » (II, 20) ait Greg. IX: « aut si gravata sit eius opinio pro eo quod quandoque fuit tali modo (nempe: « in criminali iudicio » ut ibidem) repulsus, quamvis in hoc casu non excluderetur in causa civili, potest a testimonio (licet egerit poenitentiam) removeri ».

§ *4. Neutra* praedicta infamia « iuris vel facti » (§ 1) *afficit* quoad iuridicos effectus vel in foro Ecclesiae *delinquentis* inde affecti alterutra *consanguineos* quoslibet *aut affines*, quia iuxta reg. 22 iuris in 6°: « Non debet aliquis alterius odio praegravari ». Additum est: *firmo praescripto can. 2147, § 2, n. 3*, veluti unica regulae exceptio. Videlicet: quando « bonae existimationis amissio oriatur ex facto consanguineorum quibuscum parochus vivit », nam erit causa sufficiens ad normam citatam ut « parochus inamovibilis a sua paroecia amoveri possit » (can. 2147, § 1).

126. Infamiae effectus iuridici. *2294. § 1. Qui infamia iuris* veluti quadam spirituali repugnante infirmitate *laborat*, a) *non solum est irregularis*, ut aliunde constat, nempe *ad normam can. 984, n. 5* ibi declaratam, cum prohibitione duplici ex can. 968, *sed insuper* b) *est inhabilis ad obtinenda* valide « *beneficia* ecclesiastica » proprie dicta (can. 1409), *pensiones* quaslibet ad can. 1429 declaratas, *officia* « stricto sensu » (can. 145) *et dignitates* sic dictas propter honoris aut praecedentiae iura *ecclesiasticas*, quae videlicet singula ab ecclesiastica auctoritate conferantur, pariterque « est inhabilis » *ad actus legitimos ecclesiasticos perficiendos*, quotquot sub n.° 2° can.s 2256 recensentur, itemque *ad exercitium* validum *iuris aut muneris ecclesiastici* per ss. canones recogniti aut ab Ecclesiae Praelatis obtinendi, comprehensis ergo tum officiis « lato sensu » (can. 145), tum muneribus quae « aliquam cum beneficiis similitudinem prae se ferant » (can. 1412), *et tandem arceri debet* per eos, qui talem habent potestatem, *a ministerio* quolibet praesertim sacro, quod eis iure competat *in sacris functionibus* seu cultus divini *exercendo*. Sic plene coadunati sunt effectus, tam qui

secundum reg. 87 iuris in 6° « Infamibus portae non pateant dignitatum » exposcuntur, quam ceteri sub cap 13 « de haereticis » (V, 7) et sub Extrav. communi Ioannis XXII unica « de poenis » expressi.

§ 2. *Qui laborat infamia facti,* idest: usquequo « bona existimatio fuerit recuperata » (can. 2295), *repelli debet* ab Ordinario eius a) *tum a recipiendis* licite *ordinibus* « et ipsa prima tonsura » (can. 950), *ad normam can. 987, n. 7*, id est: uti « simpliciter impeditus », *dignitatibus, beneficiis, officiis ecclesiasticis,* a singulis proprie seu stricto sensu dictis, b) *tum ab exercendo* licite *sacro ministerio* in §° praec. declarato, *et* c) « repelli debet » *ab actibus legitimis ecclesiasticis* (can. 2256, n.° 2°), quos tamen illicite solum poneret, ut constat ex canonibus apud Codicis fontes citatis.

127. **Infamiae alterutrius cessatio.** *2295. Infamia iuris,* utpote quae « iure communi statuitur », ac in singulis casibus viget, *desinit,* quatenus poena incursa est, *sola dispensatione* seu « legis relaxatione » (can. 80) *a Sede Apostolica* (can. 7) *concessa,* utpote urgens « in casibus publicis a potestate Ordinarii exceptis » (can. 2237, § 1, 3°); *infamia vero facti* supple « desinit » urgere iuridice *cum bona existimatio,* quae supponitur « amissa », a) *apud fideles probos et graves* b) *omnibus perpensis* incursae infamiae eaque notati *adiunctis* etiam externis, *et* c) *praesertim diuturna rei* « ob mores pravos » *emendatione fuerit, prudenti Ordinarii,* cui ille infamis subiiciatur, *iudicio,* nempe quod illa « bona existimatio » sit *recuperata,* exprimendo velut iuridica cessationis conditio.

128. **De inhabilitatis poena** duo notanda statuit *can. 2296.* Porro explicite asserit § *1. Si agatur de rebus,* tum quae inveniuntur sub Lib. III, tum muneribus, seu potestatibus, *ad quas assequendas capacitas* (nempe: conditiones subiecti ad validitatem receptionis) *iure communi* seu Codicis *statuitur,* idest: a suprema Ecclesiae potestate ac generaliter conditum sit ius, *inhabilitatis poenam,* qua illud statutum inefficax redditur, *infligere* in casu particulari, aut ex consequenti per legem particularem decernere, *una Sedes Apostolica* (can. 7) *potest.* Videlicet a Praelatis infra Romanum Pontificem invalide attentaretur. Hinc arguitur concessio facultatis de inhabilitate decernenda et infligenda quoad alias res.

Quia « odia restringi convenit » (reg. iuris 15 in 6°), decernit § *2. Iura iam quaesita* in aliqua re ex dictis sub § 1° *non*

amittuntur ob supervenientem in illorum subiecto, vel per novam legem latam, *inhabilitatem, nisi huic* poenae inflictae vel latae *addatur* explicite *poena privationis*, quae incursa fuerit.

129. **De mulctae pecuniariae** applicatione cavet congruens Dec.° Conc. Trid. [1] *can. 2297*, cuius rationem nobis suppeditat Clem. XIV sic incipiens litteras encycl.[3] sub die 29 Sept. 1769: « Decet quam maxime Ecclesiae ministros, et dispensatores mysteriorum Dei, ut ab omni avaritiae suspicione, etsi levissima, penitus alieni, sacro ita vacent ministerio, ad quod a Deo vocati sunt, ut manus suas ab omni se munere excussas gerere, iure ac merito possint gloriari... Hoc inculcavit Petrus animarum curae praefectis dicens: Pascite qui in vobis est, gregem Dei, providentes non turpis lucri gratia, sed voluntarie » [2]. Quapropter infra decernit sub « § 39. Mulctae demum, seu poenae pecuniariae, si quando iuxta rationem delicti, vel delinquentis qualitatem eas imponi contigerit, in pios dumtaxat usus, et pro executione iustitiae ita expendantur, ut privatae episcoporum utilitati, eorumque vicariorum, aut officialium quorumcumque nihil ex iis directe, vel indirecte possit ullo modo provenire ».

In praesenti canone ita moderatum est praescriptum. *Mulctas pecuniarias*, uti poenas vindicativas a) *iure communi* Codicis, seu ad eius normam *inflictas*, idest: iudicialiter vel extraiudicialiter applicandas, *quarum erogatio non sit eodem iure praefinita*, tunc enim tale ius erit servandum, b) *aliasque* supple « mulctas pecuniarias » *iure peculiari* quoad loca *statutas vel statuendas* communiter, has vero omnes absque exceptione, *Ordinarii locorum* (can. 198, § 2) *erogare debent* vi huius praecepti a) *in pios usus*, nempe: caritatis aut religionis, sub quibus fortassis ex iure praecedenti v. gr. const. « Dei miseratione » Bened. XIV [3] aliud queat venire, b) *non vero in commodum*, quod directam vel indirectam utilitatem subaudit, *mensae episcopalis aut capitularis*, nempe alterutrius dotis seu bonorum.

[1] Cap. 3, sess. XXV, De Ref. — [2] I Petri. V, 2. — [3] 3 Nov. 1741, § 12.

CAPUT II.

De peculiaribus clericorum poenis vindicativis.

Can. 2298. - Poenae vindicativae quae clericis tantum applicantur, sunt:

1.° Prohibitio exercendi sacrum ministerium praeterquam in certa ecclesia;

2.° Suspensio in perpetuum vel ad tempus praefinitum, vel ad beneplacitum Superioris;

3.° Translatio poenalis ab officio vel beneficio obtento ad inferius;

4.° Privatio alicuius iuris cum beneficio vel officio coniuncti;

5.° Inhabilitas ad omnes vel ad aliquot dignitates, officia, beneficia aliave munera propria clericorum;

6.° Privatio poenalis beneficii vel officii cum vel sine pensione;

7.° Prohibitio commorandi in certo loco vel territorio;

8.° Praescriptio commorandi in certo loco vel territorio;

9.° Privatio ad tempus habitus ecclesiastici;

10.° Depositio;

11.° Privatio perpetua habitus ecclesiastici;

12.° Degradatio.

Can. 2299. - § 1. Si clericus beneficium inamovibile obtineat, eodem in poenam privari potest solum in casibus iure expressis; si amovibile, etiam ob alias rationabiles causas.

§ 2. Clerici obtinentes beneficia, officia, dignitates, possunt etiam aliquo tantum ministerio cum iisdem coniuncto, ex. gr., ministerio praedicandi, confessiones audiendi, etc., prohiberi ad certum tempus.

§ 3. Nequit clericus privari beneficio aut pensione cuius titulo ordinatus fuit, nisi aliunde eius honestae sustentationi provideatur, salvo praescripto can. 2303, 2304.

Can. 2300. - Si clericus gravia scandala praebeat et monitus non resipiscat, nec scandalum queat aliter removeri, potest interim privari iure deferendi habitum ecclesiasticum; quae privatio, dum perdurat, secumfert prohibitionem exercendi ministeria quaevis ecclesiastica et privationem privilegiorum clericalium.

Can. 2301. - Ordinarius nequit praescribere ut clericus certo in loco, extra fines suae dioecesis, commoretur, nisi accedat consensus Ordinarii illius loci vel agatur de domo poenitentiae seu emendationis clericis non solum dioecesanis, sed etiam extraneis destinata, aut de domo religiosa exempta, Superiore eiusdem consentiente.

Can. 2302. – Tam praescriptio quam prohibitio certo in loco commorandi et collocatio in domo poenitentiae aut in domo religiosa, praesertim si diu duraturae sint, imponantur tantum in casibus gravibus, in quibus, prudenti Ordinarii iudicio, eae poenae necessariae sint ad clerici emendationem aut scandali reparationem.

Can. 2303. - § 1. Depositio, firmis obligationibus e suscepto ordine exortis et privilegiis clericalibus, secumfert tum suspensionem ab officio, et inhabilitatem ad quaelibet officia, dignitates, beneficia, pensiones, munera in Ecclesia, tum etiam privationem illorum quae reus habeat, licet eorum titulo fuerit ordinatus.

§ 2. Sed hoc ultimo in casu, si clericus vere indigeat, Ordinarius pro sua caritate, quo meliore modo fieri potest, ei providere curet, ne cum dedecore status clericalis mendicare cogatur.

§ 3 Poena depositionis infligi nequit, nisi in casibus iure expressis.

Can. 2304. – § 1. Si clericus depositus non det emendationis signa et praesertim si scandalum dare pergat monitusque non resipiscat, Ordinarius potest eum perpetuo privare iure deferendi habitum ecclesiasticum.

§ 2. Haec privatio secumfert privationem privilegiorum clericalium et cessationem praescripti can. 2303, § 2.

Can. 2305. – § 1. Degradatio in se continet depositionem, perpetuam privationem habitus ecclesiastici et reductionem clerici ad statum laicalem.

§ 2. Haec poena ferri solummodo potest propter delictum in iure expressum, aut si clericus, iam depositus et habitu clericali privatus, grave adhuc scandalum per annum praebere pergat.

§ 3. Alia est *verbalis* seu *edictalis*, quae sola sententia irrogatur, ita tamen ut omnes suos effectus iuridicos statim habeat sine ulla exsecutione; alias *realis*, si serventur sollemnia praescripta in Pontificali Romano.

130. **Inscriptio capitis et canonum coordinatio.** Iuxta Tituli divisionem, remanet exponendum *Caput II* agens *De peculiaribus clericorum*, eo quod laici nequeunt affici eiusmodi *poenis vindicativis*, cum hae attingant clericorum iura, vel nonnisi clericis infligantur. Quaenam hae sint enumerantur canone 2298, ac tantummodo a num.° eiusdem 6° recensitae poenae per canones sequentes regulantur. Etenim de privatione beneficii agit can. 2299, cui subnectitur immediate can. 2300 de privatione deferendi habitum clericalem. Prohibitionem ac praescriptionem commorationis certo in loco considerant can. 2301, 2302, ac de tribus ultimis et gravioribus poenis sunt lati successive tres can. 2303-2305. Ex consideratione harum poenarum ad invicem deprehenditur mens Codicis eas ordinandi secundum ordinem progressivum gravitatis, quamvis idipsum asseri possit de singulis numeris.

131. **Enumeratio huiusmodi poenarum.** *Can. 2298. Poenae vindicativae quae clericis tantum applicantur* ex Ecclesiae usu, etsi quaedam laicis infligi possent, *sunt:*

1° *Prohibitio exercendi sacrum ministerium*, seu ordinis potestatem, *praeterquam in certa ecclesia*, unde hoc vetitum suspensio non est, nec suspicari potest;

2° *Suspensio*, cuius effectus dimetiendi sunt per canones 2278-2285 pro illius diversitate, quamvis illa non sit censura, utpote decreta vel inflicta a) *in perpetuum* expresse, b) *vel ad tempus praefinitum* in lege, sententia, vel praecepto, c) *vel ad beneplacitum Superioris* infligentis eam seu alterius;

3° *Translatio poenalis* idest: ob delictum iniuncta *ab officio*, « tum lato tum stricto sensu » (can. 145) *vel beneficio* (can. 1409), utroque *obtento* saltem per provisionem canonicam *ad inferius* respective officium vel beneficium;

4° *Privatio* seu ablatio *alicuius iuris cum* possesso *beneficio vel officio coniuncti*, velut partis eiusdem.

5° *Inhabilitas*, proinde afficiens provisionis validitatem ex parte subiecti, *ad omnes vel ad aliquot*, quae disiunctiva locutio est referenda tam ad *dignitates*, quam ad *officia*, *beneficia*, *aliave munera* ex natura sui *propria clericorum;*

6° *Privatio poenalis*, seu delicti causa, *beneficii* proprie (can. 1409) *vel officii* « stricto sensu » (can. 145) et de illa intelligatur *cum vel sine pensione* ex beneficii redditibus officiive emolumentis percipienda secundum poenae aut circumstantiarum diversitatem;

7° *Prohibitio commorandi in certo loco vel territorio*, distinctis ob amplitudinem;

8° *Praescriptio commorandi in certo loco vel territorio*, ut supra: quae duae poenae libertatem clerici coarctant, quin ad alterutrum teneretur;

9° *Privatio ad tempus* (aliquo modo determinatum) *habitus ecclesiastici*, prout hic descriptus est in can. 136, § 1, sed quatenus constituit ius clericorum vi can. 683. — *10° Depositio* infra explicanda in can. 2303. — *11°* Hanc superat, eo quod praesupponat illam ex can. 2304, *privatio perpetua habitus ecclesiastici*, cuius privationis sequelas refert cit.[s] can. in §° 2°; — Poena postrema et suprema est *12° Degradatio*, cuius vim et distinctionem videbimus in canone ultimo huius Tituli.

132. **De privatione beneficii atque prohibitione ministerii** simul considerantur in *can. 2299* propter mutuam illorum bonorum connexionem. Ac primo privationis causas decernit sub distinctione § *1. Si clericus* « solus » (can. 118) *beneficium inamovibile*, seu quod « confertur in perpetuum » (can. 1141, 4°), *obtineat* saltem provisione canonica. *eodem in poenam*, ac proinde proprie *privari potest solum, in casibus iure expressis,* v. gr. parochus ob causas expressas in can. 2147, § 2, ac servata forma iuris seu processu necessario ad infligendam huiusmodi poenam; *si amovibile* supple: « beneficium obtineat », ut supra, quod nempe: « confertur revocabiliter » (can. 1411, n.° 4), « privari potest » *etiam*, seu praeterquam « in casibus iure expressis », *ob alias rationabiles causas*, quae prudentis iudicio illam privationem aequam esse suadeant. Quapropter ad haec beneficia parochialia respicit maxime verbum can.[i] 2147, § 2° insertum: « Hae causae sunt *praesertim* quae sequuntur: »

§ *2. Clerici obtinentes*, possessione quoque sequuta, a) *beneficia* (can. 1409), b) *officia* « stricto sensu » (can. 145, § 1), c) *dignitates* saepius declaratas, quae singulae continent ratione officii in his et illis subintellecti « munus quod in spiritualem finem legitime exercetur » (can. 145, § 1), *possunt etiam*, idest: quin priventur

praedictis, *aliquo tantum ministerio cum iisdem* propter quodcumque motivum *coniuncto, ex. gr. ministerio praedicandi, confessiones audiendi, etc.,* non excluso ministerio participatae iurisdictionis vel administrationis ecclesiasticae, in poenam (de quibus nunc agitur) *prohiberi*, quia ministerium de potestatis exercitio proprie dicitur, *ad certum tempus;* non autem hinc indeterminate, quia indueret rationem censurae, nec in perpetuum, quia talis prohibitio ius attingeret, ac incideret sub n.° 4° praecedentis canonis.

Propter motivum legis ecclesiasticae (can. 974 § 1), qua « ut quis licite ordinari possit requiritur:... 7.° Titulus canonicus, si agatur de ordinibus maioribus », inde logice derivatur, quod statuit § *3. Nequit clericus privari*, seu haec non sustinetur tanquam valida, *beneficio aut pensione*, ac omittitur patrimonium, utpote privata clerici proprietas, *cuius titulo ordinatus fuit*, *nisi* Ecclesiae intentum ex citata lege salvum sit, id est: *aliunde* v. gr. propter lectiones in Seminario habendas vel aliter *eius honestae sustentationi provideatur,* vel per ipsum iudicem aut per Ordinarium, *salvo praescripto can. 2303* huiusmodi privationem statuentis, quin Ordinarius iure cogatur ad illam provisionem, imo et can. *2304*, quandoque excusantis ab illa providentia, quam « Ordinarius pro sua caritate curare » in illo cit. canone decernitur.

133. **De privatione ad tempus habitus ecclesiastici** sic decernit *can. 2300* agens primo de causis, quae ad eam infligendam iudicantur sufficientes. *Si clericus* quilibet, sed praesertim in sacris, quia « clericus minor ad statum laicalem reduci mereretur Ordinarii decreto » ad normam can. 211, § 2. Si ergo ille « clericus » a) *gravia scandala praebeat* ex modo vivendi vel ex delictis, b) *et monitus non resipiscat* pravos mores mutando, c) *nec scandalum* inde profluens *queat aliter* prudenter ac iure *removeri,* de quo iudex in sententia pronunciet, *potest interim*, idest: perdurante scandali effectu, *privari iure deferendi habitum ecclesiasticum,* prouti haec poena est declarata in can. 2298, n. 9°; atque decernuntur effectus iuridici poenae huismodi, addente canone: *quae privatio, dum perdurat, secumfert* vi huius canonis a) *prohibitionem* poenalem *exercendi ministeria quaevis ecclesiastica* ratione cuiuslibet potestatis, ac praesertim ordinis, *et* b) *privationem privilegiorum clericalium,* quae memorantur in can. 119-112, quamvis can. 123 horum amissionem edicat ex « privatione perpetua iuris defe-

rendi habitum ecclesiasticum ». Hinc colligimus « privationem » in hoc canone idem sonare ac suspensionem eorundem privilegiorum poenalem.

134. **De praescripto commorationis certo in loco** uti poena vindicativa agit *can. 2301*, determinans conditiones omnino servandas, ut infligi possit. *Ordinarius* loci ex contextu (can. 198, § 2) *nequit* valide *praescribere*, quia limites suae potestatis excederet, *ut clericus* a) *certo in loco*, unde hoc non designato, posset, b) *extra fines suae dioecesis*, cui ad normam ss. canonum manet incardinatus, *commoretur*, quod innuit notabile tempus, *nisi* a) *accedat* prius vel postea *consensus* saltem tacitus *Ordinarii illius loci, vel* b) *agatur de domo poenitentiae seu emendationis* nempe: in hunc scopum *clericis non solum dioecesanis*, scilicet: dioecesis intra quam sita est illa, *sed etiam* respectu illius *extraneis destinata*, quo in casu fuit instituta cum Ordinarii consensu ad normam canonis 1489, c) *aut* « agatur » *de domo religiosa exempta,* sive religionis clericalis, sive laicalis, sed virorum, *Superiore* etsi locali *eiusdem consentiente.*

135. **Causae ad hanc praescriptionem aut contrariam prohibitionem** ab homine decernendam formula generali designantur. *Can. 2302. Tam praescriptio quam prohibitio,* sive per sententiam, sive ad modum praecepti particularis, ut deducitur quoque ex verbo « Ordinarius » in can. praec., a) *certo in loco* propriae vel alienae dioecesis quoad praescriptionem, propriae solummodo quoad prohibitionem, *commorandi* ad notabile saltem tempus, v. gr. ad duos saltem menses, *et* b) *collocatio* poenalis *in domo poenitentiae,* ad hanc nempe instituta, *aut in domo religiosa* exempta vel non, poenae subeundae causa, *praesertim si diu* v. gr. ad maiorem anni partem *duraturae sint* illa « commoratio » vel haec « collocatio », quia tunc omnino standum est sequenti praescripto: *imponantur* iudicialiter vel extra iudicium *tantum in casibus gravibus*, in aliis autem valet impositio quamvis illicite fieret, atque hac regula dignoscendis, nempe: *in quibus, prudenti Ordinarii* poenam hanc inferentis *iudicio*, *eae* singulae *poenae* verae, quia libertatem clerici laedentes, *necessariae sint* equidem moraliter, a) *ad clerici emendationem,* quae in poenis vindicativis non excluditur, b) *aut scandali reparationem* pro natura poenarum ecclesiasticarum alias declarata.

136. **De poena depositionis,** quae utpote valde gravis per sententiam solum condemnatoriam infligitur, tractat *can. 2303. § 1* exponit eiusdem multiplicem vim iuridicam. *Depositio* ab ordine clericali, *firmis* a) *obligationibus e suscepto ordine exortis,* quae in Tit. III, Lib. II latae sunt, praesertim « servandae castitatis » (can. 132) et « quotidie horas canonicas integre recitandi » (can. 135), nam pro « clericis in maioribus ordinibus constitutis » est practica huius poenae inflictio, secundum illud:[1] « Si quis Episcopus, presbyter, vel diaconus depositus iuste pro certis criminibus »: Pontificale autem Romanum tractat de modo quo agatur « in depositione Subdiaconi vel Diaconi ab ordine ». Prosequitur canon: *et* « firmis » b) *privilegiis clericalibus* stricte dictis, nempe: quae recensentur per can. 119-122, *secumfert,* uti partes depositionis, quamvis non memorentur in sententia, sed vi huius canonis: *tum* a) *suspensionem ab officio* declaratam in canone 2298, 2°, *et* b) *inhabilitatem ad quaelibet* (verbum distributive accipiendum respectu subsequentium), *officia,* etiam quae « talia sunt lato sensu » (can. 145, § 1), *dignitates* minores et maiores, *beneficia* can. 1409, *pensiones* ad can. 1429 declaratas, *munera in Ecclesia* qua societate exercenda, *tum etiam* seu cumulative, et necessario exprimendam, quia « supervenienti inhabilitati additur » (can. 2296, § 2), c) *privationem illorum* singulatim expressorum sub littera *b*), sed omnium *quae reus* depositione punitus *habeat* iure aut facto, *licet eorum* « beneficii aut pensionis *titulo* ad normam can. 979 *fuerit ordinatus*, vel provisus post indultum saecularizationis in illius locum. Quae ultima praescripti clausula fuit salva in can. 2299, § 3.

§ *2. Sed hoc ultimo in casu* eveniente, *si clericus vere indigeat,* eo quod aliunde sibi provisum non sit, nec provideri queat, *Ordinarius*, cui subditur ille depositus clericus. *pro sua caritate*, idest iuxta virtutis huius regulas et obligationem, *quo meliore modo* secundum circumstantias *fieri potest, ei providere curet*, unde ad hoc posset uti exhortatione, monitis erga alios, *ne cum dedecore status clericalis mendicare cogatur,* ad quod vitandum ille titulus ordinationis fuit institutus.

Igitur, quia valde gravis est huiusmodi poena, decernit § *3. Poena depositionis infligi* valide *nequit, nisi in casibus iure* Co-

[1] Can. 1 « de clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante » (V, 27) X.

dicis *expressis*, quae illam ferendae sententiae decernunt. Et in hoc canon cum iure Decretalium congruit.

137. **De privatione perpetua deferendi habitum ecclesiasticum**. Adaugetur in casibus poena depositionis, ut decernit *can. 2304. § 1. Si clericus* quilibet in sacris iuxta declarationem §[i] 1[i] can.[s] praec.[s] *non det emendationis signa*, quae non excluditur ab scopo poenae vindicativae, *et praesertim*, tunc enim urget sequens praescriptum, a) *si scandalum dare pergat* suis pravis moribus, b) *monitusque* iterum depositione perdurante *non resipiscat* poenitendo, *Ordinarius* cui subiiciatur *potest* vi huius canonis *eum* iam depositum *perpetuo privare* sententia *iure deferendi habitum ecclesiasticum.*

Omnes huius privationis effectus colligit § *2. Haec privatio secumfert,* ut constat ex can. 123, a) *privationem privilegiorum clericalium* ibidem declaratam, *et* b) *cessationem praescripti can. 2303*, § *2*, cessante quoque motivo illius.

138. **Maxima clericorum poena vindicativa** est quam explicat *can. 2305.* Eiusdem effectus enumerat § *1. Degradatio*, veluti deiectio opprobriosa ab honorabili statu militiae ecclesiasticae, *in se continet* vi iuris a) *depositionem* cuius effectus recensentur in §° 1° can.[s] 2303, b) *perpetuam privationem habitus ecclesiastici* cum eius sequelis ad normam §[i] 2[i] can.[s] 2304, *et reductionem clerici* in sacris *ad statum laicalem.* Attamen « obligatione coelibatus tenetur » ad normam can.[s] 213, § 2.

His consideratis non mirandum quod decernit § *2. Haec* depositionis *poena ferri* per sententiam *solummodo potest,* ita ut secus nulla esset, a) *propter delictum in iure expressum*, cui nempe in Codicis Parte tertia Libri huius adnexa fuerit sanctio illa, *aut* b) *si clericus* in sacris ex contextu, I° *iam depositus* ad normam can. 2303, et II° *habitu clericali privatus* ad normam can. 2304, III° *grave adhuc scandalum* ex quolibet delicto continuato vel pravis moribus, nam dicitur *per annum praebere pergat.*

Conc. Trid. « statuit et decrevit: [1] Episcopo per se, seu illius vicarium in spiritualibus generalem, (nunc ex Codice officialem) contra clericum in sacris etiam presbyteratus ordinibus constitutum, etiam ad illius condemnationem, nec non verbalem depo-

[1] Sess. XIII, cap. 4 de Ref.

sitionem; et per seipsum, etiam ad actualem, atque sollemnem degradationem ab ipsis ordinibus et gradibus ecclesiasticis, in casibus in quibus aliorum episcoporum praesentia, in numero a canonibus definito requiritur, etiam absque illis procedere liceat; adhibitis tamen, et in hoc sibi assistentibus totidem abbatibus, usum mitrae et baculi ex privilegio apostolico habentibus, si in civitate, aut dioecesi reperiri, et commode interesse possint: alioquin aliis personis in ecclesiastica dignitate constitutis, quae aetate graves, ac iuris scientia commendabiles existant ».

Haec implicite manent iuxta sequens praescriptum § *3. Alia*, « degradatio » in § 1° declarata, *est* dicta *verbalis seu edictalis, quae sola sententia* proprie dicta ad normam can. 1868 § 1 *irrogatur* legitime, *ita tamen* efficaciter *ut omnes suos effectus iuridicos* secundum §m 1m *statim habeat* coram Ecclesia *sine ulla* « sententiae » *exsecutione* subsequenti vel alio modo, quin « exsecutorium iudicis decretum » videatur excludendum ob can. 1918; *alia* est « degradatio » *realis, si serventur* post sententiam *sollemnia praescripta* seu ritus et caeremoniae *in Pontificali Romano* sub tit. « Degradationis forma », quae hinc viget ad normam cit.[1] Dec.[1] ex Trid. Concilio.

TITULUS X.

De remediis poenalibus et poenitentiis.

CAPUT I.

De remediis poenalibus.

Can. 2306 – Remedia poenalia sunt:
1.° Monitio;
2.° Correptio;
3.° Praeceptum;
4.° Vigilantia.

Can. 2307. - Eum qui versatur in proxima occasione delictum committendi vel in quem, ex inquisitione peracta, gravis suspicio cadit delicti commissi, Ordinarius per se vel per interpositam personam moneat.

Can. 2308. - Si ex alicuius conversatione scandalum vel gravis ordinis perturbatio oriantur, est locus correptioni, ab Ordinario per se vel per interpositam personam, etiam per epistolam faciendae, peculiaribus accommodatae conditionibus personae et facti de quo agitur.

Can. 2309. - § 1. Tam monitio quam correptio potest esse vel publica vel secreta.

§ 2. Correptio vel monitio publica fiat vel coram notario aut duobus testibus, vel per epistolam ita tamen ut de receptione et tenore epistolae ex aliquo documento constet.

§ 3. Correptio publica fieri tantum potest adversus reum de delicto convictum vel confessum; et est iudicia-

lis, si fiat a iudice pro tribunali sedente vel ab Ordinario ante processum criminalem.

§ 4. Correptio iudicialis vel habetur loco poenae vel fit ad augendam poenam, praecipue si agatur de recidivo.

§ 5. De monitione et correptione, etsi secreto factae fuerint, constare debet ex aliquo documento in secreto archivo Curiae asservando.

§ 6. Tam correptio quam monitio fieri potest semel vel pluries, pro Superioris arbitrio et prudentia.

CAN. 2310 – Monitionibus et correptionibus incassum factis, vel si ex eisdem effectum sperare non liceat, datur praeceptum, quo quid agere quidve evitare praeventus debeat, accurate indicetur, cum poenae comminatione in casu transgressionis.

CAN. 2311. – § 1. Si casus gravitas ferat et praecipue si agatur de eo qui in periculo versatur relabendi in idem crimen, eum Ordinarius submittat vigilantiae.

§ 2. Vigilantia praecipi quoque potest ad augendam poenam, praecipue in recidivos.

139. **Inscriptio Tituli atque Capitis, huiusque canonum ordinatio.** *Titulus X* inscriptionem recepit partim novam, nempe: *De remediis poenalibus*, quae magis sunt affinia cum poenis vindicativis, quoad patientis contrarietatem, et cum censuris propter huiusmodi remediorum scopum, additurque *de poenitentiis*, quarum mentio fit in rubrica « Tituli XXXVIII. De poenitentiis et remissionibus » in Lib. V. Decretalium. Divisio Tituli in Capita duo est patens, ita ut *Caput I* sit *De remediis*, quatenus per haec aut delictum praecavetur, aut aliquod spirituale damnum excluditur, vel poenae deficientiae providetur, *poenalibus* vero, quia displicentiam subiecti eorum secum qualitercumque ferunt. De his loquuntur in earum initio Instructiones tum S. Congr.ˢ EE. et RR. « Sacra haec » [1], tum S. Congr. de Prop. Fide « Cum magnopere » [2], utraeque « De modo servando in cognoscendis et definiendis causis criminalibus et disciplinaribus clericorum ». Postquam enim canon 2306, illa remedia enumerat, quodnam eorum ad delictum excludendum deserviat, edicit can. 2307, quodnam vero alicui damno auferendo sit ordinatum et quotuplici modo adhibendum, exponunt can. 2308, 2309, de praecepto can. 2310 loquitur, atque vigilantiam perpendit can. 2311.

140. **Enumeratio remediorum poenalium**. Ex citatis Instruct.ˢ seligimus, quae nobis aptiora videntur verba. « I. Ordinario pastorale onus incumbit disciplinam correctionemque clericorum a se dependentium curandi, super eorumdem vitae rationem vigilando remediisque utendo canonicis ad praecavendas in eisdem et eliminandas ordinis perturbationes. II. Ex his remediis alia praeveniunt, alia

[1] 11 Iunii 1880. — [2] An. 1883. Collectanea S. Congr. de P. F. n. 1586.

reprimunt et medelam afferunt... IV. Mediis, quae praeservant, praecipue accensentur spiritualia exercitia, monitiones et praecepta ». *Can.* vero *2306* plenius exhibet media, dicens: *Remedia poenalia* stricta inscriptionis significatione *sunt* taxative: *1º Monitio*, quae idem sonat ac animadversio alicui facta de actione ipsius non laudanda; — *2º Correptio*, quae reprehensionem importat de actione correpti huic directam; — *3º Praeceptum* vi iurisdictionis ecclesiasticae impositum, cui parendum est etiam in conscientia: iuxta illud D. Pauli: « Obedite praepositis vestris et subiacete eis, ipsi enim invigilant pro animabus vestris rationem reddituri » [1]; — *4º Vigilantia* singularis, cui a Superiore subiicitur fidelis, sed hoc remedium sicut et cetera, quamvis communia esse possint erga clericos et laicos, praesertim quoad illos sunt practici momenti.

Patet ab elencho fuisse expuncta exercitia spiritualia, quibus aptatur praescriptum can. 2313, § 2. « Ordinarius pro sua prudentia addere potest (eadem) poenali remedio monitionis et correptionis » tantummodo.

141. Quandonam sit monitio facienda, edocet *can. 2307*. Ex Instr. cit. II « remedia praeventiva ad hoc diriguntur ut impediant quominus malum adveniat, ut scandali stimuli, occasiones voluntariae, causaeque ad delinquendum proximae removeantur ». Igitur secundum remediorum poenalium naturam est praescriptum canonis. *Eum* praesertim clericum, sed laicum quoque ac religiosum, a) *qui versatur* actu vel propter iterationem *in proxima occasione*, quia ut plurimum ex circumstantiarum natura sequitur eventus, *delictum* proprie dictum ad normam can. 2195, § 1 *committendi* per actionem vel omissionem iuxta legis poenalis vetitum vel praeceptum, *vel* b) *in quem*, ut supra, *ex inquisitione peracta* generali vel speciali, *gravis* propter rationes *suspicio* (quae innuit prudentem intelligentiae inclinationem) *cadit* uti subiectum *delicti* certo *commissi*, in alterutro casu urget praescriptum: *Ordinarius* ad normam can. 198, § 1, *per se vel per interpositam* ad hoc *personam moneat* sensu ad can. praec.^{m} explicato. Viget ergo de monitione reg. iuris 68 in 6º: « Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum ».

[1] Ad Haebr. XIII, 17.

142. **Quando et qualiter sit locus correptioni.** Semper ac damnum imminet cuilibet ob delicti periculum videtur rationabiliter esse sufficiens monitio, qua illud consideret; sed quando damnum in societate incepit, meretur causans illud, ut sustineat quidquam grave, propter quod sic providet *can. 2308. Si ex alicuius conversatione*, quamvis absit delictum, a) *scandalum*, nempe: aliorum peccatum grave, *vel* b) *gravis*, secus si levis sit *ordinis* in capitulo, paroecia, dioecesis *perturbatio oriantur, est locus correptioni*, idest: potest haec fieri, ac debet iuxta prudentiae leges, ab *Ordinario* a) *per se* b) *vel per interpositam personam*, ut in can. praec. declaratum fuit, sed hic additur: *etiam per epistolam faciendae*, quia quies animi et ponderatio requiruntur ex verbis quae sequuntur: *peculiaribus accomodatae* quoad verba, modum, etc. *conditionibus* a) *personae* forsan titulo aliquo cohonestatae, simul *et* b) *facti de quo* reprehendendo *agitur*.

Exemplum praescripti huius atque can. praec.[s] invenimus in cap. 2 « de purgatione canonica » (V, 2) X, ubi scriptum est ex Conc. Agathensi: « Si quis presbyter negligens vitae suae, pravis exemplis mala de se suspicari permiserit (en ratio can.[s] 2307): et populus ab Episcopo iuramento seu banno christianitatis adstrictus infamiam eius patefecerit, certique accusatores criminis eius defuerint: admoneatur primo seorsum ab Episcopo: deinde sub duobus vel tribus testibus, et si non emendaverit, episcopus eum publica increpatione admoneat ». Et infra subditur: « ne populus fidelium in eo scandalum patiatur ». Quae fuit causa can. 2308.

143. **Divisio utriusque remedii ac modus servandus.** Instructio citata provide animadvertit sub n. « III. Conscientiae et prudentiae Ordinarii horum remediorum incumbit applicatio, iuxta canonum praescriptiones et casuum adiunctorumque gravitatem ». Quod etiam nunc verum est. Insuper legitur in n. « V. Has provisiones praecedere debet summaria facti cognitio, quae ab Ordinario notanda est, *ut ad ulteriora* procedere, quatenus opus sit, et certiorem reddere queat superiorem Auctoritatem in casu legitimi recursus ». Hoc tanquam norma directiva utilis servaretur. « VI. Canonicae monitiones fiunt sive in forma paterna et secreta, etiam per epistolam aut per interpositam personam, sive in forma legali, ita tamen ut de earumdem executione constet ex aliquo actu ».

Ab hoc numero incipit *can. 2309. § 1. Tam monitio* (can. 2307)

quam correptio (can. 2308) *potest esse vel publica vel secreta*, quae ultima erit de ore ad os vel per privatam epistolam, ita nempe: ut probari nequeat in iudicio.

§ *2. Correptio vel monitio* erit *publica* quando ex canonis praescripto *fiat* a) *vel coram notario*, quem cognoscimus ex art. II cap.[s] IV, Tit.[i] VIII, Lib. II, b) *aut* coram *duobus* tantum *testibus*, et alterutrum sufficeret, c) *vel per epistolam*, quamvis privata sit ex tenore, *ita tamen ut* 1° *de receptione* per monitum vel correptum, *et tenore epistolae* de qua agitur *ex aliquo documento*, v. gr. quoad receptionem ex huiusmodi syngrapha vel ex cursoris curiae testimonio, quoad tenorem vero ex asservato duplicato, *constet*.

De correptione publica solummodo sunt duo paragraphi sequentes. § *2. Correptio* (can. 2308) *publica* iuxta § 2 *fieri* licite *tantum potest*, nec alias iuridice valet, *adversus reum de delicto* ad normam can. 2195 *convictum vel confessum*, etsi extraiudicialiter, nam sequitur correptionis eiusdem distinctio implicita: *et est iudicialis*, prout extraiudiciali subintellectae opponitur, *si fiat* a) *a iudice pro tribunali sedente* in qualibet processus parte, b) *vel ab Ordinario* (can. 198, § 1) *ante processum criminalem*. De hac « correptione delinquentis » sunt canones sub cap. III, Tit. XIX, Lib. IV.

§ *4. Correptio iudicialis* in praec. §° declarata a) *vel habetur loco poenae* quoad utramque sub litteris *a*) et *b*), *vel* b) *fit* « a iudice pro tribunali sedente » *ad augendam poenam* praeterea inflictam.

Quoad probationem huius remedii poenalis adhibiti lata est § *5. De monitione* (can. 2307) *et correptione* (can. 2308) *etsi secreto factae fuerint*, ut declaratum est in § 1°, *constare debet* ad earum probationem *ex aliquo documento*, quod nempe: doceat mentem de illis peractis, *in secreto* pro earum natura *archivo Curiae asservando*.

Iuxta spem quod fructuosae illae futurae sint, vel ex iuris praescripto v. gr. ex can. 660 fuit opportuna § *6. Tam correptio quam monitio* secundum canones praecedentes ceteroquin facienda, *fieri potest semel*, quod ut plurimum sufficit iure, *vel pluries* etiam in casu eodem, sed *pro Superioris* ad quem pertineat *arbitrio*, cui defertur a iure in hac parte, *et prudentia* relate ad circumstantias casus.

144. **De praecepto uti poenali remedio** est unicus *can. 2310.* De hoc sunt duo numeri in cit. Instructione. « VII. Quatenus infructuosae monitiones evadant, Ordinarius praecipit Curiae, ut delinquenti analogum iniungatur *praeceptum;* in quo declaretur quid eidem agendum aut respondendum sit, cum accommodae poenae ecclesiasticae comminatione, quam incurret in casu transgressionis ». Non aliter cautum est in canonis praescripto. *Monitionibus* (canonis 2307) *et correptionibus* (can. 2308), « semel vel pluries » ut in can. praec. declaratum fuit, *incassum* vel sine fructu *factis* modo supradicto, *vel* b) *si ex eisdem* hinc omissis, eo quod *effectum sperare* ex prudenti praevisione *non liceat,* quando alias iure non sint illae praescriptae, *datur praeceptum* vi iurisdictionis, *quo* a) *quid agere* ultra ceteroquin debitum, b) *quidve*, non vetitum aliunde, *evitare praeventus,* idest: ratione actus quem monitio aut correptio respiciebant, *debeat*, *accurate indicetur* in eodem, *cum poenae* latae vel ferendae *comminatione in casu transgressionis.* Hoc intelligendum est de Ordinario ad normam can. 2220, atque ut in iudiciali foro urgeri queat huiusmodi praeceptum, « per legitimum documentum aut coram duobus testibus impositum fuerit » (can. 24) necesse est. Unde abrogatus non manet Instructionis num. « VIII. Praeceptum intimatur praevento a Cancellario coram Vicario Generali; sive coram duobus testibus ecclesiasticis aut laicis probatae integritatis. § 1. Actus subsignatur a partibus praesentibus et praevento quoque, si velit. § 2. Vicarius Generalis adiicere valet iuramentum servandi secretum, quatenus id prudenter expetat tituli indoles, de quo agitur ».

145. **De vigilantia** uti novo poenali remedio agit *can. 2311.* § *1. Si* a) *casus gravitas* tum ex materia, tum ex circumstantiis dimetienda *ferat et praecipue* seu inter illos b) *si agatur de eo qui in periculo* sive extrinseco sive ob propriam fragilitatem *versatur relabendi in idem* specie *crimen* seu delictum, *eum Ordinarius* (can. 198, § 1) vi praescripti *submittat vigilantiae* v. gr. per prudentem sacerdotem, parochum, exercendae. — Hoc innuit § *2* dicens. *Vigilantia* huiusmodi, utpote coarctans vigilati libertatem, *praecipi quoque* ab Ordinario potest *ad augendam poenam*, *praecipue*, ut supra, *in recidivos* « sensu iuris » (can. 2208, § 1). Inde sequitur hoc remedium quandoque praeventivum esse, quandoque repressivum.

CAPUT II.

De poenitentiis.

Can. 2312. - § 1. Poenitentiae in foro externo imponuntur ut delinquens vel poenam effugiat, vel poenae contractae absolutionem aut dispensationem recipiat.

§ 2. Ob delictum aut transgressionem occultam nunquam poenitentia publica imponatur.

§ 3. Poenitentiae non tam secundum quantitatem delicti, quam secundum poenitentis contritionem moderandae sunt, pensatis qualitatibus personarum et delictorum adiunctis.

Can. 2313. - § 1. Praecipuae poenitentiae sunt praecepta:

1° Recitandi determinatas preces;

2° Peragendi piam aliquam peregrinationem vel alia pietatis opera;

3° Servandi peculiare ieiunium;

4° Erogandi eleemosynas in pios usus;

5° Peragendi exercitia spiritualia in pia aut religiosa domo per aliquot dies.

§ 2. Poenitentias Ordinarius pro sua prudentia addere potest poenali remedio monitionis et correptionis.

146. **Inscriptio capitis huiusque canones.** Partis secundae ultimum *Caput II* inscribitur *De poenitentiis*, quae ab antiquo in Ecclesia adhibitae, imo primis temporibus ac in iure antiquiori frequentatae, innuunt ex verbi significatione poenas, quibus voluntarie subiiciuntur, qui de peccatis seu delictis resipiscunt. Earum finem distinctionem ac impositionem moderatur can. 2312; quaenam vero illo nomine veniant edicit can. 2313.

147. **Poenitentiae scopus, divisio et impositio.** Cum pars sacramentum poenitentiae integrans vocetur quoque poenitentia, quae propter peccata imponuntur, recte sic incipit *can. 2312. § 1. Poenitentiae* supra declaratae *in foro externo* ad can. 196 declarato *imponitur* hoc diverso fine: *ut delinquens*, tale namque est praefatarum subiectum, non simplex peccator, a) *vel poenam* quam incurrit *effugiat*, *vel poenae contractae*, seu quam inflictam secum fert, b) *absolutionem*, « si agatur de censura », *aut* c) *dispensationem*, « si de poena vindicativa » (can. 2236 § 1), *recipiat*.

Successiva huiusmodi exempla nobis offerunt Decretales. Ait enim Greg. IX in cap. 17 « de temporibus ordinationum » Lib. I, X: « Respondemus, quod si proposita crimina, ordine iudiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent hi (praeter reos homicidii) post poenitentiam in iam susceptis vel suscipiendis ordinibus impediri: qui si non poenituerint, monendi sunt, et sub interminatione divini iudicii obtestandi, ut in testimonium suae damnationis, in susceptis etiam ordinibus non ministrent ». Item Urbanus VIII in cap. 2 « de clerico non ordinato ministrante » Lib. V, X re-

spondet: « a diaconatu quoque biennio vel triennio pro tua maneat provisione suspensus. De beneficio autem misericorditer agatur cum eo, ne sustentatione privatus, ad saeculi negotia revertatur. Ut autem securius eis possis hanc misericordiam facere, de agenda poenitentia diligentem circa eum curam non desinas exhibere ». Ac demum Alex. III Pictaviensis Episcopi [1] « inquisitioni taliter respondet; quod si matrem sponsae suae (nempe: latoris praesentium) cognovit, et sponsae numquam carnaliter adhaesit, imponenda est ei poenitentia paulo maior, quam pro adulterio: qua peracta, vel parte ipsius, poterit ex dispensatione, cum alia matrimonium contrahere ».

Decretum legimus in Conc. Trid. [2]. « Apostolus monet [3], publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice, et in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum: huic condignam pro modo culpae poenitentiam publice iniungi oportet; ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suae emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicae hoc poenitentiae genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis iudicaverit expedire ». Duo ex hoc textu inferimus, primo quidem poenitentiae distinctionem, ast secundo, quia in casu criminis publici Codex non poenitentiam, sed poenam praescribat, et de poenitentia quandoque imponenda can. sequens in fine moneat, de limitatione publicae poenitentiae fuit sollicitus § *2. Ob delictum* (can. 2195) proprie dictum, *aut transgressionem* legis ecclesiasticae ad illud non pertingentem, *occultam,* quando nempe illud etiam iudicialiter puniri non posset ad normam can.^{s} 1933 § 1, *nunquam poenitentia publica imponatur*, quamvis illae secretae locum det can.^{s} 2312 §^{us} 1^{a}. Exemplum nobis offert Clemens III de « sacerdotibus graecis, quibus legitimo matrimonio licet uti » [4].

Propter poenitentiae naturam sub inscriptione capitis declaratam, admonet § *3. Poenitentiae,* sicut in foro interno ita in externo, *non tam secundum quantitatem* praesuppositi ex §^{0} 1^{a} *delicti, quam secundum poenitentis* de patrato delicto *contritionem* exterius relucentem *moderandae sunt,* ita ut secundum illius magnitudinem

[1] Cap. 2 « de eo qui cognovit consanguineam uxoris suae » tit. XIII, Lib. IV, X. — [2] Cap. 8, sess. XXIV, De Ref. — [3] I ad Timoth. V, 20. — [4] Cap. 7 « de poenitentiis et remissionibus » tit. XXXVIII, Lib. V. X.

sint hae minuendae; attamen *pensatis* etiam *qualitatibus personarum et delictorum adiunctis,* quae simul requirent vel augmentum vel diminutionem, quandoque autem contrarium influxum in hoc conferent. Quae regula iam tradita fuerat ab Innoc. IV Livoniensi Episcopo, quando dixit: [1] « Ceterum cum poenitentia non tam secundum quantitatem excessus, quam poenitentis contritionem, per discreti sacerdotis arbitrium sit moderanda, pensata qualitate personae, super fornicatione, adulterio, homicidio, periurio et aliis criminibus consideratis circumstantiis omnibus, et praesertim novitate Livonien. Ecclesiae, competentem poenitentiam delinquentibus imponatis, prout saluti eorum videritis expedire ».

148. **Poenitentiarum canonicarum elenchus** non est completus, quia sic incipit *can. 2313. § 1. Praecipuae* in praxi *poenitentiae* iuxta capitis tenorem *sunt praecepta* ex modo, quo illae imponuntur, obligatorio : — *1° Recitandi determinatas* per Superiorem *preces*, v. gr. psalmos, orationes, etc. ; — *2° Peragendi* fortassis pedibus a) *piam* ob scopum *aliquam peregrinationem*, visitando quamdam ecclesiam, sanctuarium, imaginem, *vel* « peragendi » *alia pietatis opera,* nempe cultum Dei et Sanctorum respicientia ; — *3° Servandi peculiare* idest : ultra praescripta *ieiunium* ; — *4° Erogando eleemosynas* pecuniae, vestium, etc. *in pios usus*, nempe caritatis erga pauperes vel divini cultus ; — *5° Peragendi exercitia spiritualia* proprie dicta, prout ab exercitiis S. Ignatii haec denominatio derivatur, *in pia* propter eius finem religionis vel caritatis *aut religiosa domo* nempe : alicuius religionis, *per aliquot dies,* quorum limes inferior sunt duo iuxta reg. iuris 40 in 6° : « Pluralis locutio duorum numero est contenta », sed protrahi potest in tres, octo, decem vel mensem.

Vidimus in Instructione citata connumerari exercitia spiritualia remediis praeventivis, cuius non immemor fuisse legislator, ostendit *§ 2. Poenitentias* quaslibet supradictas in § 1ª *Ordinarius* (can. 198, § 1) *pro sua prudentia* in finem remediorum poenalium *addere potest,* non iam substituere, *poenali remedio* ex quatuor recensitis sub can. 2306 tantummodo *monitionis et correptionis,* nam expressio unius est exclusio ceterorum.

[1] Cap. 8 « de poenitentiis et remissionibus », tit. XXXVIII, Lib. V, X.

PARS TERTIA.

De poenis in singula delicta.

149. **Inscriptio Partis eiusque in titulos distributio.** — In Libri V introductione fuit declaratum quo modo essent correlativa delictum et poena. Postquam ergo legislator in Codice normas dedit, quibus reguntur tum delicta tum poenae universaliter loquendo, hae vero tum in genere tum in specie consideratae, quin tamen omitteret opportunam imo frequentem considerationem relationis inter delicta et poenas, *Pars tertia* Libri V inscribitur ab illo *De poenis* singillatim statutis iure communi *in singula* recensenda *delicta* vindicanda vel in emendationem delinquentium coercenda. — Ut vero haec per ordinem enumerentur, fuit facta distributio in titulos, ad quorum coordinationem considerandum est: inter delicta esse aliqua, quae ab omnibus in Ecclesia patrari possunt, alia vero quae a peculiaribus personis. Inter illa eminent, quae fundamenta ipsius societatis supernaturalis impetunt, ac proinde « Titulus XI » est « De delictis contra fidem et unitatem Ecclesiae », post eadem oportet ut sequantur alia secundum dignitatem personarum quae per delicta offenduntur vel bonorum quae ledunt, et ex utraque ratione praecellit « Titulus XII. De delictis contra religionem », postea ex motivo personarum sequitur « Titulus XIII. De delictis contra auctoritates, personas, res ecclesiasticas », et ex altero motivo « Titulus XIV. De delictis contra vitam, libertatem, proprietatem, bonam famam ac bonos mores », cui additur tanquam pars ab eodem seiuncta « Titulus XV. De crimine falsi ». Inter delicta vero peculiaria quarumdam personarum, ab omnibus quidem committi queunt, etsi peculiares religionis actus exercendo, quae statim post titulos praecedentes locum expostulant, hinc subditur « Titulus XVI. De delictis in administratione vel susceptione ordinum aliorumque Sacramentorum ». Post haec plurium sunt propria, quae recenset « Titulus XVII. De delictis contra obligationes proprias status cle-

ricalis vel religiosi ». Inter hos quidam solummodo patrare queunt crimina, quae continet « Titulus XVIII. De delictis in collatione, susceptione et dimissione dignitatum, officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum ». Demum minorem numerum personarum, videlicet ut plurimum Superiores ecclesiasticos afficit « Titulus XIX. De abusu potestatis vel officii ecclesiastici ».

TITULUS XI.

De delictis contra fidem et unitatem Ecclesiae.

Can. 2314. - § 1. Omnes a christiana fide apostatae et omnes et singuli haeretici aut schismatici:

1° Incurrunt ipso facto excommunicationem;

2° Nisi moniti resipuerint, priventur beneficio, dignitate, pensione, officio aliove munere, si quod in Ecclesia habeant, infames declarentur, et clerici, iterata monitione, deponantur;

3° Si sectae acatholicae nomen dederint vel publice adhaeserint, ipso facto infames sunt et, firmo praescripto can. 188, n. 4, clerici, monitione incassum praemissa, degradentur.

§ 2. Absolutio ab excommunicatione de qua in § 1, in foro conscientiae impertienda, est speciali modo Sedi Apostolicae reservata. Si tamen delictum apostasiae, haeresis vel schismatis ad forum externum Ordinarii loci quovis modo deductum fuerit, etiam per voluntariam confessionem, idem Ordinarius, non vero Vicarius generalis sine mandato speciali, resipiscentem, praevia abiuratione iuridice peracta aliisque servatis de iure servandis, sua actoritate ordinaria in foro exteriore absolvere potest; ita vero absolutus, potest deinde a peccato absolvi a quolibet confessario in foro conscientiae. Abiuratio vero habetur iuridice peracta cum fit coram ipso Ordinario loci vel eius delegato et saltem duobus testibus.

Can. 2315. - Suspectus de haeresi, qui monitus causam suspicionis non removeat, actibus legitimis prohibeatur, et clericus praeterea, repetita inutiliter monitione, suspendatur a divinis; quod si intra sex menses a contracta poena completos suspectus de haeresi sese non emendaverit, habeatur tamquam haereticus, haereticorum poenis obnoxius.

Can. 2316. - Qui quoquo modo haeresis propagationem sponte et scienter iuvat, aut qui communicat in divinis cum haereticis contra praescriptum can. 1258, suspectus de haeresi est.

Can. 2317. - Pertinaciter docentes vel defendentes sive publice sive privatim doctrinam, quae ab Apostolica Sede vel a Concilio Generali damnata quidem fuit, sed non uti formaliter haeretica, arceantur a ministerio praedicandi verbum Dei audiendive sacramentales confessiones et a quolibet docendi munere, salvis aliis poenis quas sententia damnationis forte statuerit, vel quas Ordinarius, post monitionem, necessarias ad reparandum scandalum duxerit.

Can. 2318. - § 1. In excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam ipso facto incurrunt, opere publici iuris facto, editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant, itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes.

§ 2. Auctores et editores qui, sine debita licentia sacrarum Scripturarum libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimi curant, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.

Can. 2319. - § 1 Subsunt excommunicationi latae sententiae Ordinario reservatae catholici:

1° Qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico contra praescriptum can. 1063, § 1;

2° Qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam;

3° Qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt;

4° Parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt.

§ 2. Ii de quibus in § 1, nn. 2-4, sunt praeterea suspecti de haeresi.

150. **Inscriptio Tituli et canonum coordinatio.** — Primus Tertiae Partis *Titulus XI* Libri V est inscriptus *De delictis,* ut haec definiuntur in can. 2195, § 1, *contra fidem,* quae est prima virtutum theologalium tanquam fundamentum, quae patrantur ab haereticis et apostatis in can. 1325, § 2 declaratis, atque ab aliis, qui haeresis aut apostasiae participes fiunt, *et* contra *unitatem Ecclesiae,* cui adversantur tum schismatici seu scindentes eam, tum alii aliquatenus schismati faventes. — Principaliter delinquentes percellit can. 2314, dum suspectos de haeresi compescit can. 2315. Secundarios delinquentes ad normam inscriptionis sub seqq.[s] can.[s] poenae decernuntur, et in can. 2316 respectu haeresis, in can. 2317 ob falsam doctrinam, non formaliter haereticam, can. 2318 respicit librorum editionem, ac demum can. 2319 diversa delicta in re matrimoniali, quorum aliqua suspicionem de haeresi secumferunt. Huiusmodi praecipua delicta semper Ecclesia est persequuta, atque locum nanciscuntur in Lib. V authenticarum Collectionum sub rubricis: « De haereticis » ac « De schismaticis ». Poenae autem pluribus in locis, etiam extra illas Collectiones inflictae, digestae sunt ac perpolitae in praefatis huius Tituli legibus.

151. **Adversus apostatas, haereticos et schismaticos** est directe conditus *can. 2314. § 1. Omnes* distributive *a christiana fide,* quae est « divina et catholica » (can. 1323, § 1), et per quam « corde creditur ad iustitiam » (ad Rom. X, 10), *apostatae,* seu qui « ab illa totaliter recedunt » (can. 1325, § 2) etiam « externe ac cum morali imputabilitate », utpote delinquentes, quae apostasia appellatur mixta apud moralistas, atque haec valent quoque de sequentibus, nempe: *et omnes* distributive additurque *et singuli* « quibuscumque nominibus censeantur: facies quidem diversas habentes, sed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum » [1], a) *haeretici,* videlicet: qui « post receptum baptismum,

[1] Cap. 13, « De haereticis » in Conc. Generali, Tit. 7, Lib. V.

nomen retinentes christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegant aut de ea dubitant » (can. 1325, § 2), (alterutrum interne ac externe, ut supra) nam Stephanus Papa inquit omnibus Episcopis [1]: « Dubius in fide, infidelis est », b) *aut schismatici*, scilicet: « qui subesse renuunt Summo Pontifici aut cum membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusant » (can. et § cit.[1]); singuli praedicti:

1° Incurrunt ipso facto excommunicationem, ex const. « Apostolicae Sedis » Pii IX [2] retentam.

Quod Bonif. VIII in cap. unico De schismaticis [3] invocat principium iuris: « similes excessus et culpae poenis similibus in posterum puniantur » applicatur hoc in loco, dum poenas in diversis Decretalium capitibus statutas decernit canon sub n. *2°*. *Nisi* etiam semel *moniti resipuerint*, scilicet: « nisi abiurata haeresi (vel apostasia) et satisfactione exhibita, confestim ad fidem confugerint orthodoxam », ut ait Lucius III in cap. 9 de Haereticis [4], atque nisi schismatici renisum deposuerint, ita ut iam submissionem spondeant sincere, aut communicationem interruptam reassumant, a) *priventur beneficio* proprie dicto ad normam can. 1409, 1412, *dignitate* quae Episcopatum et maiorem designat, necnon Abbatias et Praelaturas nullius, *pensione* derivata ex beneficiis, bonisque ecclesiasticis, *officio* « stricto sensu » (can. 145, § 2), imo et « lato sensu » (ib. § 1), cum addatur: *aliove munere*, quod intelligendum est quoque de munere laicali, *si quod in Ecclesia* idest: ab ea ut societate dependens *habeant*, b) *infames declarentur*, est ergo « infamia iuris » (can. 2293, § 2), sed « ferendae sententiae » (can. 2217, § 1, n. 2°) cuius effectus post sententiam condemnatoriam cognoscuntur ex can. 2294, § 1. Poenae illae clericos et laicos (« utrique autem possunt esse religiosi » can. 107) compescunt, nam sequitur: *et clerici* « per primam saltem tonsuram » (can. 108, § 1), *iterata monitione*, quae supponit praecedentem unicam, *deponantur*, cum depositio enumeretur inter « poenas vindicativas quae clericis tantum applicantur » (can. 2298), et cuius effectus edicunt can. 2303, 2304. — Poenae sunt « determinatae » (can. 2217, § 1, 1°) necnon cumulativae, atque « lex utitur verbis praeceptivis » (can. 2223, § 3°).

Aggravantur poenae sub n. *3° Si sectae acatholicae* nempe:

[1] Cap. 1, Tit. cit. — [2] 12 Oct. 1869, § 1, n 1 et 3. — [3] Tit. III, Lib. V in 6°. — [4] Tit. 7, Lib. V.

haereticae aut schismaticae, a) *nomen dederint* b) *vel* solum *publice* scilicet: « talibus in adiunctis » *adhaeserint* cuilibet ex praefatis sectis, « ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri (can. 2197, 1°) tale delictum, vel iam divulgatum sit », alterutro in casu sive ab inceptione delicti alicuius initio canonis expressi, sive decursu temporis post illam, *ipso facto* in hoc numero declarato *infames sunt* cum effectibus supra citatis, etiamsi sententia condemnatoria nondum praecesserit, *et, firmo praescripto can. 188, n. 4,* nempe: « quaelibet officia vacant ipso facto et sine ulla alia declaratione, si clericus... a fide catholica publice defecerit » (facilius id eventurum in casibus sub n.° 3°), *clerici,* ut supra in n.° 2°, *monitione* ad sequentem poenam, et monitio haec potest esse quandoque prima, si nempe sic deliquerit antequam praecesserit monitio sub n.° 2°, quandoque secunda, si nondum ad depositionem fuerit processum, dum deliquerit ut in n.° 3°, quandoque tertia, si et depositio iam inflicta ei fuerat, tunc enim adhuc delinquentes « clerici » ut declaratum est in hoc n.°, ac insuper *incassum praemissa* declarata « monitione », *degradentur,* quae poena « in se continet depositionem, perpetuam privationem habitus ecclesiastici et reductionem clerici ad statum laicalem » (can. 2305).

Quae « declaranda mandarunt Emi ac Rdmi Dni Cardinales Inquisitores », sicut factum fuit per Dec. S. Congr.^s S. Officii [1], extensaque ad schisma ibi non expressum, continentur sub § *2.* Et primum de absolvenda excommunicatione: *Absolutio* « legitima, qua tantum tollitur » (can. 2248, § 1), *ab excommunicatione* definita in can. 2257, § 1, *de qua in §° 1^a,* scilicet: quam in huius canonis initio declarati « incurrunt ipso facto », *in foro conscientiae,* « sive sacramentali, sive extra-sacramentali » (can. 196) *impertienda* « cum primum delinquens a contumacia recesserit » (can. 2248, § 2), idest: « cum reum vere delicti commissi poenituerit et simul ipse congruam satisfactionem pro damnis et scandalo dederit aut saltem serio promiserit » (can. 2242, § 3), *est* non aliter ac in cit. const. « Apostolicae Sedis » *speciali modo Sedi Apostolicae reservata,* ergo « haec aliive qui absolvendi potestatem ab ea impetraverint specialem » (can. 2253, 3°), illam censuram absolvere poterunt. — Nunc vero praescriptum est in can. 2251: « Si absolutio censurae detur

[1] 19 Febr. 1916, CO. VIII, 61.

in foro interno (seu conscientiae), absolutus, remoto scandalo, potest uti talem se habere etiam in actibus fori externi; sed, nisi concessio absolutionis probetur aut saltem legitime praesumatur in foro externo, censura potest a Superioribus fori externi, quibus reus parere debet, urgeri, donec absolutio in eodem foro habita fuerit ». Merito igitur de hac subdit canon, quem commentamur: *Si tamen delictum apostasiae, haeresis vel schismatis* declaratum supra, *ad forum externum* explicatum in Commentario Textus ad can. 196, *Ordinarii loci* etiam prae Superiore maiori religionis clericalis exemptae quoad huius subditos (can. 198, § 2), quovis modo *deductum fuerit,* vel iudicialiter vel extraiudicialiter, denunciatione, aut *etiam per voluntariam confessionem* extrasacramentalem, ita ut de ea constet, *idem Ordinarius* loci, sed cum sequenti limitatione: *non vero Vicarius generalis sine mandato speciali,* quod tamen ei proinde dari potest, a) *resipiscentem,* seu « a contumacia recedentem », ut supra declaratum est, b) *praevia* absolutioni *abiuratione* seu retractatione pro diversitate haeresis aut criminis praescripta, saltem communi iuxta libros liturgicos, *iuridice peracta,* sicut infra explicabitur c) *aliisque servatis de iure servandis,* iuxta rubricas de hac reconciliatione, atque imposita tum poenitentia salutari, tum « congrua satisfactione pro damnis et scandalo », atque dato mandato, si ei locus sit in casu, *sua auctoritate ordinaria,* quin opus ergo sit alicuius interventus Sedis Apostolicae huiusve facultatis, *in foro exteriore absolvere potest* « ab excommunicatione de qua in §° 1 », quae « absolutio utrumque forum afficit » (can. 2251), unde in casu etiam quod absolutio eiusdem « in foro conscientiae » non praecesserit. — Hac de causa opportune additur: *ita vero absolutus* « in foro exteriore », *potest deinde* (nam prius « nequit absolvi a peccatis », can. 2250, § 2) *a peccato* « apostasiae, haeresis vel schismatis », utpote non reservato nisi ratione censurae, *absolvi a quolibet confessario,* idest: sacerdote iurisdictione erga eum praedito ad normam can. 871, 872, 874-876, *in foro conscientiae,* nempe: « sacramentali » propter absolutionis materiam. — Demum explicat canon: *Abiuratio vero* « praevia » de qua supra *habetur iuridice peracta* propter hanc quoque legis declarationem, *cum fit coram* a) *ipso Ordinario loci* de quo supra, etiam « coram Vicario generali sed cum mandato speciali » ad praefatam absolutionem, *vel eius* alteriusutrius *delegato* ad solam recipiendam abiurationem, b) *et*

saltem in quolibet casu *duobus testibus,* nempe: personis, quae iure naturae testificari possint.

152. **Contra suspectum de haeresi.** — *Can. 2315. Suspectus de haeresi,* ob manifestationem propositionis tali censura notatae, et propter verba vel facta, quae iuxta ss. canones v. gr. 2319, § 1, n. 2-4 prudens fundamentum praebent erroris sequuti contra fidem catholicam, *qui* clericus vel laicus, forsan religiosus, *monitus* ab Ordinario loci, cui hae causae sunt reservatae, *causam suspicionis* qua permanentem *non removeat, actibus legitimis prohibeatur,* quos proinde illicite exercebit, dignoscendos ex parallelo can. 2256, 2°, *et clericus* « per primam saltem tonsuram » (can. 108, § 1) *praeterea,* gravius puniendus, sed *repetita inutiliter* seu absque remotionis praefatae effectu *monitione, suspendatur a divinis,* quae « suspensio vetat omnem actum potestatis ordinis quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet » (can. 2279, § 2, 2°), et hucusque « lex utitur verbis praeceptivis » (can. 2223, § 2), proceditque canon ulterius: *quod si intra sex menses,* qui « sumantur prout sunt in calendario » (can. 34, § 3, 1°, 3°), ac « primus dies ne computetur et tempus finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri », subditur enim: *a contracta poena* per sententiam condemnatoriam praevia monitione, et quoad clericum iterata, *completos suspectus de haeresi* ut initio canonis *sese non emendaverit* removens « causam suspicionis », *habeatur* ex iuris praescripto *tanquam haereticus,* quidquid fuerit coram Deo, cui cor hominis patet, *haereticorum poenis* seu contra eos per can. 2314 tum latae tum ferendae sententiae *obnoxius,* equidem illis ipso facto, his vero per sententiam plectendus.

153. **Suspicio de haeresi ob huius iuvamen.** — Inter varios casus suspicionis de haeresi statim ponitur magis propinquus ipsi haeresi sub *can. 2316. Qui* a) *quoquo modo* etsi materialis cooperationis, v. gr. in edendis legibus, decretis, subveniendo pecuniis, servitio, haereticorum opera quamvis benefica, haec aut hos commendando, ita ut per diversos actus *haeresis,* sive praesertim in secta, sive illius erroris contra fidem divinam et catholicam in seipso considerati *propagationem* in eos, qui prius illam non profitebantur, *sponte* scilicet: sine vi aut metu gravi, *et scienter,* quod verbum ex loco parallelo « plenam cognitionem et deliberationem exigit » (can. 2229, § 2) quoad propriae actionis influxum, *iuvat* saltem

indirecte, b) *aut qui communicat in divinis*, scilicet: « quovis modo active assistens seu partem habens in sacris acatholicorum », sed *cum haereticis* proprie dictis ad normam can. 1325, § 2 *contra praescriptum can. 1258*, in cuius § 2ª toleratur quaedam « praesentia passiva seu mere materialis, civilis officii vel honoris causa », ceteroquin alteruter ex declaratis, *suspectus de* illa *haeresi est*, quam alterutro actu iuvat.

154. **Adversus docentes vel defendentes propositiones damnatas** lata fuit in const. « Aplcae. Sedis » Pii IX excommunicatio Rom.º Pont.¹ simpliciter reservata. Plenius contra eosdem insurgit *can. 2317. Pertinaciter*, idest: cognita doctrinae damnatione statim declaranda, a) *docentes* proprie, idest: tradendo nescientibus, quatenus tales esse iudicari queant, b) *vel defendentes*, scilicet: adnitentes tueri tanquam veram vel licitam vel non damnandam, non vero si tantummodo aliquem propositionis damnatae verum sensum tueantur, sed indifferens est *sive publice* illud fiat v. gr. in schola, in academia, in libro publici iuris, in sacra concione, *sive privatim* in conversatione, domi coram paucis, *doctrinam, quae* ut plurimum sub forma propositionis *ab Apostolica Sede* sive per Rom. Pontificis litteras, sive per Decretum S. Congr. S. Officii (can. 7), *vel a Concilio Generali*, cuius mentio non extabat in const. « Aplcae. Sedis » citata, proindeque illa censura strictius interpretabatur ab Auctoribus probatis, non sic nunc faciendum, *damnata quidem fuit* seu reprobata in se (non solum prohibita quoad defensionem etc. ob rationes prudentis regiminis, sicut quandoque contigit), *sed non uti formaliter haeretica*, idest: directe revelatae veritati ac certe contraria, quia illo in casu hi delinquentes caderent sub can. 2314. — Delinquentes igitur, prout declaratum est, « verbis praeceptivis utitur lex » de poena « determinata » (can. 2217, § 1, 1º), *arceantur a ministerio* a) *praedicandi verbum Dei* ad normam can. 1340, §§ 2, 3, ut memoratum est in can. 1347, § 3, b) *audiendive sacramentales confessiones*, proindeque gravis haec causa iudicatur ad normam can. 880 quod attinet, c) *et a quolibet docendi munere*, scilicet: officio ecclesiastico etsi « lato sensu » (can. 145, § 1), cui docere alios incumbat, *salvis aliis poenis* tempore initii Codicis vigentibus, sive ferendae sive praesertim latae sententiae, et inde quoque excommunicationis, « harum enim in Codice fit mentio » his verbis (can. 6, 5º), a) *quas sententia damna-*

tionis, non posterius documentum, nisi quatenus hoc illam confirmet, v. gr. Motu pr. « Praestantia Scripturae Sacrae » Pii X [1] « confirmantis tum Decretum illud Congr.[s] Sacrae Supremae (scilicet: « Lamentabili »), tum Litteras eas Encyclicas (« Pascendi Dominici gregis ») *forte statuerit,* non iam solum retulerit vel confirmaverit in genere poenas antiqui iuris, b) *vel quas Ordinarius,* tum loci ex contextu, nam ipsius est cura fidei magisteriique ecclesiastici erga eiusdem subditos, quin excludatur competentia « Superioris maioris in religionibus clericalibus exemptis » (can. 198, § 1), quandocumque eius subditus sic deliquerit, *post monitionem* de emendatione aut de reparatione conveniente erroris danda, *necessarias* ob illius defectum, vel insufficientiam in hunc praecise finem, *ad reparandum scandalum duxerit* secundum eius prudens iudicium.

155. **Propositiones damnatae cum excommunicatione latae sententiae.** — Valde utile est recensere illas damnationes, in quibus excommunicatio latae sententiae fuit statuta. Ita damnatae fuerunt: a Leone X errores 41 Martini Luther in Bulla « Exurge Domine » [2]; a Pio V prop. 79 Michaelis du Bay (Baii) in Bulla « Ex omnibus afflictionibus » [3]; a Clem VIII prop. 1 circa confessionem et absolutionem per litteras vel internuncium in Dec.° S. Congr.[s] S. Officii [4], ab Alex. VII confirmante duo Dec.[a] S. Officii [5] in prop.[s] 45 errores Iansenistarum; ab Innoc. XI per Dec. S. Officii [6] 65 prop.[s], errores Iansenistarum, et ab eod. Pont. in const. « Coelestis Pastor » [7], errores Michaelis de Molinos in 68 prop.[s], ab Alex. VIII prop. 1 circa peccatum philosophicum in Dec.° S. Officii [8], item ab eodem S. Pont. in Dec.° eiusdem Congr.[s] Supr. [9] 31 prop.[s], et a Bened. XIV errores 5 de duello in const. « Detestabilem » [10]. Demum omnes quae ab Auctoribus probatis enumerantur tanquam comprehensae sub excommunicatione R. P. simpliciter reservata in const. « Aplcae. Sedis », inclusa doctrina circa praxim, de qua inquit Bened. XIV in const. « Ubi primum » [11]: « Qui ausus fuerit docere, licitam esse praxim exquirendi nomen complicis, denuntiata, nisi revelarent, absolutionis sacramentalis negatione: vel scribere aut loqui prae-

[1] 18 Nov. 1917. — [2] 15 Iun. 1520, Denzinger, n. 741-781. — [3] 1 Oct. 1567, Denzinger, n. 1001-1080. — [4] 20 Iun. 1602, Denz. n. 1088. — [5] 24 Sept. 1665 et 18 Mart. 1666, Denz. 1101-1145. — [6] 2 Mart. 1679, Denz. 1151-1215. — [7] 19 Nov. 1687, Denz. 1221-1288. — [8] 24 Aug. 1690, Denz. 1290. — [9] 7 Dec. 1690, Denz. 1291-1321. — [10] 10 Nov. 1752, Denz. 1491-1495. — [11] 2 Iul. 1746.

sumpserit in eiusdem damnatae praxis defensionem, » incidit in excommunicationem Rom. Pont. reservatam. Exclusio econtra est admittenda iuxta eorumdem Auctorum interpretationem quoad doctrinas de quibus in canone, alias etiam sub excommunicatione latae sententiae damnatas in Conc.[s] Oecumenicis, eo quod huiusmodi poena revocata in const. « Aplcae. Sedis » non venit sub clausula canonis: « salvis aliis poenis quas sententia damnationis forte statuerit », iuxta interpretationem in Commentario adductam.

156. **Contra delinquentes ratione quorumdam librorum prohibitorum.** — Poenae latae sententiae Decr.[m] gener[m] « de prohibitione et censura librorum » (n. 47, 48) transcriptae sunt accuratius quoad personarum designationem, et aliquantulum sive ampliatae sive restrictae in *can. 2318.* § *1. In excommunicationem Sedi Apostolicae* (can. 7) non solum « Romano Pontifici » *speciali modo reservatam* (can. 2253, 3°) *ipso facto* ex singulis recensendis *incurrunt* vi huius can.[s], *opere publici iuris facto,* non prius, v. gr. dum imprimitur, si aliqua exemplaria dantur, a) *editores* nempe: qui editionis sumptus sustinent, sive auctor sit, sive non, *librorum* proprie dictorum, non ad sensum can. 1384, § 2, *apostatarum, haereticorum et* in Dec.[s] gener.[s] omissorum *schismaticorum,* singulorum tanquam auctorum, *qui* supple « libri » insuper *apostasiam, haeresim* unice in Dec.[s] gener.[s] expressam, *schisma,* quae verba distributive sumantur ad unamquamque auctorum categoriam, non tantum quia referunt aut continent, sed tertio *propugnant,* seu positive defendunt. Hucusque determinatum est obiectum delicti editorum. Ampliores termini aliis delinquentibus assignantur; nempe: *itemque eosdem libros* cum tribus videlicet declaratis qualitatibus, *aliosve* quoque « libros » *per apostolicas litteras* sive in forma Epistolae, Encyclicae, Brevis, Bullae, sed Summi Pontificis, non per Decreta SS. Congregationum etiam Papa confirmante, *nominatim* per auctoris vel saltem singularis libri designationem, *prohibitos* formaliter, seu qua tales, singulos libros utriusque classis, ut supra, b) *defendentes* sive formaliter quoad eorum doctrinam, sive materialiter, ne destruantur, ex commercio auferantur, etc. c) *aut scienter,* quod verbum sequentia tantum commata afficiens « plenam cognitionem ac deliberationem exigit, unde quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis eximit » (can. 2229, § 2), *sine debita licentia,* qua eisdem relaxetur lex,

legentes ita ut idioma in quo scripti sunt intelligant, *vel retinentes,* eo quod sub eorum libera sint dispositione, quamvis apud alios inveniantur libri. Omissum est in canone verbum « imprimentes » de cuius sensu nonnulla erant practica dubia.

Pariter loco eorum « qui imprimunt aut imprimi faciunt » (Dec. gen.) posita sunt in § *2* verba: *Auctores,* qui nempe librum confecerunt, vel saltem editionem peculiarem inspiratorum librorum curarunt, *et editores* propterea quod sumptus editionis suppeditant, *qui* sub conditione *sine debita licentia* « Ordinarii loci » ad normam can. 1385, § 2, quae, utpote verbo singulari expressa et congruenter verbis: « sine Ordinarii approbatione » in Dec.[s] gener.[s], non respicit « licentiam sui Superioris maioris, quam religiosi (auctores) antea quoque consequi debent » (ib. § 3), a) *sacrarum Scripturarum libros* b) *vel earum adnotationes* c) *aut commentarios,* prout haec omnia fuerunt declarata in can. 1385, § 1, 1°, et contra illius normam *imprimi curant,* illi saltem permissione, hi tractantes per se vel per alium cum typographia, non iam « qui imprimunt », *incidunt* ipso *facto* consummato imprimendi *in excommunicationem nemini reservatam,* « a qua potest absolvere, in foro sacramentali quilibet confessarius; extra forum sacramentale quicumque iurisdictionem in foro externo habeat in reum » (can. 2253, 1°).

157. **Contra delicta, quae ut plurimum accidunt in matrimoniis mixtis.** — Cum praedictis matrimoniis connexionem, ut patebit, habere facile queunt delicta contra fidem ac unitatem Ecclesiae quae punit *can. 2319,* propter quod huius commentarium dedimus alias sub Appendice prima vol[s]. « De Sacramentis ». — § 1. *Subsunt excommunicationi latae sententiae Ordinario loci* (can. 198, § 2) *reservatae,* qui « absolvere potest ab ea etiam peregrinos » (can. 2253, 3°), *catholici,* sive inter se sive praesertim cum acatholicis matrimonium contraxerint, sequentes:

1° Qui matrimonium ineunt « sive per se, sive per procuratorem » *coram ministro acatholico* « uti sacris addicto » *contra praescriptum can. 1063, § 1,* scilicet: « vel ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum », etsi ad matrimonialem consensum renovandum, siculi talis paragrphus fuit declaratus; — *2° Qui matrimonio,* quamvis ad normas ss. canonum *uniuntur cum pacto* adiecto matrimoniali contractui ante ipsum matrimonium, *explicito,* quamvis verbotenus ac sine formalitatibus legum de pactis, sed

praecise de hoc quod sequitur, *vel implicito* in alia assumpta obligatione, *ut omnis* utriusque sexus *vel aliqua proles* v. gr. eiusdem sexus ac coniux acatholicus, unave tantum, *educetur extra catholicam Ecclesiam,* quod comprehendit, tum sectam haereticam vel schismaticam, tum absque religione, vel in qualibet acatholica; — *3° Qui scienter* quoad sequentes circumstantias a) *liberos suos* b) *acatholicis ministris* alicuius sectae, falsaeque religionis, c) *baptizandos,* seu in hunc finem *offerre praesumunt,* quod postremum « verbum plenam cognitionem ac deliberationem exigit » (can. 2229, § 2) legis ac poenae ad incurrendam censuram, non ad effectum sequuturum ex § 2; — *4° Parentes,* ut in n.° praec. maritus vel uxor, *vel parentum locum tenentes,* ut avus, tutor, vel apud quem reliquerunt illi proprium filium, *qui* a) *liberos* respectu « parentum » illorum b) *in religione acatholica* quacumque ac positivo modo c) *educandos* quoad morum informationem *vel instituendos* quoad intelligentiae doctrinam d) *scienter tradunt;* sed adverbium intelligendum de illis circumstantiis sub *a*) *b*) et *c*) tum respectu §[i] 2[ae], tum quoad poenam incurrendam, pro hac vero tantum insuper illud « verbum plenam cognitionem ac deliberationem exigit » (can. 2229, § 2) legis ac poenae.

Additur notabilis § 2. *Ii de quibus in* § 1, *nn. 2-4,* prout ibidem declarati manent, *sunt praeterea,* idest: non solum proprie delinquentes, ut supra, sed *suspecti de haeresi* contra necessitatem professionis religionis catholicae ad aeternam salutem consequendam. Iis ergo applicandus est can. 2315.

TITULUS XII.

De delictis contra religionem.

Can. 2320. - Qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit, est suspectus de haeresi; incurrit in excommunicationem latae sententiae specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam; est ipso facto infamis, et clericus praeterea est deponendus.

Can. 2321. - Sacerdotes qui contra praescripta can. 806, § 1, 808 praesumpserint Missam eodem die iterare vel eam celebrare non ieiuni, suspendantur a Missae celebratione ad tempus ab Ordinario secundum diversa rerum adiuncta praefiniendum.

Can. 2322. - Ad ordinem sacerdotalem non promotus:

1° Si Missae celebrationem simulaverit aut sacramentalem confessionem exceperit, excommunicationem ipso facto contrahit, speciali modo Sedi Apostolicae reservatam; et insuper laicus qui-

dem privetur pensione aut munere, si quod habeat in Ecclesia, aliisque poenis pro gravitate culpae puniatur; clericus vero deponatur;

2° Si alia munia sacerdotalia usurpaverit, ab Ordinario pro gravitate culpae puniatur.

CAN. 2323. - Qui blasphemaverit vel periurium extra iudicium commiserit, prudenti Ordinarii arbitrio puniatur, maxime clericus.

CAN. 2324. - Qui deliquerint contra praescriptum can. 827, 828, 840, § 1, ab Ordinario pro gravitate culpae puniantur, non exclusa, si res ferat, suspensione aut beneficii vel officii ecclesiastici privatione, vel, si de laicis agatur, excommunicatione.

CAN. 2325. - Qui superstitionem exercuerit vel sacrilegium perpetraverit, pro gravitate culpae ab Ordinario puniatur, salvis poenis iure statutis contra aliquos actus superstitiosos vel sacrilegia.

CAN. 2326. - Qui falsas reliquias conficit, aut scienter vendit, distribuit vel publicae fidelium venerationi exponit, ipso facto excommunicationem Ordinario reservatam contrahit.

CAN. 2327. - Quaestum facientes ex indulgentiis plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata.

CAN. 2328. - Qui cadavera vel sepulcra mortuorum ad furtum vel alium malum finem violaverit, interdicto personali puniatur, sit ipso facto infamis, et clericus praeterea deponatur.

CAN. 2329. - Ecclesiae vel coemeterii violatores, de quibus in can. 1172, 1207, interdicto ab ingressu ecclesiae aliisque congruis poenis ab Ordinario pro gravitate delicti puniantur.

Titulus XII. De delictis contra religionem —
- erga SS̃mam. Eucharistiam —
  - quoad species consecratas — Can. 2320
  - in missa celebrata —
    - iterato vel absque ieiunio — » 2321
    - per non promotum ad ordinem sacerdotalem — » 2322
- nominis Dei — » 2323
- occasione stipendii Missarum — » 2324
- erga res sacras —
  - in genere indigne tractatas — » 2325
  - in specie —
    - propter falsas reliquias — » 2326
    - ob quaestum ex indulgentiis — » 2327
    - per violationem —
      - cadaverum vel sepulcrorum — » 2328
      - locorum sacrorum — » 2329

158. **Inscriptio Tituli et ordo canonum.** — Postquam Codex tractans de poenis in singula delicta primo coadunavit uno sub Titulo delicta contra virtutes theologales, videlicet: fidem atque caritatem, huic enim adversatur contra unitatem Ecclesiae delinquens, digerit statim *Titulum XII* inscriptum *De delictis,* quae definiuntur (can. 2195, § 1) « externa et moraliter imputabilis legis violatio cui addita sit sanctio canonica saltem indeterminata »,

contra religionem, quae est « virtus moralis quae Deo debitum cultum affert », ac praeeminet inter alias virtutes morales. Nam in Decalogo (Exodi XX) « ponuntur primo praecepta ad religionem pertinentia, tanquam praecipua. Ordo autem praeceptorum proportionatur ordini virtutum, quia praecepta legis dantur de actibus virtutum. Ergo religio est praecipua inter virtutes morales ». Ita D. Th.[1].

« Duo ergo in religione considerantur, secundum eius definitionem. Unum quidem quod religio Deo affert, scilicet cultus, et hoc se habet per modum materiae et obiecti ad religionem; aliud autem est id cui affertur, scilicet Deus, cui cultus exhibetur: inquantum actus quidam quibus Deus colitur, in Dei reverentiam fiunt: puta sacrificiorum oblationes, et alia huiusmodi »[2]. Sic igitur iure praeponuntur canones contra delicta, quae in augustissimum sacramentum sub quo Christus continetur redundant, ac primo in seipso consideratum can. 2320, postea in Missae vero sacrificio can. 2321, ac in eo simulato can. 2322, post Christum verendum est Divinum nomen, cuius irreverentia per can. 2323 vindicatur, atque redundans indirecte in Missam delictum nempe: ob eius stipendium punitur can. 2324. Post haec veniunt canones punientes delicta erga res sacras, sive in genere. ut est can. 2325, sive in specie ac sunt ceteri quatuor canones, videlicet: propter falsas reliquias can. 2326, ob quaestum ex indulgentiis can. 2327, ac demum in violationes cadaverum vel sepulcrorum locorumve sacrorum insurgunt can. 2328, 2329.

159. **Delicta contra sanctissimam Eucharistiam.** — Sicuti actus reverentiae erga divinum Sacramentum patefaciunt illorum subiecti fidem, e contrario magnae irreverentiae, si ex animo fiant, fundamentum praebent dubitandi de recta operantis fide: merito igitur statuit *can. 2320. Qui,* exclusa quacumque distinctione, *species* ut plurimum panis, sed vini quoque, *consecratas*, nempe: super quas verba consecrationis rite prolata fuerunt, a) *abiecerit* scilicet: veluti abs se iecerit, ergo per actionem earum despectivam, sive in terram, sive spargens super aliquod mobile, sive afficiens parieti, etc. *vel ad malum finem,* quae intentio agentis sive per se sive per aliam personam exequenda requiritur influens in

[1] II-II, q. LXXXI, a. 6 arg. Sed contra. — [2] D. Th. loc. cit. a. 5 corp.

actionem, qua b) *abduxerit*, idest: duxerit secum ad locum distinctum ab eo in quo sunt, sive recipiens ore uti-se communicans, sive furto, sive tanquam communioni deferendae, c) *aut retinuerit* apud se, quamvis rite illas consequutus fuerit, vel alius abduxerit, quicumque illorum est *suspectus de haeresi* vi huius canonis; ei ergo est applicandus can. 2315, et hoc delictum pertinet ad competentiam Congr.ᵉ S. Officii ut est tribunal.

Nunc animadvertere oportet cum D. Th., quod « inter res sacras summum locum obtinent ipsa sacramenta quibus homo sanctificatur: quorum praecipuum est Eucharistiae sacramentum, quod continet ipsum Christum. Et ideo sacrilegium quod contra hoc sacramentum committitur, gravissimum est inter omnia » [1]. Sed delicta, quae respicit canon, sunt adhuc graviora iuxta eumdem S. Doctorem [2]. Ait enim: « quod ille qui proiiceret hoc sacramentum in lutum, multo gravius peccaret, quam ille qui cum conscientia peccati mortalis ad hoc sacramentum accedit, primo quidem quia ille hoc faceret ex intentione iniuriam faciendi huic sacramento, quod non intendit peccator indigne corpus Christi accipiens; secundo quia peccator est capax gratiae: unde etiam magis est aptus ad suscipiendum hoc sacramentum, quam quaecumque alia irrationalis creatura. Unde maxime inordinate uteretur hoc sacramento qui proiiceret ipsum canibus ad manducandum, vel qui proiiceret in lutum ad conculcandum ».

Nil igitur mirandum si graviores poenas infert canon sic prosequens: quilibet initio designatus a) *incurrit in excommunicationem latae sententiae specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam,* ac primo per Codicem inflictam fortassis ob morum perversitatem; b) *est ipso facto infamis*, scilicet: infamia iuris notatur cuius effectus disci queunt in can. 2294, § 1, *et* c) *clericus* « ob primam saltem tonsuram » (can. 108, § 1) *praeterea est deponendus,* cuius depositionis sunt plures effectus iuris, qui recensentur can. 2303, 2304.

160. **Delicta in Missa per Sacerdotem celebrata.** — *Can. 2321. Sacerdotes,* nam hi « soli potestatem offerendi Missae sacrificium habent » (can. 802), *qui contra praescripta* a) *can. 806, § 1,* nempe: « excepto utroque die quibus facultas est ter offerendi

[1] II-II, q. XCIX, a. 3 corp. — [2] III pars q. LXXX, a. 5 ad 3m.

Eucharisticum sacrificium », *808* « de ieiunio naturali a media nocte servato » ad licitam celebrationem, *praesumpserint,* quod verbum « plenam cognitionem ac deliberationem exigit » (can. 2229, § 2, a) *Missam eodem die iterare,* v. gr. quartam celebrare diebus supra memoratis, plures ultra primam ceteris diebus sine « apostolico indulto aut potestate facta a loci Ordinario » (can. 806, § 1) ibidem declaratis, b) *vel eam celebrare non ieiuni* iuxta cit. can., etsi semel in die atque ad communicandum infirmum, vel secundam sibi licitam sed post ablutionis sumptionem, et hoc secundum absque ulla exceptione, ut colligitur ex negativa resp. S. Congr.ˢ S. Officii (Vallisprat.)[1]: « Se per ragione di scandalo o di ammirazione si possa giammai celebrare la seconda messa dopo la prima quando già è stato infranto il digiuno », praedicto qualicumque delicto se maculantes (« verbis praeceptivis utitur » canon, ac « ordinarie poena sequens infligenda est » ad normam can. 2223, § 3, ut in quo peccaverunt puniantur), *suspendantur a Missae celebratione* « poena equidem vindicativa » (can. 2298, 2°) *ad tempus ab Ordinario* loci, vel si sacerdos pertineat « ad religionem clericalem exemptam » ab eius Superiore maiore (can. 198, § 1), *secundum diversa rerum adiuncta;* semper tamen supposita praesumptione ad singula haec delicta, illisque adiunctis consideratis solummodo « ad tempus » *praefiniendum* poenae, supputandum « de momento ad momentum et menses sumantur prout sunt in calendario » (can. 34, § 2).

161. Ministerii sacerdotalis usurpatio. — Bened. XIV in sua const. « Sacerdos in aeternum » [2]. sub initio gravitatem sequentium duorum criminum detegit, ac historiam texit const.ᵐ Summorum Pontificum Pauli V, Sixti V, Clem. VIII et Urbani VIII de modo procedendi ad punitionem huiusmodi delinquentium, excusationes cum discretione reiiciens, atque ex illa rectam sumere possumus interpretationem *can.ˢ 2322,* cuius severitatem non mirabimur considerantes « quod si, iuxta Legem Moysi, accedentes ad Sanctuarium illud manufactum, aut thuribulum aureum ab hominibus effictum manu arripientes. praeter eos, qui ex designata tribu et familia originem ducerent, sine ulla miseratione morti deputabantur; quanto magis putandum est deteriora supplicia mereri eos,

[1] 2 Dec. 1874, Collect. S. C. de Prop. Fide. n. 1425. — [2] 20 Apr. 1744.

qui, profani cum sint, adeo praestantiori novae Legis ministerio se ingerere, atque oblationem et dispensationem Mysteriorum Dei sibi arrogare praesumpserint? » (Proemio const.[s] cit.). Sic igitur iuste prorsus decernit canon: *Ad ordinem sacerdotalem,* quocum datur « potestas offerendi Missae sacrificium » et « ministerium sacramenti poenitentiae », ut explicatum probatumque fuit in can. 802, 871, *non promotus,* sive diaconus fuerit, ut in cap. 2 « de clerico non ordinato ministrante » (V, 28) in Decretalibus, sive inferioris ordinis, ut ex eiusdem tit. rubrica, sive « laicus » secundum aliam cit.[ae] rubricae variantem « de non ordinato ministrante » eiusque cap. 1 « Si quis », quae interpretatio confirmatur evidenter ex sequentibus in canone statuente:

1° *Si* a) *Missae*, « non modo unius », quae etiam ritibus iuris humani constat, *celebrationem* integram, « sed etiam unius Missae partem, dummodo elevationem hostiae vel calicis, seu utriusque in Altari peregerit ». nam tunc proprie dicitur *simulaverit,* scilicet: exterius faciens. quod revera sciens ac volens non perficit, « quamvis de prolatione formae consecrationis non constet », vel illa omissa fuerit: « cum ex huiusmodi verborum prolatione tremendi quidem Sacrificii contemptus et delinquentis audacia, et crimen augeatur; sed ex eorum reticentia nequaquam imminuatur peccatum idololatriae, quod per actus adorationis a celebrante non promoto erga puram pani et vini substantiam exhibitos, admittitur, et in quod populus etiam fidelis materialiter saltem inducitur » (ib. § 6). Haec nempe « omissio » vel prolatio recta vel « substantialiter deficiens » in eo qui caret sacerdotali ordine intactam relinquit simulationem; quae tamen in sacerdote celebrante inducerent eamdem simulationem cum gravissimo sacrilegio, sed hic nullo in casu sequentibus vel aliis poenis a Codice plectitur. Sequitur in hoc n.° 1°: b) *aut sacramentalem confessionem* scilicet: ex confitentis intentione, ut absolutionem peccatorum obtineat, factam, *exceperit* etiam semel, et quamvis « absolutionem ab illo minime prolatam fuisse constet », « cum is quoque Sacramentum reconciliationis humanae conculcet (eam sibi falso asserens factis facultatem emundandi conscientias hominum ab operibus mortuis, quam aeterni foederis Sponsor Dei Filius nemini se, nisi per ecclesiasticam ordinationem communicaturum promisit), et sanguinem Testamenti, a quo virtus sacramenti

illius omnis promanat, pollutum ducat, confitentibus vero fideliter peccata sua impiam in re gravissima fraudem faciant »[1].

In his delictis animadvertatur deesse « verba: praesumpserit, ausus fuerit, scienter, aliave similia », ac proinde iuvari non posse delinquentem §° 2°, can.s 2229, sed ipse ad normam eiusdem can.s §i 3i *excommunicationem ipso facto* alterutro supra declarato *contrahit* a Codice inductam, *ac speciali modo Sedi Apostolicae reservatam; et insuper* seu cum ea latae sententiae poena omnibus communi α) *laicus quidem*, qui « potest esse religiosus » (can. 107) ac regularis ceteroquin « ab Ordinarii loci iurisdictione exemptus » (can. 615), sed quandoque « a loci Ordinario puniri potest » (can. 616, § 2), scilicet: *privetur* a) *pensione* evidenter ex bonis ecclesiasticis, b) *aut munere, si quod* sine potestate ordinis ac iurisdictionis *habeat in Ecclesia*, v. gr. sacristae, atque disiunctive alterutro si utrumque habeat, tamen utroque privari posset vi clausulae: *aliisque poenis* hoc in loco « indeterminatis » (can. 2217, § 1, 1°), sed *pro gravitate culpae* diversa ex circumstantiis *puniatur*, et cum « lex utatur verbis praeceptivis, ordinarie poena infligenda est » ad normam can. 2223, § 3; β) *clericus vero*, nempe: « qui divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipatus est » (can. 108, § 1), sed declarato verbo ac supra verbum « laicus » illi oppositum, *deponatur*, quae poena « determinata est » (can. 2217, § 1, 1°), ac sicut pro laico « lex utitur verbo praeceptivo » (can. 2223, § 3).

2° *Si alia munia*, « quae in spiritualem finem legitime exercentur » (can. 145), attamen *sacerdotalia*, utpote sacerdotibus iure divino vel canonico attributa fortassis sub certis circumstantiis, aliquis non sacerdos ex ordinatione, proindeque *usurpaverit*, idest: illa exercuerit, sive clericus, sive laicus, aut religiosus quoque fuerit, *ab Ordinario* ad normam can. 198, § 1 sui proprio *pro gravitate* requisita *culpae* moralis etiam unius actus, *puniatur*. « Lex utitur praeceptivo verbo » poenaque manet « indeterminata » (can. 2223, § 3, et can. 2217, § 1, 1°).

162. **Delicta contra reverentiam Divini Nominis.** — Ait D. Th.[2]: « per id quod dicitur: *Non assumes nomen Dei tui in vanum* prohibetur blasphemia. Magis enim in vanum assumit nomen

[1] Proemio cit. const. — [2] II-II, q. XIII, a. 2 ad 2m.

Dei qui aliquod falsum de Deo asserit, quam qui per nomen Dei aliquod falsum confirmat », quod proprie periurium dicitur. Haec duo delicta coniunctim percutit poenis *can. 2323. Qui,* clericus, laicus, etiamsi alteruter sit religiosus, *blasphemaverit,* vel ut ait Greg. IX [1], « contra Deum vel aliquem sanctorum suorum et maxime Beatam Virginem, linguam in blasphemiam relaxaverit », quod « nomen importare videtur quandam derogationem alicuius excellentis bonitatis, maxime divinae » [2]. Atque « sicut Deus in sanctis suis laudatur, inquantum laudantur opera quae Deus in sanctis efficit, ita et blasphemia quae fit in sanctos, ex consequenti in Deum redundat ». « Deus autem, ut Dionysius dicit [3], est ipsa essentia verae bonitatis... Quicumque ergo vel negat aliquid de Deo quod ei convenit, vel asserit de Deo quod ei non convenit, derogat divinae bonitati. Si consistat tantum in corde, est cordis blasphemia; si autem exterius prodeat per locutionem, est oris blasphemia », de qua proprie loquitur canon, qui deinde prosequitur: *vel periurium* scilicet: mendacium iuramento firmatum, quia ut probat et explicat D. Thomas [4]: « falsitas est de ratione periurii », sed praecipue intelligendum est de iuramento promissorio contra quod emissum aliquis egerit vel omiserit quidquam « non necessitate, sed voluntate », ut legitur in cap. 10 « de iureiurando » (II, 24). Additur in canone *extra iudicium,* quia in iudicio periurium est a iudice peniendum, *commiserit,* quod verbum etiam iuramentum assertorium respicit, cum adversus promissorium iuramentum frequentius omissione peieretur; quicumque igitur, ut dictum est, delinquens, *prudenti* nempe: circumstantias personae casusque perpendentis *Ordinarii* « proprii » (can. 94) delinquentis, sive loci, sive Superioris maioris quoad religionis clericalis exemptae alumnos, *arbitrio,* quod se refert non ad poenae determinationem utpote quid subintelligendum, sed illud « verbum est facultativum » relate ad significationem verbi: *puniatur* modo quidem disciplinari, qui ad poenas restringitur expressas in can. 1933, § 4.

163. **Delicta circa stipendia missarum.** — Sanctiones poenarum ex Dec.° « Ut debita » S. Congr.ᵉ Conc.ⁱ [5] ipso facto incur-

[1] Cap. 2, de maledicis, tit. 26, lib. V. — [2] D. Th. II-II, q. XIII, a. 1, corp. et ad 2m. — [3] De div. nom. cap. 1. — [4] II-II, q. XCVIII, a. 1, c. — [5] 11 Maii 1904, n.is 12°, 13°.

rendarum, et eadem quoque excommunicatio Summo Pontifici reservata in const. « Apleae. Sedis » Pii IX, sunt abrogatae in Codice, aut convenienter in poenas ferendae sententiae commutatae in *can. 2324. Qui,* clerici, sive « ex ordine sacerdotali sint, sive sacerdotio nondum initiati » (loc. cit.), aut laici, qui omnes singuli « possunt esse religiosi » (can. 107), *deliquerint,* iuxta definitionem delicti ad inscriptionem tituli relatam, *contra* unumquodque *praescriptum can.*[s] *327,* de vetita « qualibet specie negotiationis vel mercaturae a stipe Missarum » manuali, ad instar manuali, vel fundatarum, praesertim ex Dec.[1] « Ut debita » ad cit.[m] canonem transcriptis cognoscenda, *can.*[s] *828*, quoad « celebrandas et applicandas tot Missas, quot stipendia accepta fuerint », prout ibidem fuit explicatum, et can.[s] *840*, § *1*, quoad « Missarum stipes manuales acceptas ad alios integre transmittendas », duplici exceptione admissa, ut exinde cognosci plenius potest, *ab Ordinario* loci proprio delinquentis ad normam can. 111 et seq.[s] ac pro religiosis can. 94, vel « pro suis subditis a Superiore maiore in religionibus clericalibus exemptis » (can. 198), *pro gravitate* requisita *culpae* idest; peccati moraliter perpensi *puniantur*, atque « lex utitur praeceptivis verbis » (can. 2223, § 3), quamvis « poena sit indeterminata » (can. 2217, § 1°, 1°), ac solum limes superior decernitur per can. aientem: *non exclusa, si res ferat*, idest: ad normam can. 2218, § 1 decernenda a) *suspensione* vel « generaliter lata », quae rarissime poterit hac de causa iuste decerni, « vel ab officio (forsan partialiter) vel a beneficio » (can. 2278, § 2), b) *aut beneficii* in can. 1409 definiti *vel officii ecclesiastici,* tum stricto, tum lato sensu accepti ad normam can. 145, *privatione,* quae infligenda esset servatis ss. canonibus de modo procedendi: et hae sunt poenae clericorum propriae, propter-quod sequitur: c) *vel, si de laicis agatur*, qui « possunt esse religiosi », imo et exempti. *excommunicatione,* quae sicuti et suspensio supradicta « infligi possunt etiam per modum praecepti extra iudicium » ad normam can. 1933, § 4.

164. **Ob superstitionem vel sacrilegium in genere** conditus est *can. 2325. Qui*, viri ac mulieres, clerici aut laici, « utrique autem possunt esse religiosi » (can. 107), a) *superstitionem exercuerit,* quae proprie « est vitium religioni oppositum secundum excessum, non quia plus exhibeat in cultum divinum quam vera

religio, sed quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet » [1], cuius diversas species D. Thomas cum S. Augustino assignat [2], *vel* b) *sacrilegium* quodcumque, personale, locale, reale, sed proprie dictum *perpetraverit*, idest: cum delicti elementis violaverit seu indigne tractaverit rem, locumve aut personam sacram per aliquam irreverentiam. « Sacrum vero dicitur aliquid ex eo quod ad divinum cultum ordinatur » [3], et in eam qualitatem est dirigenda facto irreverentia, ut sacrilegium sit verum. Alteruter igitur delinquens, ut supra, *pro gravitate culpae* requisita *ab Ordinario puniatur*, quae clausula in praec. can. fuit declarata.

Porro poena haec est « indeterminata » (can. 2217, § 1, 1°), quapropter additur: *salvis poenis* equidem « determinatis » et *iure* non quolibet veteri, sed Codicis *statutis*, quia, etsi sufficeret ut illarum in Codice fiat mentio, iuxta can. 6, 5°, non est putandum per huiusmodi verba sufficienter fieri, cum sit contra Codicis scopum, nam multae sunt in iure veteri, et econtra statutas esse nonnullas in Codice patet ex verbis *contra aliquos actus superstitiosos* v. gr. in can. 2320, *vel sacrilegia* v. gr. in can. 2343.

165. **Delicta ob falsas reliquias** punit de novo *can. 2326*, sublata ob silentium Codicis excommunicatione latae sententiae, quam Pius IX in const. « Aplcae. Sedis » Romano Pontifici reservavit, et statuta fuit propter extractionem reliquiarum ex sacris Catacumbis Urbis Romae. *Qui*, ut in praec. can., *falsas reliquias*, eo quod tales fingit eas, seu a) *conficit, aut scienter*, conscius nempe de falsitate, b) *vendit* pretio vel commutatione, c) *distribuit* gratis, *vel* d) *publicae* tantum *fidelium venerationi exponit* ubilibet, non vero si eas solum quibusdam ostendit, *ipso facto* quolibet sub quatuor litteris *excommunicationem Ordinario* ad normam can. 198, § 1 *reservatam contrahit*.

166. **Circa delictum quaestus ex indulgentiis** commentabimur *can. 2327*. *Quaestum facientes*, scilicet: temporalem utilitatem pecuniae aliarumque rerum recipientes in favorem sui, suorumque, tum familiae tum instituti religiosi, *et indulgentiis*, sive concedendis, sive publicandis tantum, sive communicandis; quin per hunc canonem reprobetur « communis Ecclesiae consuetudo, quae

[1] D. Th. II-II, q. XCII, a. 1, c — [2] II-II, quaest. XCII, a. 2. — [3] II-II, q. XCIX, a. 1, c.

pro eleemosynis faciendis indulgentias facit. — Temporalia enim ad spiritualia ordinantur, quia propter spiritualia debemus uti temporalibus. Et ideo pro temporalibus simpliciter non potest fieri (seu concedi) indulgentia, sed pro temporalibus ordinatis ad spiritualia; sicut est repressio inimicorum Ecclesiae, qui pacem Ecclesiae perturbant; vel sicut constructio Ecclesiarum, et aliarum eleemosynarum largitio. Et per hoc patet quod non sit ibi simonia, quia non datur spirituale pro temporali, sed pro spirituali ». Ita D. Thomas [1]. Igitur praedicti per canonem *plectuntur ipso facto* quaestus *excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata,* quae inserta fuit undecima in const. « Apostolicae Sedis » Pii IX, sed omissae sunt clausulae: « tum ex aliis gratiis spiritualibus », tum qui excommunicationis censura plectuntur in const. Pii V « Quam plenum » 2 Ian. 1569, videlicet: « Episcopis inferiores », propterea Codicis excommunicationem Episcopi quoque non effugiunt.

167. **Contra violatores cadaverum vel sepulcrorum,** quia haec rebus sacris accensentur, insurgit auctoritas Ecclesiae coactiva, sicuti mos eius fuit expressa in veteri iure. *Can. 2328. Qui* Ecclesiae subditur et *cadavera vel sepulcra mortuorum* ibi conditorum a) *ad furtum* tantum ex intentione perficiendum, etiamsi hoc frustretur, quia subditur *vel alium malum finem* quoad intentionem b) *violaverit* de facto, idest: irreverenter pro rei natura tractaverit, v. gr. haec effringendo, illa exhumando clandestine, vel male tractando, a) *interdicto personali,* cuius effectus enumerat can. 2275, *puniatur*, quae poena, quamvis ferendae sententiae, intelligatur de censura ad satisfaciendum reparandumque scandalum, nam uti poena vindicativa deberet interpretari de « interdicto ab ingressu ecclesiae » ad normam can. 2291, 2°, sed praeferenda est prior interpretatio, nam « in dubio praesumuntur censurae » (can. 2255, 2), notandumque est quod « lex utatur verbis praeceptivis » (can. 2223, § 3), b) *sit ipso facto infamis* cum effectibus iuridicis, quos refert can. 2294, § 1, *et clericus,* « divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipatus » (can. 108, § 1), *praeterea* idest c) *deponatur* equidem per iudicialem sententiam cum effectibus ex can. 2303, si clericus fuerit in sacris, nam clericus minor facilius in statum laicalem reduceretur.

[1] Suppl. q. 26 a. 3 sed contra et corp.

168. **Adversus alios locorum sacrorum violatores** continet legum sanctionem *can. 2329*. Primo *ecclesiae* intellectae ad normam can. 1161, *vel* secundo *coemeterii* « quod, secundum ritus in probatis liturgicis libris traditos, sit benedictum » (can. 1205, § 1), etenim « leges, quae poenam statuunt.... strictae subsunt interpretationi » (can. 19), *violatores,* videlicet per singulos actus *de quibus in can. 1172* extat enumeratio, et quando iisdem « ecclesia violatur », atque in can. *1207* idem praescriptum « coemeteriis applicatur » a) *interdicto* taxative *ab ingressu ecclesiae,* quibus verbis confirmatur interpretatio, quam in can. praec. dedimus verbis « interdicto personali », b) *aliisque congruis poenis* medicinalibus aut vindicativis *ab Ordinario* secundum §^m^ 1^m^ can^s^. 198 *pro gravitate delicti,* quae se refert ad aliarum poenarum inflictionem, quia sunt indeterminatae, *puniatur* ad normam §^i^ 3^i^ can.^s^ 2223.

TITULUS XIII.

De delictis contra auctoritates, personas et res ecclesiasticas.

CAN. 2330. - Quod attinet ad poenas statutas in delicta quae in eligendo Summo Pontifice committi possunt, unice standum const. Pii X *Vacante Sede Apostolica,* 25 Dec. 1904.

CAN. 2331. - § 1. Qui Romano Pontifici vel proprio Ordinario aliquid legitime praecipienti vel prohibenti pertinaciter non obtemperant, congruis poenis, censuris non exclusis, pro gravitate culpae puniantur.

§ 2. Conspirantes vero contra auctoritatem Romani Pontificis eiusve Legati vel proprii Ordinarii aut contra eorum legitima mandata, itemque subditos ad inobedientiam erga ipsos provocantes, censuris aliisque poenis coerceantur; et dignitatibus, beneficiis aliisve muneribus, si sint clerici; voce activa et passiva atque officio, si religiosi, priventur.

CAN. 2332. - Omnes et singuli cuiuscunque status, gradus seu conditionis etiam regalis, episcopalis vel cardinalitiae fuerint, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad Universale Concilium appellantes, sunt suspecti de haeresi et ipso facto contrahunt excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam; Universitates vero, Collegia, Capitula aliaeve personae morales, quocunque nomine nuncupentur, interdictum speciali modo Sedi Apostolicae pariter reservatum incurrunt.

CAN. 2333. - Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem Legatis profecta, eorumque promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive eos ad quos pertinent litterae vel acta sive alios laedentes vel perterrefacientes, ipso facto subiaceant excommunicationi Sedi Apostolicae speciali modo reservatae.

CAN. 2334. - Excommunicatione latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservata plectuntur:

1° Qui leges, mandata, vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae edunt;

2° Qui impediunt directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori,

Titulus XIII De delictis[1]

- in eligendo Summo Pontifice commissis — Can. 2330

contra auctoritates —

- praecipientes —
  - quoad inobedientiam — » 2331
  - per appellationem — » 2332
- quoad exercitium —
  - ecclesiasticas —
    - circa litteras vel acta quaelibet — » 2333
    - impediendas — » 2334
  - etiam civiles, nomen dando sectis —
    - machinantibus — » 2335
    - a clericis et religiosis — » 2336
  - impediendum in paroeciis — » 2337
- coercentes —
  - in reservatione ac per censuras — » 2338
  - per sepulturae ecclesiasticae privationem — » 2339
  - perseverando in excommunicatione aut suspensione — » 2340

personas —

- per violationem —
  - privilegii fori — » 2341
  - clausurae regularium et monialium — » 2242
  - privilegii canonis — » 2343
- per iniurias verbales aut in scriptis — » 2344

et res ecclesiasticas —

- ac iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia — » 2345
- actu tales —
  - quomodocumque usurpando eas — » 2346
  - in earum alienatione — » 2347
- ex debito —
  - negligentes legata vel donationes implere — » 2348
  - recusando praestationes legitime debitas — » 2349

[1] Vide canones in pagg. 218, 220.

ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem.

CAN. 2335. - Nomen dantes sectae massonicae aliisve eiusdem generis associationibus quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur, contrahunt ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam.

CAN. 2336. - § 1. Clerici qui delictum commiserunt de quo in can. 2334, 2335, praeter poenas citatis canonibus statutas, poena suspensionis vel privationis ipsius beneficii, officii, dignitatis, pensionis aut muneris, si qua forte in Ecclesia habeant; religiosi autem privatione officii et vocis activae ac passivae aliisque poenis ad normam constitutionum plectantur.

§ 2. Insuper clerici et religiosi nomen dantes sectae massonicae aliisque similibus associationibus denuntiari debent Sacrae Congregationi S. Officii.

CAN. 2337. – § 1. Si parochus, ad impediendum exercitium ecclesiasticae iurisdictionis, ausus fuerit turbas ciere, publicas pro se subscriptiones promovere, populum sermonibus aut scriptis excitare aliaque similia agere, pro gravitate culpae, secundum prudens Ordinarii iudicium, puniatur, non exclusa, si res ferat, suspensione.

§ 2. Eodem modo puniat Ordinarius sacerdotem qui multitudinem quoquo modo excitet ad impediendum ingressum in paroeciam sacerdotis legitime nominati in parochum aut oeconomum.

CAN. 2338. - § 1. Absolvere praesumentes sine debita facultate ab excommunicatione latae sententiae specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservata, incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam.

§ 2. Impendentes quodvis auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto propter quod excommunicatus fuit; itemque clerici scienter et sponte in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes, ipso facto incurrunt in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam.

§ 3. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis interdictis vel admittentes ad celebranda officia divina per censuram vetita clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, interdictum ab ingressu ecclesiae ipso iure contrahunt, donec, arbitrio eius cuius sententiam contempserunt, congruenter satisfecerint.

§ 4. Qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium, sunt ipso facto personaliter interdicti.

CAN. 2339. - Qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae infideles, apostatas a fide, vel haereticos, schismaticos, aliosve sive excommunicatos sive interdictos contra praescriptum can. 1240, § 1, contrahunt excommunicationem latae sententiae nemini reservatam: sponte vero sepulturam eisdem donantes, interdictum ab ingressu ecclesiae Ordinario reservatum.

CAN. 2340. - § 1. Si quis, obdurato animo, per annum insorduerit in censura excommunicationis, est de haeresi suspectus.

§ 2. Si clericus in censura suspensionis per semestre perseveraverit, graviter moneatur; et si, exacto a monitione mense, a contumacia non recesserit, privetur beneficiis aut officiis, si qua in Ecclesia forte habeat.

169. **Inscriptio tituli et huius priorum canonum ordinatio.** — Commentarii locum hunc exigit *Titulus XIII* inscriptus *De delictis,* quorum definitio est: « externa et moraliter imputabilis legis violatio cui addita sit sanctio canonica saltem indeterminata » (can. 2195, § 1), *contra auctoritates,* scilicet: quae violantur in seipsis inobedientia et usurpatione, vel in earum libero exercitio per irreverentiam erga ipsas, apponendo forsitan impedi-

mentum, vel praecise quoad earum coercitivam potestatem, *personas*, sive in vera dignitate constitutae sint, et quibus hoc etiam sub respectu nocumentum infertur, sive carentes iurisdictione et quae ita consideratae diversis modis laeduntur, *res ecclesiasticas,* quod adiectivum etiam praecedentia verba qualificat, sed res accipere oportet non omnes, quae ad ecclesiam pertinent, atque in libro tertio Codicis recensentur multiplices, quia hoc in Titulo solum aptantur res temporales, quae proprium in aliis Lib.[1] V Titulis non obtinent locum. Canones de auctoritatibus ac personis sequenti ordine mutuo disponuntur.

170. Primo delicta puniuntur quae locum habent in Summi Pontificis electione, postea diversae insubordinationes quae directe vel indirecte patrantur etiam per interpositas personas, ne auctoritas ecclesiastica vim suam efficaciter exerceat, coercentur per can. 2331-2337, contra usurpationem iurisdictionis et vilipensionem poenarum ab ea inflictarum insurgunt can. 2338-2340, diversa privilegia muniuntur per canones seq.[8] videlicet: privilegium fori per can. 2341, et quadantenus domicilii nempe: clausura in can. 2342, immunitas personalis defenditur in can. 2343, cui subsequitur can. 2344 contra verbales iniurias fortassis scripto illatas; atque demum quo modo canones posteriores de rebus inter se ordinentur post commentarium praecedentium dicemus.

171. **Delicta in eligendo Summo Pontifice.** — *Can. 2330. Quod attinet ad poenas statutas in delicta quae in eligendo Summo Pontifice,* scilicet: non solum in eodem electionis actu, sed in omnibus his, quae occasione ipsius electionis peragi oportet a Cardinalibus et conclavistis, vel erga ipsos aut electum iam Summum Pontificem, *committi possunt, unice standum est const. Pii X « Vacante Sede Apostolica », 25 Dec. 1904,* ex qua poenas retulimus in can. 160, ubi late actum est de hac ipsa electione, atque opportunitate capta, poenas illas ordinate simul ac breviter recensuimus declaratas in aliquo puncto, quantum est in praesenti Opere sufficiens, cum agatur de re, quae perraro accidit, nec ab omnibus indiscriminatim ediscenda. Adverbio « unice », quod non vane appositum fuisse dicendum est, innuere videtur, quod, etsi aliae constitutiones quae ibidem salvae dicuntur etiam nunc vim habeant, ut asseruimus in can. 160, attamen poenae sint tantum hauriendae ex const. illa, quatenus ibi expressae inveniantur.

172. **Quoad inobedientiam.** — Directam inobedientiam compescit *can. 2331.* § 1. *Qui Romano Pontifici* Summo Pastori *vel proprio Ordinario* ad normam can. 94 pro omnibus fidelibus, et can. 111, 127 pro clericis et can. 488, 8° pro exemptis religionis clericalis, salva limitatione in § 3, can.s 501 expressa, *aliquid legitime* seu iuxta ss. canones pro eius potestate *praecipienti* faciendum *vel prohibenti* omittendum *pertinaciter* hoc est: scientes ac volentes *non obtemperant,* se illius voluntati non conformantes, a) *congruis poenis* i. e. proportionatis inobedientiae, b) *censuris non exclusis,* scilicet: ad has quoque recurrere potest auctoritas, c) *pro gravitate culpae puniantur.* Poena indeterminata sed verbis praeceptivis enuntiata [1].

§ 2. *Conspirantes vero,* scilicet: concurrentes communi consilio aut consequenti facto, I° *contra auctoritatem* spiritualem vel in res Ecclesiae temporales a) *Romani Pontificis* qua talis b) *eiusve Legati* cuiuslibet ad normam Cap. V, Tit. VII, Lib. II, c) *vel proprii Ordinarii*, sicut hic declaratus est in § praec., *aut* II° *contra eorum legitima* iuxta ss. canones *mandata,* III° *itemque subditos* eorum *ad inobedientiam erga ipsos provocantes* consilio, exhortatione, scriptis, etc.; omnes praedicti ac singuli delinquentes a) *censuris aliisve poenis coerceantur; et* insuper b) *dignitatibus, beneficiis aliisve muneribus, si sint clerici,* cum ab his tantum illa fere omnia obtineri queant iuxta can. 118, c) *voce activa et passiva atque officio,* lato sensu propter contextum et ex natura delicti, *si religiosi,* respective hi et illi *priventur.* Poena est partim determinata partim indeterminata praeceptisque verbis expressa.

173. **Quoad appellationem.** — Indirecte opponitur debitae obedientiae delictum quod subinfertur, magnam inordinationem continens, utpote quod impetat fundamentum ipsum auctoritatis, prout a Iesu Christo iactum est in sua Ecclesia, et cum ex historiâ constet delictum illud etiam fuisse per morales patratum personas, has quoque respicit *can. 2332. Omnes et singuli cuiuscumque* a) *status,* laici, religiosi, clericalis, b) *seu conditionis* socialis, civilis aut ecclesiasticae, *etiam regalis, episcopalis vel cardinalitiae fuerint,* haec ultima necessario exprimenda ad normam can. 2227, § 2, *a legibus* proprie dictis, *decretis,* sive ex forma, sive temporalibus,

[1] Can. 2217, § 1, 1° et can. 2223, § 3.

mandatis iniunctis forsan alicui vel quibusdam, dummodo haec singula sint ut auctoris *Romani Pontificis pro tempore existentis*, quamvis mediante aliquo Romanae Curiae officio promanent, *ad Universale Concilium,* sive praesens tunc, sive futurum, atque in hoc est mutatio respectu similium poenarum const.[s] « Apostolicae Sedis », *appellantes,* scilicet: veluti ad superiorem provocantes, quod repugnat notioni Primatus S. Petri, quapropter iuste dicitur: — *sunt suspecti de haeresi,* de quibus adest can. 2315, *et ipso facto* appellationis etsi non prosequutae *contrahunt excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam;* hucusque circa personas physicas, morales autem respicit sequens pars: — a) *Universitates vero* etiam independentes ab Ecclesia. b) *Collegia* quaecumque, ubi nempe doceatur, c) *Capitula* cathedralia vel collegiata, d) *aliaeve personae morales* collegiales v. gr. conventus, *quocumque nomine nuncupentur, interdictum* « in communitatem uti talem » (can. 2274, § 3)[1]. *speciali modo Sedi Apostolicae pariter reservatum incurrunt.*

Animadvertatur quod in const. « Apostolicae Sedis » excommunicatio eadem ferebatur etiam in eos « quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit ». Nunc igitur constat eos tantum huiusmodi conrei illius appellationis percelli canonis sanctione praeter « mandantem, qui ad delicti consummationem inducunt vel in hanc quoquo modo concurrunt,... si delictum sine eorum opera commissum non fuerit (can. 2209, §§ 1-3). Ita ex applicatione canonis 2231 ad hunc can. 2332.

174. **Pro Litteris et actis Sedis Aplcae. et Legatorum.** — Omnino concordat cum eadem inflicta excommunicatione VIII const[s]. « Apostolicae Sedis » sequens *can. 2333. Recurrentes ad laicam potestatem* quamcumque, etiamsi haec renuat recursum admittere, cum hoc scopo: *ad impediendas litteras,* quae est generalis actorum forma, *vel acta quaelibet* sub quacumque demum forma edantur illa v. gr. rescripti, — *a Sede Apostolica* intelligenda ad normam generalem can. 7 propter sequens responsum quoque S. C. S. Officii[2]: « Utrum per acta a Sede Apostolica profecta designentur tantum acta quae immediate a S. Pontifice proficiscuntur, an etiam quae mediate a SS. RR. Congregationibus proveniunt. —

[1] Can. 2274... § 3. Si alterum, communitas seu collegium nequit ius ullum spirituale exercere quod ei competat. — [2] 13 Ian. 1892.

Ad 2. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam »; *vel ab eiusdem Legatis* quibuscumque etiam Nuntiis, Internuntiis, Delegatis, *profecta*, secus, « recurrentes » ne proficiscantur ea, et ecce primi delinquentes, quibus accedere possunt: II° *eorumve* actorum supradictorum a) *promulgationem* proprie dictam, quamvis hanc solam magis minusve necessariam, b) *vel exsequutionem* quandocumque hac indigeant acta illa, non usum ipsum concessionis, *directe* alterutram expresse respiciendo *vel indirecte* ita, ut ipsas demum attingant, *prohibentes* siquidem auctoritatis actu; atque ulterius protenditur actorum protectio in canonis tertia parte: III° *aut* a) *eorum* supradictorum actorum *causa sive* b) *eos ad quos pertinent* vel pro quibus editae fuerunt *litterae vel acta* eadem, *sive alios* non habentes partem subiectivam in eis c) *laedentes* in personis vel in rebus, verbis aut factis, d) *vel perterrefacientes*, gravem metum inferendo illis, — *ipso facto subiaceant excommunicationi Sedi Apostolicae speciali modo reservatae.*

175. **Delicta contra libertatem, iura Ecclesiae et iurisdictionis exercitium.** — Excommunicationes const.[8] « Apostolicae Sedis » VI et VII refert *can. 2334. Excommunicatione latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservata plectuntur:*

1° Qui a) *leges* in civili societate condunt efficaciter, v. gr. senatores, deputati, princeps aut ministri subscribentes, uno verbo qui ad illas formaliter sumptas deinde promulgandas efficaciter concurrunt, b) *mandata,* etiam in casibus v. gr. quoad haec iudices, municipia, c) *vel decreta*, quae plures personas respiciunt, v. gr. quae a Praefectis seu Gubernatoribus, vel a ministris conduntur in legum exsequutionem, a) *contra libertatem,* hanc nempe coarctantes vel auferentes in aliqua materia, b) *aut iura Ecclesiae* quaecumque, sive docendi, sive ministrandi, sive leges ferendi aut iudicandi, puniendi, bona acquirendi, possidendi, alienandi, etc. *edunt;* scilicet: illam censuram latae sententiae incurrunt praedicti delinquentes, quando leges, etc. complete sunt tales per promulgationem vel similem actum ipsoque facto consequerentur vim, si iustae forent.

2° Qui a) *impediunt directe vel indirecte* attingentes moraliter ipsum *exercitium iurisdictionis ecclesiasticae*, scilicet: potestatis « regiminis quae ex divina institutione est in Ecclesia » (can. 196) *sive interni sive externi fori,* prouti manet explicata in can. cit.; b) sub conditione sequenti: *ad hoc* consequendum ac effectu illo

sequuto [1] *recurrentes ad quamlibet* politicam, gubernativam, iudicialem, politiae, etc. *laicalem* scilicet: societatis civilis *potestatem* publicam.

176. **Adscriptio sectis machinantibus.** — Delicta hucusque considerata et graviora cum sociis aliis committuntur a sectis memoratis in const. « Apostolicae Sedis » cum excom. quam refert, exclusis quibusdam personis, *can. 2335. Nomen dantes* veluti socii, quamvis partem activam non teneant, vel fortassis non frequentent conventus, *sectae massonicae,* quae ut typica atque celebrior malâ famâ nominatur, *aliisve eiusdem generis,* quod discerni potest ob damnationem Ecclesiae, *associationibus,* quae sunt v. gr. Carbonaria, Socii singulares et Filii temperantiae (S. O. 21 Aug. 1850), Feniani (S. O. 12 Ian. 1870), et aliae, in quibus socii se obligant iureiurando ad obtemperandum in omni re quae a coetus ducibus iussa fuerit, vel ineunt foedus secreti non violandi, etiamsi legitime potestas socialis competens interrogaret; sed praesertim dignoscitur propter omnium harum scopum pravum a canone expressum, nempe: *quae* a) *contra Ecclesiam* b) *vel legitimas civiles potestates machinantur* palam vel secreto, ut damnum aut Ecclesiae inferant aut eis quoad potestatem vel ut personis potestate praeditis; illi ergo *contrahunt ipso facto* voluntariae adscriptionis *excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam.*

177. **Clerici ac religiosi ut supra delinquentes.** — Clericos delinquentes propter antedictos canones coercet specialiter sequens *can. 2336.* § 1. *Clerici* « divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipati » (can. 108, § 1) *qui delictum commiserunt de quo in* singulis *can. 2334, 2335* immediate praecedentibus, a) *praeter poenas citatis canonibus statutas,* I° his cumulanda *poena* disiunctive b) *suspensionis vel* c) *privationis ipsius beneficii, officii, dignitatis,* quae infra tit. XVIII declarabuntur, *pensionis,* scilicet: perceptionis redituum ecclesiasticorum forsitan ex dote alicuius beneficii, propter onus spirituale vel studii. *aut muneris* nempe: officii lato sensu (can. 145, § 1), *si qua forte in Ecclesia habeant,* quo tantum in casu poena haec infligetur: II° *religiosi autem* propter delictum et praeter poenas de quibus in canonis initio, cumulative *privatione officii* lato sensu propter con-

[1] Can. 2228. Poena lege statuta non incurritur, nisi delictum fuerit in suo genere perfectum secundum proprietatem verborum legis.

textum relate ad clericos ubi mentio fit quoque muneris (can. 145, § 2) *et vocis activae ac passivae aliisque poenis*, de his additur: *ad normam constitutionum plectantur*. Hinc poenae supra editae in hoc canone sunt ferendae sententiae, verbis tamen praeceptivis enunciatae. (Can. 2217, § 1, 2°, 2223, § 3°).

Sed notandus pro casu § 2. *Insuper* adhuc a) *clerici et* b) *religiosi nomen dantes sectae massonicae aliisque similibus associationibus*, scilicet: delictum patrantes punitum in can. 2335, *denuntiari debent Sacrae Congregationi S. Officii*. Ergo quoad laicos non adest iuris ecclesiastici praescriptum, ut denuntientur, attamen debent vi huius can.[s] denuntiare.

178. **Iurisdictionis exercitium impeditum in paroeciis.** — Sicut praecedens canon speciales personas respexit agentes quod in can. 2334, 2° plectitur excommunicatione, ita peculiare illius canonis ac numeri delictum coercet *can. 2337*. § 1. *Si* a) *parochus* ad normam can. 451, §§ 1, 2, cum hoc fine: b) *ad impediendum exercitium ecclesiasticae iurisdictionis,* fori externi quoad praxim, c) *ausus fuerit,* quae verba « plenam cognitionem ac deliberationem exigunt » (can. 2229, § 2), d) unumquodque sequentium vel plura, videlicet: a) *turbas ciere* seu commovere, b) *publicas pro se subscriptiones*, nominum elenchum, *promovere,* c) *populum sermonibus* h. e. verbis *aut scriptis excitare* in sui favorem intenti d) *aliaque similia agere;* — huiusmodi delinquens *pro gravitate culpae*, *secundum prudens Ordinarii iudicium* quoad illam perpendendam et circa poenam infligendam, *puniatur,* quod verbum continet praeceptum, et latitudo poenarum sic exprimitur: *non exclusa*, *si res ferat*, i. e. si delictum exigat, *suspensione;* atque poena canonis est indeterminata [1]

§ 2. *Eodem modo* nunc explicato *puniat Ordinarius* iuxta can. 198, § 1, *sacerdotem* cleri saecularis vel religiosi *qui multitudinem quoquo modo* scriptis, verbis, etc. *excitet ad impediendum ingressum in paroeciam sacerdotis legitime nominati in parochum aut oeconomum,* scilicet: provisum de alterutro officio, non si quaestio sit de alio quocumque sive officio sive impedimento, vel si fiat excitatio ad impediendam praefatam nominationem; quae actiones essent mensurandae canone 2336, si fortassis sub eodem comprehenderentur.

[1] Can. 2217, § 1, 1° et 2223, § 3.

179. **Delicta respectu ad poenas inflictas** iure vel ab homine coercet solus *can. 2338*, in quo adunantur censurae per Const. Pii IX « Apostolicae Sedis » [1] vigentes. Absque immutatione retinetur, quam refert § *1. Absolvere* a) de facto, quamvis inefficaciter, sive in foro externo, sive in foro interno, imo et sacramentali, *praesumentes*, quod verbum « plenam cognitionem ac deliberationem exigit, unde quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis eximit » ab hac poena (can. 2229, § 2), econtra « ignorantia affectata sive legis (idest: reservationis de qua in hoc canone agitur) sive solius poenae (infra statutae) non excusat ab eadem poena » (can. 2229, § 1), b) *sine debita facultate*, nempe: vel a iure can^s. 882 « in periculo mortis » et can.^{s}. 2254 « in casibus urgentioribus », vel ab homine et tunc « sive speciali, sive specialissima » ad normam can. 2253, 3°, et quae sit posterior data const.^{s} cit. Pii IX, quia revocavit « insuper earumdem censurarum respectu quaecumque indulta concessa sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cuiuscumque Ordinis, etc. etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis ». Absolutio vero a delinquente sit data c) *ab excommunicatione* taxative *latae sententiae*, non si agatur de excommunicatione ab homine, *specialissimo vel speciali modo*, nempe his verbis *Sedi Apostolicae reservata*, imo et, si « confessarius, ignorans reservationem, poenitentem a censura ac peccato absolvat, absolutio censurae valet, dummodo ne sit censura... specialissimo modo... reservata ». — Sanctio vero contra praefatos delinquentes est, quod *incurrunt ipso facto* absolutionis supra declaratae *in excommunicationem Sedi Apostolicae* pariter, sed paulo minus, scilicet *simpliciter reservatam*.

Ante Codicem vigebat sequens rescriptum generale S. C. S. Officii [2]. « In Const. s. m. Pii IX quae incipit *Apostolicae Sedis*, excommunicatione Rom. Pont.^{i} simpliciter reservata innodantur " communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem ". Quaeritur utrum his verbis comprehendantur etiam excommunicati a Romanis Congregationibus, saltem quando eorum decretis accedit approbatio Rom. Pontificis. — R. Negative ». Post Codicem animadvertantur verba,

[1] 12 Oct. 1869. — [2] 16 Iun. 1897. Collectanea S. C. de P. F. n. 1972.

quae continet § *2*, diversa ab illis iuris praecedentis, « qua discrepat ergo, est ex sua ipsius sententia diiudicandus (can. 6, 3°). *Impendentes* a) *quodvis auxilium* qua physicum propria persona, pecunia, etc. *vel favorem* morali modo intelligendum, v. gr. commendatione, b) *excommunicato vitando* vel iure can^{s}. 2343, § 1, n. 1, vel ab homine, scilicet: « si fuerit nominatim a Sede Apostolica (ad normam can. 7 v. gr. a Congr. S. Officii) excommunicatus, excommunicatio fuerit publice denuntiata et in decreto vel sententia expresse dicatur ipsum vitari debere », sed auxilium vel favor sit c) *in delicto* eodem patrando *propter quod* vi can. 2343, § 1, n. 1 *excommunicatus fuit*, vel si vitandus ab homine, in declarato delicto prosequendo vel iterando. Et haec pars de quibuslibet intelligatur personis.

De aliis delinquentibus pari poena infra plectendis prosequitur §^{us}, dum subdit: *itemque* a) *clerici* « propter primam saltem tonsuram » (can. 108, § 1) b) *scienter* quoad censuram excommunicati vitandi, unde haec paragraphus urget, et quoad poenam hinc incurrendam ab illis, *et* c) *sponte* ita ut nulla vi vel metu gravi ducantur ad sequens delictum, d) *in divinis* officiis, quae intelliguntur « functiones potestatis ordinis, quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur et a solis clericis fieri queunt » (can. 2256, 1°), e) *cum eodem* videlicet « excommunicato vitando » supra declarato f) *communicantes* ita ut hic partem activam in illis habeat, *et* a fortiori *ipsum* excommunicatum praedictum *in divinis officiis* iam declaratis *recipientes*, quia Superiores vel aliquam auctoritatem in hoc habentes; atque idipsum, quin communicarent cum eo, sufficeret ad hoc quod cum clericis prius declaratis poena mulctentur.

Omnes in hoc §° recensiti, etiamsi fuerint Episcopi, *ipso facto* unoquoque ex duobus prioribus quoad laicos et ex duobus sequentibus quoad clericos, hi atque isti singuli *incurrunt in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam*. Animadversio initio §^{1} posita extendatur oportet ad secundam eiusdem partem, quae refert excommunicationem const. « Apostolicae Sedis » sub n. XVII latam iisdem fere verbis ac in Codice.

§ *3* continet etiam duas partes, quarum prima exprimitur ipsis verbis const. saepius citatae (§ VI, n. 2): *Scienter* ob cognitionem interdicti violandi, atque actus vetiti per hunc canonem, sequentisque

poenae, a) alterutri, nempe, *celebrantes* ob exercitium potestatis ordinis *vel celebrari* per alios clericos *facientes* iussu, minis, seditione, b) *divina* supple « officia » ex contextu et in §° praec. declarata, c) *in locis* « ab Ordinario, vel delegato iudice, vel a iure » (cit. const.) *interdictis;* altera vero pars non parum differt ab eadem poena per illam const.ᵐ inflicta, unde « ex sua ipsius §ⁱ sententia est diiudicandum » (can. 6, 3°) praescriptum sequens: *vel admittentes,* ut rectores ecclesiarum, hisve similes fortassis Superiores a) *ad celebranda officia divina* non quaelibet; sed b) *per censuram* ceu poenam medicinalem *vetita* pro eiusdem diversitate, proindeque c) *clericos,* quia de divinis officiis agitur, sed disiunctive *excommunicatos* transgrediendo aliquem ex can. 2259-2261, *interdictos* personaliter, vel ab ingressu ecclesiae, ac propterea cum transgressione can. 2275, 2277, *suspensos* generaliter vel « ab officio simpliciter » vel « 2° a divinis » et ab aliis postea enumeratis sub §° 2ª, canˢ. 2279, d) *post sententiam* tamen *declaratoriam vel condemnatoriam* illis in locis explicatam, et quae ampliat prohibitiones ex censura provenientes. Hucusque declarati manent delinquentes. Ac bene notandum est, quod verbum « scienter » initio §ⁱ positum, quemadmodum « celebrantes vel celebrari facientes » afficit, sic quoque ob contextum subaudiatur oportet quoad « admittentes ».

Singuli vero in §° recensiti qua delinquentes *interdictum ab ingressu ecclesiae* (can. 2277) *ipso iure,* quod idem est ac « ipso facto commissi delicti » (can. 2217, § 1, n. 2° et § 2) *contrahunt,* ita ut statim illud servare debeant *donec, arbitrio eius cuius sententiam* supra dictam saltem « declaratoriam » *contempserunt,* ac proinde absque ignorantia praedictae sententiae ita deliquerunt, quod si illa fuerit affectata non excusantur ob §ᵐ 1ᵐ, can.ˢ 2229. *congruenter* iudicio illius *satisfecerint.* Tunc enim absolvi poterunt iuxta censurae naturam in can. 2248, § 1 explicitam, postrema enim clausula est valde diversa ab altera « ad beneplacitum Superioris », quae constituit poenam vindicativam « interdictum ab ingressu ecclesiae » sic statutum (can. 2291, 2°).

Statuit congruenter iuri praecedenti, sed Codici aptans praescriptum § *4. Qui causam dederunt,* scilicet per delictum, cuius rei fuerunt ad normam can. 2209, §§ 1-3, a) *interdictio locali,* sive « fuerit generale » (can. 2271), sive « locali particulari » (can. 2272), *aut* b) *interdicto in communitatem seu collegium,* « uti talem » ad

normam can. 2274, § 3, vel nihil addendo, *sunt* praefati rei *ipso facto* fulminati interdicti ac vi huius canonis *personaliter interdicti* ad normam can. 2275 atque censura propter contumaciam in satisfactionis vel reparationis scandali defectu, sive illi cognoscantur, sive ignoti fuerint.

180. Sanctio prohibitionis sepulturae ecclesiasticae. — « Ex parte tantum cum veteri iure congruit » (can. 6, 3°), seu cum const.ᵉ Pii IX citata quoad excommunicationem primam nemini reservatam, *can. 2339.* Sic illa concepta fuerat: « Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae supulturae haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos ». Praescriptum vero canonis est: *Qui ausi fuerint,* unde « quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis eximit a poena » sequenti, secus ac in iure veteri eveniebat, a) *mandare* auctoritative, v. gr. Syndicus civitatis, Praefectus Provinciae, etc. vel habens potestatem in coemeterium, *seu* b) *cogere* vi vel metu gravi, etsi personae privatae, *tradi ecclesiasticae sepulturae,* quod proprie dicitur quoad inhumandum vel condendum cadaver « in loco sacro » (can. 1242), etsi violato seu interdicto, a) *infideles,* nempe: « qui sine baptismo decesserint », exclusis catechumenis « qui nulla sua culpa sine baptismo moriantur » (can. 1239), b) notorios *apostatas a* christiana *fide,* c) *vel haereticos,* d) *schismaticos*, videlicet: « sectae haereticae vel schismaticae... notorie addictos », et additur *aliosve*, quia etiam illi sunt excommunicati, ac sequitur e) *sive excommunicatos* f) *sive interdictos* equidem personaliter ac « post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam », et haec multiplex interpretatio est secundum clausulam: *contra praescriptum can. 1240*, § *1*, quae insuper continet limitationem singulorum ex declaratis, « nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa ». — Sanctio vero est quod sic delinquentes « contra cit. praescriptum » *contrahunt excommunicationem latae sententiae nemini reservatam*, nempe: « a qua potest absolvere, in foro sacramentali quilibet confessarius; extra forum sacramentale quicumque iurisdictionem in foro externo habeat in reum » (can. 2253, 1°).

Alii quoque minus delinquentes in idipsum puniuntur, dum prosequitur canon: *sponte vero* idest: non praesupposito mandato vel coactione *sepulturam* « in loco sacro » ut supra, *eisdem* antea recensitis cum declarationibus *donantes*, quatenus ab his principa-

liter hoc dependens, v. gr. coemeterii rector, seu actualis moderator, « contrahunt » *interdictum ab ingressu ecclesiae* qua censuram, nam est *Ordinario* ad normam can. 2253, 3° *reservatum*. Haec pars quoque non parum immutavit ius contentum in const. « Apostolicae Sedis » sub § VI, n. 2. Nec dubitandum est quod laicus, qui custodiam habet ecclesiae vel coemeterii adhuc benedicti, et admittens ad sepulturam, uti declaratum manet, hanc censuram incurrat.

181. **De eo, qui obduratus manet in censura** continet praescripta pro censurae diversitate *can. 2340*. In duos paragraphos est distinctus quoad excommunicationem ac suspensionem, unde insordescentia causâ interdicti silentio premitur. § *1*. « Verbum hoc *si quis* tam masculos quam feminas complectitur » [1]. imo in hoc loco et clericos qualibet fulgentes dignitate, nam « de lege poenali » (can. 2227, § 2) proprie non agitur. Conditiones autem praescripti sunt quod a) *obdurato animo*, qui nempe a contumacia non discedit, b) *per annum* seu « spatium 365 dierum » (can. 32, § 2) c) *insorduerit in sententia excommunicationis*, idest: cognoscens se excommunicatum esse non deferat scopo huius medicinalis poenae, nec absolutionem ab ea petat, quando hoc posset, talis ergo *est de haeresi suspectus*, qua erret circa necessitatem communionis ecclesiasticae ad salutem consequendam, ita ut « etiam contra eum, tamquam de haeresi suspectum, procedi possit » [2]. vel ab Ordinario loci et ob can.^s 501, §^m 2 prohibitionem quoad religiosos quoque exemptos ad applicandas poenas can.^s 2315, vel a Tribunali Congr.^s S. Officii quoad omnes eidem subditos.

§ *2*. *Si* a) *clericus* solummodo, quia b) *in censura* proprie dicta, non iam in poena huiuscemodi vindicativa, et ei propria, nempe: c) *suspensionis* cuiuslibet inter distinctas sub §° 2^a tum can^s. 2278, tum can^s. 2279, d) *per semestre* « continuum » atque « de momento ad momentum, ut in calendario supputetur » (can. 34, § 2) *perseveraverit*, proinde conscius ipsius absolutionem non petierit, *graviter moneatur* ab eius Ordinario ut a contumacia discedat, *et si*, a) *exacto a monitione mense*, ita ut « hic sumatur prout est in calendario, ac primus dies (idest, monitionis peractae) ne computatur et tempus finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri » (can. 34, § 3, 1° et 3°).

[1] L. 1, tit. XVII, Lib. L, D. — [2] Conc. Trid. cap. 3, sess. XXV, De ref.

b) *a contumacia non recesserit,* propter quod « absolutio denegari potest » (can. 2248, § 2), iubet canon ut *privetur,* servato iuris ordine, *beneficiis aut officiis* stricto sensu ad normam can. 1409 et 145, *si qua* alterutra *in Ecclesia,* qua societate, *forte habeat.* Si vero unum beneficium possideat et alterum habeat officium, postquam uno fuit privatus, facta iterum monitione, si adhuc resipiscentiam distulerit per semestre, ut supra, debet quoque altero officio aut beneficio privari. E converso dicendum est unamquamque privationis poenam esse extendendam ad omnia « beneficia aut officia », quae talis clericus habeat. Ita enim ex iure antiquo, nam Coelestinus III [1] sic respondet de talibus clericis: « Unde Baran. archiepiscopo dedimus in mandatis, ut eos pro tanta pertinacia et contemptu Apostolico, beneficiis, quae habent (nempe: « illa, quae habuerunt beneficia, vel quae postmodum sunt adepti, nam quidam ex ipsis suspensis aliud beneficium ecclesiasticum sunt adepti ») non differat spoliare ».

Can. 2341. - Si quis contra praescriptum can. 120 ausus fuerit ad iudicem laicalem trahere aliquem ex S. R. E. Cardinalibus vel Legatis Sedis Apostolicae, vel Officialibus maioribus Romanae Curiae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordinarium proprium, contrahit ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam; si alium Episcopum etiam mere titularem, aut Abbatem vel Praelatum *nullius,* vel aliquem ex supremis religionum iuris pontificii Superioribus, excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam; demum si, non obtenta ab Ordinario loci licentia, aliam personam privilegio fori fruentem, clericus quidem incurrit ipso facto in suspensionem ab officio reservatam Ordinario, laicus autem congruis poenis pro gravitate culpae a proprio Ordinario puniatur.

Can. 2342. – Plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata :

1° Clausuram monialium violantes, cuiuscunque generis aut conditionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes; quod si clerici sint, praeterea suspendantur per tempus pro gravitate culpae ab Ordinario definiendum;

2° Mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores aliique, quicunque ii sint, eas cuiuscunque aetatis introducentes vel admittentes; et praeterea religiosi introducentes vel admittentes priventur officio, si quod habeant, et voce activa ac passiva;

3° Moniales e clausura illegitime exeuntes contra praescriptum can. 601.

Can. 2343. - § 1. Qui violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerit:

1° Excommunicationem contrahit latae sententiae Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatam; et est ipso facto vitandus;

2° Est ipso iure infamis;

3° Clericus est degradandus.

§ 2. Qui in personam S. R. E. Cardinalis vel Legati Romani Pontificis:

1° In excommunicationem incurrit latae sententiae Sedi Apostolicae speciali modo reservatam;

2° Est ipso iure infamis;

3° Privetur beneficiis, officiis, di-

[1] Cap. 8 « De aetate et qualitate et ordine praeficiendorum » (I, 14) X.

gnitatibus, pensionibus et quolibet munere, si quod in Ecclesia habeat.

§ 3. Qui in personam Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi etiam titularis tantum, incurrit in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae speciali modo reservatam.

§ 4. Qui in personam aliorum clericorum vel utriusque sexus religiosorum, subiaceat ipso facto excommunicationi Ordinario proprio reservatae, qui praeterea aliis poenis, si res ferat, pro suo prudenti arbitrio eum puniat.

Can. 2344. - Qui Romanum Pontificem, S. R. E. Cardinalem, Legatum Romani Pontificis, Sacras Congregationes Romanas, Tribunalia Sedis Apostolicae eorumque Officiales maiores, proprium Ordinarium publicis ephemeridibus, concionibus, libellis sive directe sive indirecte, iniuriis affecerit, aut simultates vel odia contra eorundem acta, decreta, decisiones, sententias excitaverit, ab Ordinario non solum ad instantiam partis, sed etiam ex officio adigatur, per censuras quoque, ad satisfactionem praestandam, aliisque congruis poenis vel poenitentiis, pro gravitate culpae et scandali reparatione, puniatur.

182. **Contra fori privilegium.** — Ad tuendum fori privilegium, de quo in can. 120, tendit sequens *can. 2341. Si quis,* nulla distinctione considerata etiam Episcopalis dignitatis, *contra praescriptum can. 120* scilicet: I° « sine venia Sedis Apostolicae » quoad fere omnes *ausus fuerit,* hinc « quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus (excepta ignorantia affectata) sive ex parte voluntatis (can. 2229, § 2) eximit » a poena sequenti ob delictum: *ad iudicem laicum* quemcumque civilis societatis *trahere* veluti legum violentia *aliquem* a) *ex S. R. E. Cardinalibus* b) *vel Legatis Sedis Apostolicae,* qui distinguuntur in cap. V, tit. VII, Lib. I, c) *vel officialibus maioribus,* scilicet: praeter S. R. R. Auditores, in Congregationibus Adsessores, Secretarii, Subsecretarii, et alii cognoscendi ex « Annuario Pontificio », *Romanae Curiae,* sed his qua talibus, nempe: solummodo *ob negotia ad eorum munus pertinentia,* d) *vel Ordinarium proprium* sive loci, ad normam can. 94, 111, vel ubi domus religiosa sita est, sive pro alumnis religionis clericalis exemptae eorum Superiores maiores (can. 198), delinquens ut praefertur *contrahit ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam.* — Prosequitur canon de eodem ac supra dictum est delinquente, sed II° sine diversa licentia (can. 120, § 2) Sedi Aplcae. vel Ordinarii ob diversas personas quae trahuntur, *si alium,* praeter proprium, a) *Episcopum* residentialem (etsi nondum consecratum) ratione habitae ac possessae iurisdictionis ordinariae, vel ratione characteris quia subditur: *etiam mere titularem,* b) *aut Abbatem vel Praelatum nullius,* quos definit can. 319, c) *vel aliquem,* qui non sit proprius Ordinarius, nam de hoc statuitur prius, *ex supremis,* qui in ea religione Superiorem non habent,

religionum etiam laicalium, et non exemptarum, sed *iuris pontificii* tantum *Superioribus*, *excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam* supple: contrahit. — Atque *demum si*, III° *non obtenta ab Ordinario loci* « in quo causa peragitur » (can. 120, § 2) *licentia, aliam* a) *personam* praeter praedictas in duabus praecedentibus canonis partibus b) *privilegio fori fruentem* iuxta commentarium in explicatione canonum 120, 614, 680, punitur sic delinquens ut supra, sub distinctione: a) *clericus quidem incurrit ipso facto in suspensionem ab officio*, cuius effectus recenset can. 2279, equidem intellecto sensu lato (can. 145), ne clericus quandoque impunitus remaneat, *reservatam Ordinario* (can. 2253, 3°), b) *laicus autem congruis poenis pro gravitate culpae a proprio Ordinario* ad normam can. 198, § 1 *puniatur.* Poena indeterminata est ac enunciata praeceptivis verbis (can. 2217, § 1, 1°, 2223 § 3).

Animadvertere oportet diligenter excommunicationis latae sententiae reservationem speciali modo vel simpliciter non dimetiendam esse cum defectu illius veniae ratione privilegii fori necessario obtinendae, videlicet: a Sede Apostolica vel ab Ordinario loci in quo causa peragitur. Huius enim venia sufficeret in iuris rigore ad trahendum proprium Provincialem religionis clericalis exemptae, eiusque tamen defectus veniae secumferret excommunicationem speciali modo reservatam, dum econtra simpliciter reservata erit excommunicatio incursa ob veniam non obtentam Sedis Apostolicae a delinquente contra fori privilegium competens Episcopo etiam mere titulari, Abbati vel Praelato nullius et Supremo religionis Iuris Pontificii Moderatori, qui non essent Ordinarii proprii delinquentis.

183. **Contra violationem clausurae.** — *Can. 2342. Plectuntur ipso facto* violatae clausurae papalis ad normam can. 597 *excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata:*

1° Clausuram monialium sensu stricto ad normam can. 488, 7°, I° *violantes* contra praescriptum can. 600 ibi explicatum, ergo exceptis personis sub n.is 1°, 2°, 3°, *cuiuscumque* a) *generis* b) *aut conditionis*, c) *vel sexus sint*, omittitur verbum « aetatis », eo quod quamvis baptizati impuberes post usum rationis « teneantur (can. 12) legi mere ecclesiasticae » can.s 600 ubi prohibentur indirecte, ut in eo explicatum est, ingredi clausuram, attamen ad normam can.

2230 « excusantur a poenis latae sententiae », prout est supradicta excommunicatio; ceteri praefati puniuntur: a) *in earum* monialium de quibus antea *monasteria* b) *sine legitima licentia,* scilicet: vel Sanctae Sedis iuxta initium can. 600, vel Ordinarii loci impetrata secundum can. eumdem n. 4°, *ingrediendo,* II° *pariterque* i. e. subiacent quoque praefatae reservatae excommunicationi, *eos* nempe: « clausuram monialium violantes in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo » (non exclusis impuberibus supra determinatis, quia designatio personarum distincta in prima parte tunc necessaria, quia delictum earum puniebatur, in hac secunda est praetermittenda) dum patrant delictum ad normam can. 600 ibi explicatam et nunc sancitam a) *introducentes* ab extra, quod verbum, praeter eos qui facultatem ingrediendi praebent, innuit alios qui physice vel moraliter sed proprie, pueros ac puellas cum rationis usu, indeque prohibitas ex can. 600, intra clausuram ducunt, b) *vel admittentes* ex parte claustralium, ut ostiaria, superiorissa, aliaeque praebentes physice qualitercumque ingressum: — quoad poenam vero sententiae ferendae sequitur: *quod si clerici sint* « propter primam saltem tonsuram » (can. 108, § 1) *praeterea suspendantur* ex iniunctione (can. 2223, § 3) *per tempus pro gravitate culpae,* quae clausula indigitat moralitatem actus pravam ponderandam *ab Ordinario* loci vel a Superiore regulari, alterutro poenam infligente, si huic subiiciantur puniendus ac moniales (can. 603), *definiendum;*

2° Mulieres (exclusis impuberibus ob can. 2230, ut in prima h. can. parte) nam illae tantum non viri esse queunt *violantes regularium virorum* « qui vota nuncuparunt in Ordine » (can. 488, 7°) *clausuram*, igitur contra praescriptum can. 598, 599, § 1, *et* b) *Superiores* quicumque domus regularis de qua agitur, c) *aliique, quicumque ii sint,* subiecti legi poenali excommunicationis mulieres ac viri, *eas* h. e. mulieres *cuiuscumque aetatis*, ergo etiam impuberes, imo etsi non septennes ast rationis usu non carentes, quia verbum mulieres sexum designat, et praedictae omnes violantes sunt clausurae ut explicatum est in can. 598, § 1, α) *introducentes* β) *vel admittentes*, prout in numero praecedenti haec verba sunt declarata; singuli recensiti excommunicationi canonis huius subiacent latae sententiae; — poena vero ferendae sententiae adiungitur contra nonnullos ex eis, nempe: *et praeterea religiosi* quicumque illius domus vel alterius a) *introducentes* b) *vel admittentes* ut supra

n. 1°, *priventur* a) *officio* stricto sensu (can. 145), *si quod habeant*, b) *et voce activa et passiva*. Poena determinata et praeceptivis verbis edita. (Can. cit. in fine praec. can.).

3° Moniales stricto sensu, sicut dictum est in can. citando, *e clausura illegitime exeuntes contra praescriptum can. 601* ibidem explicatum, ex qua citatione videretur argumentari logice omissionem scripti recognitionis periculi, « quando tempus suppetat » ex §° 2°, facere illegitimum exitum in praesenti canone punitum excommunicatione latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservata. Sed respondeo retinendam sententiam oppositam ibi probatam, quia monialis exiens sine illo scripto praevio Ordinarii loci, non facit contra praescriptum canonis, eo quod causa, ut supponimus, subest, nec licentia Ordinarii ex illo scripto provenit, sed hoc continet solam recognitionem causae non necessariam pro egressu, sed ne lex privatis personis remittat iudicium de ipsius existentia.

184. **Privilegium canonis in tota eius amplitudine.** — Quia in sequenti can. adhibita est eadem clausula quae ab antiquitate derivatur pro canonis privilegio, altera omissa « suadente diabolo » utpote innecessaria; tenenda est interpretatio probatorum Auctorum ad normam can. 6. « 2° Canones qui ius vetus ex integro referunt ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus sunt aestimandi; 3° Canones qui ex parte tantum cum veteri iure congruunt, qua congruunt, ex iure antiquo aestimandi sunt; qua discrepant, sunt ex sua ipsorum sententia diiudicandi ». — Gradatim poenas statuit pro ecclesiasticis gradibus personarum *can. 2343*. § 1. *Qui* (verbum generale) *violentas manus*, per quae verba non tantum actiones manuum sed quaecumque, prout hae opponuntur verbalibus iniuriis, designantur, dummodo violentae sint propter implicitam iniuriam *in personam*, non in eius effigiem vel imaginem vel cadaver, vel res ipsius v. gr. in thronum, vestes papales, nisi quando propter coniunctionem, in Romanum Pontificem ibi sedentem, his indutum, redundarent offensivae actiones; persona *Romani Pontificis* debet accipi proprie seu physice, quae manibus attrectari potest, sed prout dignitate Summi Pontificatus ornata violari potest, tum in corpore quoad incolumitatem v. gr. interfectione, mutilatione, percussione, tum in libertate physica v. gr. captione, incarceratione, detentione, tum in eius dignitate v. gr. per hostilem insequutionem physicam;

qui ergo his singulis actionibus et similibus violentas manus in personam Romani Pontificis, non in alias eidem coniunctas quam maxime vel in eiusdem res vel loca, etiam Apostolicum Palatium, (iterum salva exceptione prius adhibita circa res ipsius), *iniecerit: — 1° Excommunicationem contrahit latae sententiae Sedi Apostolicae* nunc primo *specialissimo modo reservatam;* cuius gravitas adaugetur eo quod *et est* sic delinquens excommunicatus *ipso facto vitandus;* valde notandus hic unicus casus ex iure cum propriis diversis effectibus; — *2° Est ipso iure infamis;* cuius poenae effectus sunt contenti sub can. 2294, § 1; — *3° Clericus est degradandus* Maxima poena vindicativa clericorum peculiaris, et de qua dicit can. 2305. « § 1. Degradatio in se continet depositionem, perpetuam privationem habitus ecclesiastici et reductionem clerici ad statum laicalem ».

Excepta excommunicationis adnotata duplici singularitate, poenas latae sententiae §[i] 1[i] extendit canon ad huiusmodi delinquentem sub § 2. *Qui in personam S. R. E. Cardinalis vel Legati Romani Pontificis* propter intimam cum eo iuridicam coniunctionem; scilicet: — *1° In excommunicationem incurrit latae sententiae Sedi Apostolicae speciali modo reservatam; — 2° est ipso iure infamis;* de qua poena est correctum ius praecedens (c. 5 De poenis in 6°) propter can. 2293. « § 4. Neutra (infamia iuris vel facti) afficit delinquentis consanguineos aut affines »... — Poenam etiam ferendae sententiae adiungit can.[s] § 2, quem commentamur, dicens: — *3° Privetur beneficiis, officiis, dignitatibus, pensionibus* ac propter pluralem loquutionem interpretandum esse de omnibus convincit clausula finalis *et quolibet munere, si quod in Ecclesia habeat.*

Supposita explicatione criminis data, patet translatam huc fuisse ex const. « Apostolicae Sedis » V excommunicationem in principales delinquentes, dum sequitur § 3. *Qui in personam Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi etiam titularis tantum,* videlicet: ad omne dubium tollendum ex const. « Apostolicae Sedis » forsitan inducendum, quae loqui videbatur de residentialibus, praefatus delinquens ut supra: *incurrit in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae speciali modo reservatam.*

Demum declarat § 4. *Qui in personam aliorum* « propter primam saltem tonsuram » (can. 108, § 1) clericorum *vel utriusque sexus religiosorum* saltem « qui vota nuncuparunt in aliqua reli-

gione » (can. 488, n. 4°) « violentas manus iniecerit » *subiaceat ipso facto excommunicationi Ordinario proprio,* cui nempe subiicitur ex enumeratis in can. 198, § 1, *reservatae, qui* Ordinarius idem *praeterea aliis poenis, si res ferat* secundum patratum delictum ad normam can. 2218, § 1, *pro suo prudenti arbitrio eum* delinquentem *puniat.* Poena quidem indeterminata sed praeceptivis verbis edita (can. 2217, § 1, et can. 2223, § 3).

Quaeri potest num omnes *vere* clerici, ut canonis verba enunciant, comprehendantur, et econtra an utriusque sexus novitii religionum et personae in communi viventes sint a protectione canonis exclusi. Ad solvendam quaestionem diligenter considerare oportet canonis huius verba delictum denotantia, fuisse deprompta ex const.ᵉ « Apostolicae Sedis » II excommunicatione inter simpliciter reservatas, mutato verbo « monachos » in « religiosorum » iuxta Codicis nomenclaturam ; ergo interpretationes Auctorum probatorum in exponendo verborum sensu sequi oportet ad normam can. 6, 2°, 3°. Proinde ad primam quaesiti partem respondendum est affirmative et ad alias duas negative. Confirmatur communis doctrina sequenti ratione. Quia hoc privilegium canonis, antea sic vocatum, etiam in Codice privilegium appellatur (can. 614, 680), et can. 119 vocat praedictas reales iniurias in clericos « sacrilegii delicta », quae ut ibidem fuit animadversum talia non essent, nisi propter hunc canonem poenalem. In hoc igitur canone 2343, § 4, nomine clericorum non comprehenditur qui etiamsi saltem tonsuratus « privilegia amittit » clericalia ad normam can. 123, et pari ratione « religiosorum » verbum est ad omnes illos significandos adhibitum qui, ut « etiam laici et novitii » ex can. 614, et ut sodales societatis in communi viventium sine votis « etiam laici » ex can. 680 « gaudent clericorum privilegiis ».

185. **Contra iniurias per verba aut scripta.** — *Can. 2344. Qui,* sive clericus, sive religiosus, sive laicus, a) *Romanum Pontificem,* b) *S. R. E. Cardinalem,* c) *Legatum Romani Pontificis* ad normam cap. V, Tit. VII, Lib. I, d) *Sacras Congregationes Romanas,* de quibus est cap.ᵒ IV, art. I loc. cit., e) *Tribunalia Sedis Apostolicae,* scilicet: S. Rom. Rotam, Signaturam Apostolicam, Sacram Poenitentiariam, f) *eorumque* nempe : Congregationum et Tribunalium, non aliorum Officiorum *Officiales maiores* alibi declaratos, g) *proprium Ordinarium* determinandum vi ss. canonum 198, § 1, cum

aliis 111, et 94. — *publicis* a) *ephemeridibus* nempe: periodicis publicationibus paucorum foliorum, b) *concionibus,* quae vocentur conferentiae, allocutiones, etc. c) *libellis* periodicis vel secus, *sive directe* ad hoc ordinatis *sive indirecte* modo palliato aliarumque quaestionum occasione, — α) *iniuriis* quoad honorem, bonam famam, ut plurimum calumniose *affecerit,* β) *aut simultates,* malevolentiam, aversiones, *vel odia* proprie a) *contra eorumdem acta* quaelibet sive facta, b) *decreta* plures forsitan respicientia, c) *decisiones* extraiudiciales seu dispositiones forsan circa privatas personas, d) *sententias* iudiciales *excitaverit;* — quicumque igitur horum delinquentium *ab Ordinario* competenti a) *non solum ad instantiam partis,* quae iniuriis lacessita fuit vel contra quam excitationes fuere suscitatae, b) *sed etiam ex officio,* scilicet: nulla expectata querela interesse habentis, *adigatur,* a) *per censuras quoque,* si de graviori re agatur, vel necesse fuerit pro scopo obtinendo *ad satisfactionem praestandam* ei qui laesus est, restitutione honoris aut famae possibili, b) *aliisve congruis poenis* vindicativis *vel poenitentiis* ad normam Tit. IX et X cap. II, Lib. V cum hoc duplici respectu *pro gravitate culpae et scandali reparatione, puniatur.* Poena utique indeterminata sed praeceptivis verbis comminata. (Can. 2217, § 1, 1° et can. 2223, § 3°).

CAN. 2345. - Usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia, subiaceant excommunicationi latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservatae; et si clerici fuerint, praeterea dignitatibus, beneficiis, officiis, pensionibus priventur atque inhabiles ad eadem declarentur.

CAN. 2346. - Si quis bona ecclesiastica cuiuslibet generis, sive mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia, per se vel per alios in proprios usus convertere et usurpare praesumpserit aut impedire ne eorundem fructus seu reditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur, excommunicationi tandiu subiaceat, quandiu bona ipsa integre restituerit, praedictum impedimentum removerit, ac deinde a Sede Apostolica absolutionem impetraverit; quod si eiusdem ecclesiae seu bonorum patronus fuerit, etiam iure patronatus eo ipso privatus exsistat; clericus vero, hoc delictum committens vel in eodem consentiens, privetur praeterea beneficiis quibuslibet, ad alia quaelibet inhabilis efficiatur et a suorum ordinum exsecutione, etiam post integram satisfactionem et absolutionem, sui Ordinarii arbitrio suspendatur.

CAN. 2347. - Firma nullitate actus et obligatione, etiam per censuram urgenda, restituendi bona illegitime acquisita ac reparandi damna forte illata, qui bona ecclesiastica alienare praesumpserit aut in iis alienandis consensum praebere contra praescripta can. 534, § 1, et can. 1532:

1° Si agatur de re cuius pretium non excedit mille libellas, congruis poenis a legitimo Superiore ecclesiastico puniatur;

2° Si agatur de re cuius pretium sit supra mille, sed infra triginta millia libellarum, privetur patronus iure patronatus; administrator, munere administratoris; Superior vel oeconomus re-

ligiosus, proprio officio et habilitate ad cetera officia, praeter alias congruas poenas a Superioribus infligendas; Ordinarius vero aliique clerici officium, beneficium, dignitatem, munus in Ecclesia obtinentes, solvant duplum favore ecclesiae vel piae causae laesae; ceteri clerici suspendantur ad tempus ab Ordinario definiendum;

3° Quod si beneplacitum apostolicum, in memoratis canonibus praescriptum, fuerit scienter praetermissum, omnes quovis modo reos sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo, manet praeterea excommunicatio latae sententiae nemini reservata.

CAN. 2348. - Qui legatum vel donationem ad causas pias sive actu inter vivos sive testamento, etiam per fiduciam, obtinuerit et implere negligat, ab Ordinario, etiam per censuram, ad id cogatur.

CAN. 2349. - Recusantes praestationes legitime debitas ad normam can. 463, § 1, 1507, prudenti arbitrio Ordinarii puniantur, donec satisfecerint.

186. **In defensionem bonorum et iurium Ecclesiae Romanae** quoad temporale dominium conditus est *can. 2345*, ut patet ex contextu, desumptus ex n. 12, § 1, const.[a] « Apostolicae Sedis » Pii IX, cuius textus est: « Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios Civitates, Terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes ». — Ex comparatione huius cum praesenti canone deprehenduntur inductae ex industria omissiones delictorum. Verba enim « invadentes, destruentes » non immerito sunt pressae silentio, eo quod supponunt temporale dominium de facto, quod adeo imminutum est, ut revera hodie non habeatur. Vocabula « usurpantes, perturbantes », quamvis iurisdictionem de facto extare postulent, attamen diversimode illam respiciunt, nam perturbare proprie dicitur de iurisdictione illa existente, nec ad eam residuam illud verbum specialem applicationem consequetur in futurum tempus, dum relinquitur verbum « usurpans », quod extensum ad « bona et iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia » sufficienter utraque protegit. Nec delinquentes accessorie aut secundarios (verbotenus omissos) reputare oportet exclusos, « auxilium, consilium, favorem praebentes » delinquentibus per usurpationem aut detentionem, nam, ut alias monuimus, huic canoni applicandum est praescriptum can.[a] 2231 « Si plures ad delictum perpetrandum concurrerint, licet unus tantum in lege nominetur, ii quoque de quibus in can. 2209, §§ 1-3 tenentur, nisi lex aliud expresse caverit, eadem poena ». Lex vero praesens « aliud expresse (non) cavet ».

Secundum ergo hanc postremam normam damus praesentis canonis interpretationem. Videlicet: *Usurpantes*, qui, nempe « ab

ipso domino rem vel ius occupant quasi ad se pertinens », *vel* solum *detinentes,* ac sic impediunt, quominus proprius dominus illis forte per alios usurpatis fruatur, alterutrum delictum perpetrantes a) *per se vel* b) *per alium* iubendo vel cogendo, ac tunc in proprium favorem; obiectum vero multiplicis delicti declarati sunt singulatim a) *bona* equidem temporalia, mobilia vel immobilia, seu his aequiparata, *aut* b) *iura* quoque in praefata bona, quae sint territoria forsan vel palatia, *ad Ecclesiam Romanam,* non solum velut singularem dioecesim, vel specialiter ad Basilicam S. Ioannis Lateranensis, S. Petri, sed ad illam Ecclesiam *pertinentia*, prouti haec ob Summum Pontificem gaudet primatu in universalem Ecclesiam; praedicti delinquentes singuli et alii vi can.[s] 2231 comprehensi a) *subiaceant*, non secus ac in Const. « Apostolicae Sedis » Pii IX, *excommunicationi latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservatae: et* in specie *si clerici* ob « primam saltem tonsuram » (can. 108, § 1) atque « ad statum laicalem (nondum) regressi » (can. 211, § 2) *fuerint* huiusmodi delinquentes, *praeterea* b) *dignitatibus* ab Abbatia de regimine aut Praelatura nullius et supra, *beneficiis* proprie dictis (can. 1409), *officiis* « stricto sensu » (can. 145, § 2), *pensionibus,* prout hae ad can. 1429 definitae ac declaratae fuerunt, *priventur* equidem in iudicio criminali (can. 1933, § 1), *atque* c) « clerici » ut supra *inhabiles ad eadem,* sive habita sive alia in posterum habenda *declarentur* in eadem sententia. Poenae pro clericis sunt revera ferendae sententiae, sed determinatae atque « lex utitur praeceptivis verbis » (can. 2223, § 3).

187. **Defensio proprietatis bonorum ecclesiasticorum eorumque fructuum** plene assumpta est a Conc. Trid. in cap. 11, sess. XXII de Reformatione his verbis: « Si quem clericorum vel laicorum, quacumque is dignitate, etiam Imperiali aut Regali praefulgeat, in tantum malorum omnium radix, cupiditas occupaverit, ut alicuius ecclesiae, seu cuiusvis saecularis vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum iurisdictiones, bona, census ac iura, etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel per alios, vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum aut laicorum, seu quacumque arte, aut quocumque quaesito colore, in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit, seu impedire ne

ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur; is anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus et redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositae personae, pervenerint, ecclesiae, eiusque administratori sive beneficiato integre restituerit; ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. — Quod si eiusdem ecclesiae patronus fuerit, etiam iure patronatus, ultra praedictas poenas, eo ipso privatus existat. — Clericus vero, qui nefandae fraudis et usurpationis huiusmodi fabricator seu consentiens fuerit, eisdem poenis subiaceat; necnon quibuscumque beneficiis privatus sit, et ad quaecumque alia beneficia inhabilis efficiatur; et a suorum ordinum executione, etiam post integram satisfactionem et absolutionem, sui Ordinarii arbitrio suspendatur ».

Poenae in hoc Decreto expressae iisdem verbis translatae sunt in praesentem canonem, qui delinquentes summarie continet, sed ex propria sententia est potius aestimandus ad normam can. 6, 3°.

In const. « Apostolicae Sedis » Pii IX [1] ita concipitur excommunicatio speciali modo Rom. Pontifici reservata, lata in « Usurpantes vel sequestrantes iurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes ».

Can. 2346 in delictis puniendis proprius accessit ad disciplinam per Conc. Trid. inductam, quod e memoria ne labatur, quando legantur auctores probati, qui post dictam const. Pianam de hac excommunicatione scripserunt. *Si quis*, et « verbum hoc tam masculos quam feminas complectitur » [2], imo ex Codice addi potest: « clericorum vel laicorum » (loc. cit. Conc. Trid.), « utrique autem possunt esse religiosi » (can. 107), *bona*, quae « naturaliter ex eo dicuntur, quod beant, hoc est beatos faciunt: beare est prodesse » [3], *ecclesiastica*, quae definiuntur in can. 1497, § 1, additurque *cuiuslibet generis*, nempe: « sacra, pretiosa » (ib. § 2), vel secus, et « sunt bona temporalia, *sive mobilia, sive immobilia, sive corporalia, sive incorporalia* (prout haec verba sunt in dicto can. ac paragrapho declarata), quae vel ad Ecclesiam universam et ad Apostolicam Sedem vel ad aliam in Ecclesia personam moralem pertineant » (can. cit. § 1°), a) *per se* delinquens, *vel per alios* iussione,

[1] 12 Oct. 1869, § 1, n. 11. — [2] L. 1 « de verborum significatione » ff. — [3] L. 48 « de verborum significatione » ff.

« vi vel timore incusso », dummodo disiunctive b) *in proprios usus convertere et usurpare,* prout hoc verbum fuit in praec. can. declaratum et in praefata conversione includitur, c) *praesumpserit,* quod verbum « plenam cognitionem ac deliberationem exigit », estque practici momenti, quatenus « quaelibet imputabilitatis diminutio... eximit a poenis latae sententiae » (can. 2229, § 2) atque ex contextu afficit quoque delictum *aut* b) *impedire* « quocumque quaesito colore » aut modo *ne eorumdem* « bonorum ecclesiasticorum » ut supra, *fructus* si sint agri, res se moventes, *seu reditus,* v. gr. ex locatione, ex syngraphis nummulariae mensae, etc. *ab iis* personis, sive physicis v. gr. beneficiariis, sive moralibus v. gr. locis piis, ecclesiis, *ad quos iure* canonico *pertinent,* seu illorum nomine administratoribus, *percipiantur* cum effectu, sub quorum redituum nomine pensiones etiam a guberniis solvendae ex concordatis non immerito veniunt: — omnes igitur, prout declarati sunt, delinquentes, et illorum unusquisque a) *excommunicationi tamdiu subiaceat,* quod exprimit illam ipso delicti facto incursam fuisse (can. 2217, § 2), *quamdiu* disiunctive a) *bona ipsa* « in proprios usus conversa et usurpata » *integre* etiam quoad parvam partem *restituerit,* tradens ea personae ecclesiasticae, cuius sint, fortassis per intermedias personas securas, *praedictum impedimentum,* scilicet « ne eorumdem fructus seu reditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur », *removerit* efficaciter, quantum in se est, *ac* solum *deinde* b) *a Sede Apostolica absolutionem* directe vel per delegatum datam de facto *impetraverit; — quod si* « quis » ut supra delinquens *eiusdem ecclesiae seu bonorum,* quae dotem constituunt beneficii, ac proinde huius *patronus fuerit* ad normam iuris ante Codicem, de quo patrono est Cap. IV, tit. XXV, in Parte quinta, Libri III, *etiam* seu praeter excommunicationem *iure patronatus eo ipso privatus existat,* sicut manet declaratum in Commentario Textus ad can. 1470, § 1, 6°; — *clericus vero,* a) *hoc delictum* unumquodque huius canonis *committens* etiam sine praesumptione b) *vel in eodem* ab altero cum effectu perpetrato, quatenus in ipso est, forsan uti administratore, *consentiens,* a) *privetur,* ac proinde sequuntur poenae ferendae sententiae, *praeterea,* quia ex can. 2209 poenas latae sententiae supradictas praesumens incurreret, *beneficiis quibuslibet,* proprie tamen dictis (can. 1409), b) *ad alia quaelibet,* quamvis prius possessa, *inhabilis* sententia condemnatoria *efficiatur* vi huius canonis *et* c) *a suorum*

ordinum exsecutione seu « ab omni actu potestatis ordinis receptae per ordinationem » ob can. 2279, § 2, 3°, *etiam post integram satisfactionem* supra requisitam praevie *et absolutionem* ab excommunicatione, *sui*, ratione incardinationis vel alterius subiectionis, *Ordinarii arbitrio* quoad tempus subeundae poenae, etiamsi « per modum praecepti extra iudicium » (can. 1933, § 4) *suspendatur* poena tunc vindicativa, et « lex utitur verbis praeceptivis » (can. 2223, § 3).

188. **Contra illegitimas rerum ecclesiasticarum alienationes.** — *Can. 2347. Firma* a) *nullitate actus*, quando haec sit a ss. canonibus vel alias legitime statuta, *et obligatione* duplici, *etiam per censuram urgenda* secundum leges et auctoritatis competentis prudentiam, b) *restituendi bona illegitime acquisita*, scilicet: cum contractus nullitate aut irritatione, c) *ac reparandi damna forte illata*, etsi contractus validus dicatur, — *qui bona ecclesiastica*, scilicet: « temporalia, sive corporalia, tum immobilia tum mobilia, sive incorporalia, quae vel ad Ecclesiam universam et ad Apostolicam Sedem vel ad aliam in Ecclesia personam moralem pertineant » (can. 1497, § 1), a) *alienare*, ita ut Ecclesiae ius in ea bona deminutum evaserit per contractum, *praesumpserit* [1] quod verbum est supplendum ex grammaticali constructione sub littera b) *aut in iis alienandis consensum praebere*, videlicet: alterutrum *contra praescripta can. 534*, § 1 ibi commentati *et can. 1532*, qui commentatus fuit in « Lib. III, De rebus »; distribuuntur poenae infligendae atque latae sententiae iuxta valorem rei alienatae sequenti modo:

1° Si agatur de re cuius pretium non excedit mille libellas aureas ex S. Congr.s iurisprudentia seu francos, aut aequivalentem in nummis aliis summam, tunc *congruis poenis a legitimo Superiore ecclesiastico* unusquisque ex praedictis delinquentibus *puniatur*. Praeceptive poena indeterminata est expressa (can. 2217, § 1, 1° et can. 2223, § 3).

[1] Can. 2229. § 1. A nullis latae sententiae poenis ignorantia affectata sive legis sive solius poenae excusat, licet lex verba de quibus in § 2 contineat.

§ 2. Si lex habeat verba: *praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit* aliave similia quae plenam cognitionem ac deliberationem exigunt, quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis eximit a poenis latae sententiae.

2° Si agatur de re cuius pretium sit supra mille, sed infra triginta millia libellarum seu francorum, ut supra, a) *privetur patronus* delinquens *iure patronatus;* b) *administrator, munere administratoris;* c) *Superior vel oeconomus* uterque *religiosus*, tum *proprio officio* habito ex denominatione respectiva, tum *et habilitate ad cetera officia*, cumulando has *praeter alias congruas poenas a Superioribus* eorum *infligendas;* d) *Ordinarius vero* loci ex contextu *aliique clerici* « propter primam saltem tonsuram » (can. 108, § 1) sed saeculares, qui sint *officium* stricto sensu (can. 145), *beneficium* proprie dictum (can. 1409), *dignitatem*, *munus* quodcumque *in Ecclesia obtinentes*, hi singuli *solvant duplum* valoris *favore ecclesiae vel piae causae laesae;* e) *ceteri clerici* carentes officio etsi lato sensu *suspendantur ad tempus ab Ordinario* eorum *definiendum*. Poenae omnes ferendae sententiae, attamen verbis praeceptivis editae (can. 2217, § 1, 2° et 2223, § 3°).

Demum *3° Quod si beneplacitum apostolicum, in memoratis* per hunc *canonibus praescriptum, fuerit scienter praetermissum* (can. 2229 [1], §§ 1, 2) vel cum affectata ignorantia, *omnes quovis modo reos* in contractu alienationis supradictae a) *sive dando* rem ecclesiasticam b) *sive recipiendo* eam, quamvis ex ulteriore contractu, c) *sive consensum praebendo* absolute, quando ex lege vel consuetudine dare teneantur, *manet praeterea*, scilicet: simul cum « nullitate actus et obligatione restituendi », et si agatur de rebus pretiosis ultra poenas n.[1] 2[1], *excommunicatio latae sententiae nemini reservata*, i. e. « a quolibet absolvenda confessario in foro sacramentali » (can. 2253, 1°), dummodo praevie satisfecerit aut serio idipsum promiserit, qui eadem sit ligatus.

189. **Sanctio canonum 1514, 1516** est quam statuit *can. 2348*. — Revera can. 1515 edixit: « Ordinarii omnium piarum voluntatum tam mortis causa quam inter vivos exsecutores sunt », unde « alii exsecutores delegati debent, perfuncti munere, illis reddere rationem ». Ut ergo hoc ius Ordinarii efficacius sit et officium melius impleatur, dicitur in praesenti canone. *Qui*, etiam « clericus et religiosus » ad normam can. 1516, a) *legatum* proprie dictum, utpote in testamento heredi vel exsecutori commissum, fortassis cum onere adnexo ipsi legatario imposito, *vel dona-*

[1] Vide canonem in calce pag. 244.

tionem propterea quod contractu constat gratuito, b) *ad causas pias*, nempe religionis vel caritatis c) *sive actu inter vivos*, qui videlicet in vita donantis ad effectum deducendum sit, *sive testamento*, quod non valet, nisi interveniente morte testatoris, d) *etiam per fiduciam*, idest: quando fidelitati commissarii est exsecutio relicta, quin actus ille legati vel donationis probari queat, saltem quoad personam utilitate huiusmodi potituram, a) *obtinuerit* per rei detentionem vel melius exsecutionis commissionem *et* b) *implere* iuxta legantis vel donantis voluntatem *negligat*, etsi solum differendo notabiliter, — *ab Ordinario* nempe loci, et si agatur « de bonis fiduciariis alicui religioso commissis » cum distinctione in § 3, can.[s] 1516 posita, « est loci Ordinarius, vel Ordinarius eiusdem religiosi proprius », a quo sic declarato, *etiam per censuram* quamlibet, quatenus opus sit, vel mitioribus poenis, *ad id* nempe proprium implere debitum in canone expressum *cogatur*.

190. **Ut praestationes debitae solvantur.** — Denique ut indemnitati consulatur eorum, qui utilitatibus fidelium se devoverunt, contra renuentes iniustos datur *can. 2349. Recusantes praestationes legitime debitas* proindeque ex iustitia parochis *ad normam* can. 463, § 1 ibi explicati, et « pro variis actibus iurisdictionis voluntariae vel pro exsecutione rescriptorum Sedis Apostolicae vel occasione ministrationis Sacramentorum vel Sacramentalium » vel « taxas pro actibus iudicialibus » ad normam *can. 1507*, illi recusantes *prudenti arbitrio Ordinarii* loci ex contextu *puniantur* poena indeterminata sed ex praecepto (can. 2217, § 1[a], 1° et 2223, § 3°) *donec satisfecerint*, prout in conscientia obligantur.

TITULUS XIV.

De delictis contra vitam, libertatem, proprietatem, bonam famam ac bonos mores.

CAN. 2350. - § 1. Procurantes abortum, matre non excepta, incurrunt, effectu secutu, in excommunicationem latae sententiae Ordinario reservatam; et si sint clerici, praeterea deponantur.

§ 2. Qui in seipsos manus intulerint, si quidem mors secuta sit, sepultura ecclesiastica priventur ad normam can. 1240, § 1, n. 3; secus, arceantur ab actibus legitimis ecclesiasticis et, si sint clerici, suspendantur ad tempus ab Ordinario definiendum, et a beneficiis aut officiis curam animarum interni vel externi fori adnexam habentibus removeantur.

CAN. 2351. - § 1. Servato praescripto can. 1240, § 1, n. 4, duellum perpetrantes aut simpliciter ad illud provo-

cantes vel ipsum acceptantes vel quamlibet operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes illudque permittentes vel quantum in ipsis est non prohibentes, cuiuscunque dignitatis sint, subsunt ipso facto excommunicationi Sedi Apostolicae simpliciter reservatae.

§ 2. Ipsi vero duellantes et qui eorum patrini vocantur, sunt praeterea ipso facto infames.

Can. 2352. - Excommunicatione nemini reservata ipso facto plectuntur omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoquo modo cogant sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem tam solemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam.

Can. 2353. - Qui intuitu matrimonii vel explendae libidinis causae rapuerit mulierem nolentem vi aut dolo, vel mulierem minoris aetatis consentientem quidem, sed insciis vel contradicentibus parentibus aut tutoribus, ipso iure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis et insuper aliis poenis pro gravitate culpae plectatur.

Can. 2354. - § 1. Laicus qui fuerit legitime damnatus ob delictum homicidii, raptus impuberum alterutrius sexus, venditionis hominis in servitutem vel alium malum finem, usurae, rapinae, furti qualificati vel non qualificati in re valde notabili, incendii vel malitiosae ac valde notabilis rerum destructionis, gravis mutilationis vel vulnerationis vel violentiae, ipso iure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis et a quolibet munere, si quod in Ecclesia habeat, firmo onere reparandi damna.

§ 2. Clericus vero qui aliquod delictum commiserit de quibus in § 1, a tribunali ecclesiastico puniatur, pro diversa reatus gravitate, poenitentiis, censuris, privatione officii ac beneficii, dignitatis, et, si res ferat, etiam depositione; reus vero homicidii culpabilis degradetur.

Can. 2355. - Si quis non re, sed verbis vel scriptis vel alia quavis ratione iniuriam cuiquam irrogaverit vel eius bonam famam laeserit, non solum potest ad normam can. 1618, 1938 cogi ad debitam satisfactionem praestandam damnaque reparanda, sed praeterea congruis poenis ac poenitentiis puniri, non exclusa, si de clericis agatur et casus ferat, suspensione aut remotione ab officio et beneficio.

Can. 2356. - Bigami, idest qui, obstante coniugali vinculo, aliud matrimonium, etsi tantum civile, ut aiunt, attentaverint, sunt ipso facto infames; et si, spreta Ordinarii monitione, in

Titulus XIV. De delictis contra —

- — vitam —
  - — erga fetum vel seipsos — Can. 2350
  - — in duello — » 2351
- — libertatem —
  - — in statu clericali vel religioso amplectendo — » 2352
  - — intuitu matrimonii vel explendae libidinis causa — » 2353
- — proprietatem aut vitam vel libertatem — » 2354
- — bonam famam — verbis vel scriptis vel alia quavis ratione, non re — » 2355
- ac bonos mores —
  - — per bigamiam sensu stricto — » 2356
  - — multipliciter contra sextum decalogi praec. patratis —
    - — per laicos — » 2357
    - — a clericis —
      - — minoribus — » 2358
      - — in sacris — » 2359

illicito contubernio persistant, pro diversa reatus gravitate excommunicentur vel personali interdicto plectantur.

Can. 2357. - § 1. Laici legitime damnati ob delicta contra sextum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum commissa, vel ob stuprum, sodomiam, incestum, lenocinium, ipso facto infames sunt, praeter alias poenas quas Ordinarius infligendas iudicaverit.

§ 2. Qui publicum adulterii delictum commiserint, vel in concubinatu publice vivant, vel ob alia delicta contra sextum decalogi praeceptum legitime fuerint damnati, excludantur ab actibus legitimis ecclesiasticis, donec signa verae resipiscentiae dederint.

Can. 2358. - Clerici in minoribus ordinibus constituti, rei alicuius delicti contra sextum decalogi praeceptum, pro gravitate culpae puniantur etiam dimissione e statu clericali, si delicti adiuncta id suadeant, praeter poenas de quibus in can. 2357, si his locus sit.

Can. 2359. - § 1. Clerici in sacris sive saeculares sive religiosi concubinarii, monitione inutiliter praemissa, cogantur ab illicito contubernio recedere et scandalum reparare suspensione a divinis, privatione fructuum officii, beneficii, dignitatis, servato praescripto can. 2176-2181.

§ 2. Si delictum admiserint contra sextum decalogi praeceptum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum, vel adulterium, stuprum, bestialitatem, sodomiam, lenocinium, incestum cum consanguineis aut affinibus in primo gradu exercuerint, suspendantur, infames declarentur, quolibet officio, beneficio, dignitate, munere, si quod habeant, priventur, et in casibus gravioribus deponantur.

§ 3. Si aliter contra sextum decalogi praeceptum deliquerint, congruis poenis secundum casus gravitatem coerceantur, non excepta officii vel beneficii privatione, maxime si curam animarum gerant.

191. **Inscriptio tituli et canonum distinctio.** — In praecedentibus titulis Ecclesia potestatem suam coercitivam direxit erga delicta, quae contra Deum committuntur, cui per fidem et mutuam caritatem uti obiecto unimur, atque cultum debitum tribuimus per religionem. Propter hanc quoque ac post Deum personas et res ecclesiasticas revereri debemus, praesertim quando illae auctoritate sunt praeditae. Procedit inde legislator ad tuenda aliorum hominum maxime fidelium bona, non immemor sententiae Greg. IX in const. « Rex pacificus » ubi scriptum est: « Ideoque lex proditur, ut appetitus noxius sub iuris regula limitetur, per quam genus humanum, ut honeste vivat, alterum non laedat, ius suum unicuique tribuat, informatur ».

Porro alterius laesio primum protegitur secundum illius bona, quorum gradum praecipuum obtinet vita et consequens corporis integritas, post illam est libertas, quae maxime apud homines aestimanda videtur. In ordine proximum locum tenent bona exteriora, inter quae praeeminet bona fama secundum Sapientis dicta [1]: « Melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi et magni » [2]. Et quamvis

[1] Eccles. VII, 2. — [2] Eccli. XLI, 15.

idem Sapiens dicat etiam [1]: « Omnis autem ponderatio non est digna continentis animae », delicta contra ipsam in aliena persona coniunguntur necessario cum illis quae honestam vitam maculant. Sic ergo tali ordine pertractat « Titulus XIV. De delictis contra vitam » vel in sui initio per abortum aut in propria persona per suicidium, in hac vero et aliorum per duellum, de quibus sunt can. 2350, 2351. Delicta « contra libertatem » coercent can. 2352 in statu duplici amplectendo et can. 2353 intuitu matrimonii aut explendae libidinis causa. Delicta vero contra duo praedicta bona et « proprietatem » persequitur can. 2354, dum alia contra « bonam famam » puniuntur can.e 2355. Denique ut honeste vivant fideles, invenitur sanctio canonica in can. 2256 contra bigamiam, et minorem vel maiorem poenam pro diversitate personarum delinquentium statuunt canones, 2357 loquens de laicis, 2358 de clericis minoribus et 2359 de clericis in sacris sive saecularibus sive religiosis.

192. **Contra abortum et suicidium** et actum sui laesivum latus est *can. 2350.* Primo quidem Sixtus V animadvertit severius in abortus crimen per const. « Effrenatam » [2] cuius rigorem temperavit Greg. XIV in const. « Sedes Apostolica » [3]. Pius vero IX in const. « Apostolicae Sedis » [4] sub § III, n. 2 edixit in « Procurantes abortum, effectu sequuto » excommunicationem, quam Codex in hoc loco retinuit.

Apprime distinguere oportet abortum ab acceleratione partus. Ille est proprie « eiectio fetus immaturi », qui proinde vivere nequibit, nec refert an prius occidatur. Econtra habetur partus acceleratio, quando conceptus iam maturi egressus procuratur paulo ante naturale partus tempus. Quapropter C. S. Officii interrogata [5]: « 1. Eritne licita partus acceleratio, quoties ex mulieris arctitudine impossibilis evaderet foetus egressio suo naturali tempore? — 2. Et si mulieris arctitudo talis sit, ut neque partus praematurus possibilis censeatur, licebitne abortum provocare, aut caesaream suo tempore perficere operationem? — R. Ad 1. Partus accelerationem per se illicitam non esse, dummodo perficiatur iustis de causis et eo tempore ac modis, quibus ex ordinariis contingentibus matris et foetus vitae consultatur. — Ad 2. Quod primam partem *negative,*

[1] Eccli. XXVI, 20 — [2] 29 Oct. 1588. — [3] 31 Maii 1591. — [4] 12 Oct. 1869. — [5] 4 Maii 1898. Collect. S. C. de P. F. n. 1997.

iuxta decr. feriae IV 25 Iul. 1895, de abortus illiceitate. Ad secundam vero quod spectat. Nihil obstare, quominus mulier, de qua agitur, caesareae operationi suo tempore subiiciatur ».

Insuper Titius medicus, ut matrem a certa atque imminenti morte salvaret (animadvertebat enim lethalis morbi causam aliam non subesse praeter ipsam praegnationem, hoc est, foetus in utero praesentiam) viam hanc procurandi foetus eiectionem consueto ipse inibat. Attamen hoc faciebat adhibitis mediis et operationibus, per se atque immediate non quidem ad id tendentibus ut in materno sinu foetum occiderent, sed solummodo ut exinde amoverent, atque foetus, si fieri posset, vivus ad lucem ederetur, utique mox moriturus, cum adhuc immaturus omnino supponatur. Iamvero S. Sedes ad Cameracensem Archiepiscopum rescripsit: « tuto doceri non posse licitam esse quamcumque operationem directe occissivam foetus; etiamsi hoc necessarium foret ad matrem salvandam ». Quare, ut conscientiae suae consuleret, supplex Titius petiit, « utrum enuntiatas operationes in repetitis dictis circumstantiis instaurare tuto possit. — Et [1] S. C. S. Officii resp. Negative, iuxta alia decreta... Ssmus adprobavit ».

His praesuppositis sic explicandus est § *1. Procurantes* ex intentione per se vel per alium, actione morali, v. gr. minis, mandato, suasione vel actione physica immediata, v. gr. propinando pharmacum, adhibendo media vel operationes qualitercumque, dummodo causent *abortum* proprie dictum, quolibet post conceptionem tempore, unde sive animatus, ut nunc creditur, sive adhuc inanimatus censeatur foetus, non vero si certo sit iam mortuus saltem naturaliter, nam si occideretur praevie eius eiectio in abortum recideret, additque canon *matre,* sive licite sive illicite illa conceperit, *non excepta,* per quam clausulam manet exclusa quorumdam sententia commentatorum const.[2] « Aplcae. Sedis », qui matrem saltem ex peccato praegnantem excipiebat semper ob rationem illius peculiarem, quin tamen per clausulam praefatam velit legislator matrem privari exemptione a censura ob metum gravem aliamve ob causam, quae ipsam solum non alios in casibus peculiaribus faveret. — Delinquentes igitur in casu sic declarati *incurrunt,* si tamen verificetur conditio sequens: *effectu* eiectionis foetus *sequuto,*

[1] 24 Iul. 1895. Collect. S. C. de P. F. n. 1906.

atque ex tunc omnes illi, quamvis interim poenituerint de patrato crimine, *in excommunicationem latae sententiae Ordinario reservatam*, ita vero ut praedictos poenitentes statim, alios vero a contumacia recedentes, « quilibet Ordinarius possit absolvere suos subditos, loci vero Ordinarius etiam peregrinos » (can. 2253, 3°).

§ *2*. *Qui*, etsi clerici, *in seipsos manus intulerint*, scilicet: per actionem positivam et graviter culpabilem damnum inferre vitae propriae aut incolumitati corporis voluerint, sclopetum explodendo, per laquei suspensionem, imo ex alto deiicientes se, quin opus sit manibus uti, haec enim proprie sub clausula intelligi possunt, secus si quis abstinentia cibi et potus absoluta mortem appetierit, quamvis suicidium revera iste committeret, a) *si quidem mors* ex tali actione *sequuta sit, sepultura ecclesiastica* in poenam *priventur ad normam can. 1240*, § *1*, *n. 3*, clausula confirmante interpretationem prioris clausulae datam « secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam » (can. 18), sic enim legitur in n.° cit.° « Qui se ipsi occiderint deliberato consilio », attamen ex initio canonis « nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa », quae in casu sufficerent ad hoc ut Ordinarius sequeretur praescriptum can.ⁱ 2223, § 3°, sub n.° 2° aut 3° pro casus circumstantiis. Porro non est huiusmodi poena, qua talis, ipso iure incurrenda, dicit enim canon: « priventur », et sic ei applicanda non est norma de poenarum remissione sub can. 2237.

Prosecutio §[i] commentandi est: *secus*, nempe: *b*) « si mors sequuta non fuerit » ex actione prius declarata clausulae « qui in seipsos manus intulerint », iidem clerici laicive a) *arceantur* ex canonis praecepto sed cum ferenda poena, *ab actibus legitimis ecclesiasticis* iuxta significationem sub can. 2256, 2° expressam, *et*, *si sint clerici*, « peculiari eorum poena vindicativa » b) *suspendantur ad tempus ab Ordinario* « intra limites suae iurisdictionis » *definiendum* (can. 2298, 2°), *et*, c) *a beneficiis aut officiis*, prouti haec vel illa habeant, *curam animarum* cum iurisdictione *interni* v. gr. paroeciam, *vel externi fori* v. gr. in delegato pro mulieribus religiosis *adnexam* iure vel ab homine *habentibus removeantur*, servato quidem ordine iuris, quando processus sit praescriptus. Etiam sub litteris b) et c) « lex utitur verbis praeceptivis in statuendis poenis ferendae sententiae » (can. 2223, § 3)

193. **In odium duellorum,** quo « detestabilis eorum usus, fabricante diabolo, introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex christiano orbe penitus extirpetur », quemadmodum Conc. Trid. voluit, [1] Codex retinet poenas ibidem statutas. Ibidem legitur: « si in ipso conflictu decesserint, careant ecclesiastica sepultura ». Hanc poenam Bened. XIV in const. « Detestabilem » [2] aggravavit sequenti modo, nempe: « incurrendam perpetuo fore, etiam ante sententiam iudicis, a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publice, sive privatim indictum fuerit, ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta poenitentiae signa dederit, atque a peccatis et censuris absolutionem obtinuerit ». Hanc postremam severitatem sustulit *can. 2351*, dum ita incipit § *1. Servato praescripto can. 1240*, § *1, n. 4°*. Ibi enim « ecclesiastica sepultura privantur: mortui in duello aut ex vulnere inde relato », sed absque limitatione posita fuit generalis exceptio: nisi ante mortem aliqua poenitentiae signa dederint ».

Antequam ulterius in commentario procedamus, aliquas notiones oportet praemittere claritatis causa. Duellum seu monomachia est « singulare certamen ex utraque parte sponte et ex condicto susceptum ». [3] Dividitur in publicum et privatum secundum verba Greg. XIII in const. « Ad tollendum » [4]: « Nos... considerantes duellum privatum non minus cruentum et animae et corporis noxium esse, quam quod publice perpetratur, auctoritate aplca. statuimus omnes illos qui ex condicto, statuto tempore et in loco convento, monomachiam commiserint, (nempe: privatum duellum), etiam si nulli patrini sociique ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullaeve provocatoriae litterae aut denunciationis chartulae praecesserint, censuris et poenis omnibus a dicto concilio propositis teneri, perinde ac si publico et consueto abusu certamen inivissent ».

Animadvertatur quoque manere nunc in vigore damnationes assertionum in hac materia prolatas a SS. Pontificibus Alex. VII et Innoc. XI, quas refert Bened. XIV in eius const. « Detestabilem » [5], necnon damnationem et proscriptionem quinque propositionum ibi

[1] Cap. 19, sess. XXV, de Ref. — [2] 10 Nov. 1752, § 9. — [3] Santi. Praelectiones, Lib. V, tit. XIV, n. 1. — [4] 5 Dec. 1852, § 1. — [5] 10 Nov. 1752, §§ 4 et 5.

decretas. Unde in illis etiam circumstantiis non excusantur delinquentes ab huius canonis poenis incurrendis.

Hos vero enumerat canon iisdem verbis ac const. « Apostolicae Sedis » Pii IX, omittens unicam clausulam « et quoslibet complices ». De hac perpendemus in commentario, an retineatur a Codice quoad sensum vel secus. Delinquentes igitur sunt sequentes: « a) *duellum* publicum vel privatum, (a quo differt pugna inter duos facta ex improvida contentione, vel rixa etiam cum lethali effectu), *perpetrantes*, idest: crimen illud exequentes, imo ante illud non sequutum, quod sic exprimitur b) *aut simpliciter*, videlicet: quamvis sciatur duellum non sequuturum, ac « etiamsi neque pugnae effectus, neque accessus ad locum sit subsequutus » (const. Bened. XIV, § 3), dummodo vere sint *ad illud* crimen *provocantes* per verba vel scripta duellum offerentes, vel per patrinorum missionem, etc. non solum ratione iniuriarum, quae ad illud pluries ducunt, *c*) *vel* subintellige « simpliciter », ut declaratum est verbum, *ipsum* « duellum » *acceptantes*. Omittens canon clausulam « et quoslibet complices » const.[s] « Apostolicae Sedis » Pii IX, innuit « in vigentem huc usque disciplinam opportunam immutationem afferre » (can. 6). Atque revera iuxta can. 2231 « si plures ad delictum perpetrandum concurrerint, licet unus tantum in lege nominetur, ii quoque de quibus in can. 2209, §§ 1-3, tenentur, nisi lex aliud expresse caverit, eadem poena ». Hinc sub canone quem commentamur comprehenduntur: d) « non solum mandans qui est principalis delicti auctor, sed etiam qui ad delicti consummationem (seu in casu duellum) inducunt, vel in hanc quoquo modo concurrunt,... si delictum sine eorum opera commissum non fuisset », ergo « complices » sub hac postrema conditione, *vel quamlibet* e) *operam* proprie dictam seu physicam, *aut* f) *favorem praebentes*, sed ex contextu ad « duellum » ipsum, non ad provocationem vel acceptationem. Absque dubio ergo manet extensio per Clem. VIII facta [1] ad « Socios, Patrinos » in duello, atque sub conditione litterae d) ad « suadentes..., equos, arma, pecuniam, commeatus et alia subsidia scienter subministrantes » ex const. « Ad tollendum » Greg. XIII, et vera sunt adhuc responsa S. C. S. Officii in Pictavien [2]. « 1. Potestne medicus rogatus a duellantibus duello assistere cum inten-

[1] Const. « Illius vices » XVI Kal. Septembris 1592. — [2] 28 Maii 1884. Collectanea S. Congr. de P. F. n. 1617.

tione citius finem pugnae imponendi, vel simpliciter vulnera ligandi ac curandi, quin incurrat excommunicationem Summo Pontifici simpliciter reservatam? 2. Potestne saltem, quin duello sit praesens, in domo vicina vel in loco propinquo sistere, proximus ac paratus ad praebendum suum ministerium, si duellantibus opus fuerit? 3. Quid de confessario in iisdem conditionibus? — R. Ad. 1. Non posse, et excommunicationem incurri. Ad 2 et 3 Quatenus ex condicto fiat, item non posse et excommunicationem incurri ».

Prosequitur canon: g) *nec non de industria,* « aut ex composito » (const. Greg. XIII), non casu, vel a longe accidentaliter ex curiositate, vel transeundo, *spectantes* h) *illudque* singulare *duellum permittentes*, v. gr. « volentes locorum domini » (const. Greg. XIII), *vel* i) *quantum in ipsis est*, etiam solummodo *non prohibentes,* ad quod ergo propter dominium vel auctoritatem vi canonis obligantur, et additur quoad omnes delinquentes, ast praesertim sub litteris, h) et i) ad normam Conc. Trid.: *cuiuscumque dignitatis sint*, scilicet: « imperator, reges, duces, principes, marchiones, comites et quocumque alio nomine, domini temporales ». Hi enim perpendant verba Bened. XIV in sua const. « Detestabilem » § 10: « Neque sibi, suaeque in Deum fidei, munerisque rationi fecisse satis intelligant, quod optime constitutis legibus, indictisque gravissimis poenis, horrendum scelus proscriptum sit; nisi accuratam ipsarum legum, poenarumque executionem graviter urgeant, ac promoveant, seque inexorabiles Dei vindices in eos, qui talia agunt, diligenter exhibeant ».

Omnes igitur supra declarati *subsunt ipso* uniuscuiusque *facto* et, si excipias delinquentes sub litteris b) et c) recensitos, cum duelli perpetratione, nam « ex receptis apud probatos auctores interpretationibus est (canon) aestimandus » (can. 6, 2°), scilicet: « uti docet D'Annibale *Comment. h. l.* quem sequuntur communiter alii commentatores » [1] imo et « poena lege statuta non incurritur, nisi delictum fuerit in suo genere perfectum secundum proprietatem verborum legis » (can. 2228), quae in canone duellum singulare ac patratum considerant et cum respectu ad illud conrei poenae subiiciuntur, videlicet: *excommunicationi Sedi Apostolicae simpliciter reservatae,* sicut in iure praecedente Codicem.

[1] Card. Lega. Praelectiones in textum Iuris canonici. Lib II, vol. IV, num. 52.

Manet quoque ex Conc. Trid. [1] poena, quam sic declarat § 2. *Ipsi vero duellantes* supra dicti ac declarati *et qui eorum patrini vocantur*, eo quod adstant ut conditiones duelli serventur, *sunt praeterea ipso* duelli *facto infames*, nempe « infamia iuris » ad normam can. 2293, § 2.

Interpretatio verbi « duellantes » declaratur in casibus per responsum S. C. C. proposito dubio: « An, a quibus et ex quonam titulo irregularitas contrahatur, quando duellum ea ratione committitur, quo his temporibus inter Germaniae Universitatis alumnos fieri solet in casu. Nam Sacra Congr. Concilii [2] rescripsit: *Affirmative, a duellantibus eorumque patrinis, ex infamia iuris* ». Etenim post promulgationem Codicis iuris canonici rediit dissensio inter canonistas, imo ipsas inter curias episcopales. Quare humillime ab Ordinario Ratisbonen. quaesitum fuit: « An haec resolutio Sacrae Congr. Concilii adhuc valeat. Et Emi. S. Congr.s Concilii Patres... respondendum censuere: *Affirmative*: » [3].

194. In libertatis tutelam quoad status clericalis vel religiosi susceptionem conditus est *can. 2352* partialiter referens [4] Concilii Tridentini decretum. « Anathemati Sancta Synodus subiicit omnes, et singulas personas, cuiuscumque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam clericos, quam laicos, saeculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes, si quomodocumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, praeterquam in casibus a iure expressis, (quae clausula, utpote inutilis fuit in canone omissa) ad ingrediendum monasterium vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque religionis, vel ad emittendam professionem; quique consilium, auxilium vel favorem dederint; quique scientes, eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel praesentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint ».

Hi conrei solummodo « eadem canonis poena tenentur » (can. 2231), de quibus in can. 2209, § 1, et nominatim sub § 3 « si delictum sine eorum opera commissum non fuisset ». Canon vero sic se habet: *Excommunicatione nemini reservata ipso facto efficaci*; nam « poena lege statuta non incurritur, nisi delictum fuerit

[1] Sess. XXV, cap. 19. de Ref. — [2] 9 Aug. 1890. — [3] 10 Febr. 1923, CO. XV, 154-156. — [4] Cap. 18, Sess. XXV, De Regular.s et monialibus.

in suo genere perfectum secundum proprietatem verborum legis » (can. 2228), *plectuntur* vi canonis huius *omnes* in Conc. Decreto distincti, *qualibet etiam dignitate* laica vel ecclesiastica *fulgentes*, sed « S. R. E. Cardinales sub (hac) lege (qua) poenali non comprehenduntur » ad normam can. 2227, § 2, *qui quoquo modo*, v. gr. minis, vi, metu gravi, auctoritatis usu, *cogant* proprie, idest: cum effectu, α) *sive virum*, qui « solus baptizatus sacram ordinationem valide recipit » (can. 968, § 1), *ad statum clericalem* ergo « per primam saltem tonsuram » (can. 108, § 1) *amplectendum* proprie, quod dici nequit in seq.[s] casibus: a) « ut inter clericos denuo admittatur » (can. 212), vel b) « metu gravi ordinem sacrum recipiat », vel ordinatus, qui c) aut « ab Episcopo ad superiores ordines recipiendos cogatur » adversum can.[s] 973, § 2 praescriptum, d) aut ad manendum in statu clericali, « vel e) canonice idoneum ab eodem statu clericali (etiam coacte) avertatur » contra normam can.[s] 971, ita ut sola primam huius canonis partem praesens canonis praescriptum respiciat. — Prosequitur canon: (supple: « qui quoquo modo cogant ») β) *sive virum* omissum in Conc.[i] Trid.[i] decreto *aut mulierem* « invitam » et secundum distinctionem ibi expressam, a) *ad religionem* quamlibet in can. 488, 1° definitam *ingrediendam* proprie tum « postulatu », tum « novitiatu » singillatim iuxta inscriptiones capitum I et II Tituli XI « de admissione in religionem » Lib. II, b) *vel ad emittendam* quamlibet *religiosam professionem* ceteroquin invalidam praescripto can.[s] 572, § 1, 4°, *tam sollemnem* in Ordinibus *quam simplicem* in illis vel Congregationibus, *tam perpetuam* in his *quam temporariam* in omnibus praedictis forsan propter temporis prorogationem praevii ad perpetuam professionem iuxta §[m] 2[m] can.[s] 574. — Quia « non licet poenam de persona ad personam vel de casu ad casum producere, quamvis par adsit ratio », canonis praescriptum non comprehendit professionem emittendam in societatibus communiter viventium more religiosorum, quamvis unum alterumve votum emittant.

Denique eo quod « in Codice nulla fit mentio,... tamquam abrogata habeatur » Decreti Tridentini altera pars, in qua « simili quoque anathemati subiicit (Concilium) eos, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem, veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine iusta causa impedierint ». Vim autem non amisit « lex iuris divini naturalis » (can. 6, 6°), qua fidelis

in suscipiendo statu est omnino liber, ita ut « non teneantur nec servi dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda, aut aliquo alio huiusmodi », ut probat D. Thomas [1].

195. **De raptoribus** et incendiariis et violatoribus ecclesiarum adest tit. 17, Lib. V Decretalium. In eo duplex raptus consideratur personarum et rerum. Hunc postremum Codex infra considerat, nunc vero alterum, qui sic in genere definiri potest: « violenta virginis vel alterius cuiuscumque honestae feminae abductio de loco eidem tuto in locum non tutum ». Cum vero duplici motivo talis raptus perpetrari possit, incipit hoc modo *can. 2353. Qui* subaudiendus vir ex contextu, a) *intuitu matrimonii* a se cum rapta contrahendi, ac perdurante raptu invalidi ad normam can.^{s} 1074, b) *vel explendae* cum ea *libidinis* propriae *causa rapuerit* iuxta definitionem supra datam per se vel per alium, cui mandatum dedit, vel mercede ad hoc conduxit, vel cum aliorum adiutorio, sed cum effectu perducendi eam in locum non tutum ipsi, quamvis diversum ab intento prius per raptorem, illudque sufficit « ut delictum sit in suo genere perfectum secundum proprietatem verborum legis » (can. 2228), nec refert an a) eadem « illum in virum habere consenserit » ad normam can. 1074, § 2, et matrimonium fiat vel non, b) an fuerit consecutus raptor effectum explendae libidinis vel secus.

Subditur obiectum raptus quando canon exprimit *mulierem* quamlibet, puberem vel impuberem, sed ultra septem aetatis annos, utpote a) *nolentem* ac tunc *vi* physica, nam vi morali fiunt actiones cum voluntate, *aut dolo,* nempe: deceptione, fallaciis eam circumveniendo, ad consequendum transitum in locum eidem non tutum. Nec sufficit quod « vir mulierem in loco ubi ea commoratur vel ad quem libere accessit, violenter (alterutra causa praedicta) retineat ». Quia in can. 1074, § 3 dicitur expresse: « quod ad matrimonii nullitatem attinet, raptui par habetur violenta retentio mulieris » illa, et huic praesentis canonis interpretationi obstat §^{us} 1, can.^{s} 2219 praescribens: « in poenis benignior est interpretatio facienda ». Id ipsum valet quoque pro sequenti.

Aliud obiectum raptus edicit canon sic prosequens: b) *vel mu-*

[1] II-II, q. CIV, art. 5, corp.

lierem supra declaratam *minoris aetatis*, nempe « infra vicesimum primum annum expletum » iuxta § 1m, can.s 88, etiamsi aliam mensuram lex civilis statuat, *consentientem quidem* in abductionem, quae proinde non est nisi apparenter violenta aut dolosa, *sed* hoc quatenus fit illa *insciis vel contradicentibus* (ac alterutrum sufficit) *parentibus aut tutoribus*, queis pro diversitate casuum subiiciatur.

Poena vero sic enuntiatur. Tam declaratus raptor, quam « ii quoque de quibus in can. 2209 §§ 1, 3,... si plures ad delictum (quodlibet in canone expressum) perpetrandum concurrerint » (can. 2231), unusquisque *ipso iure exclusus* est ac *habeatur* in foro quoque externo ob delicti naturam *ab actibus legitimis ecclesiasticis*, qui sub n.° 2°, can.s 2256 recensentur, *et insuper* seu cumulative cum poena illa vindicativa latae sententiae *aliis poenis* ex vindicativis vel medicinalibus *pro gravitate culpae* dimetiendae ex circumstantiis singulorum casuum *plectatur*. Poena equidem indeterminata (can. 2217, § 1, 1°), sed « lex utitur verbis praeceptivis » (can. 2223 § 3).

196. **De iniuriis et damno dato** est rubrica tit. 36 Lib.i V Decretalium. Iniuria in genere est « id quod fit contra iustitiam commutativam ». Praecipua divisio est, ut alia sit verbalis, alia realis [1]. Verbalis iniuria infertur, quando per verba detractionis, calumniae vel contumeliosa fama vel honor alterius laeditur. Ad hanc reducitur etiam libellus seu carmen famosum. Iniuria realis dicitur ea, quae aliquo facto infertur, quemadmodum si quis personam aggrederetur vel percuteret alapis aut verberibus, vel violenter alienam domum introiret, vel aliud ageret in contumeliam et in contemptum alienum.

In rubrica nomine damni intelligitur illud, quod quis alteri infert absque proprio commodo vel utilitate. Ex. gr. si quis domum alienam incendat, vestes laceret, etc. Codex delicta iniuriarium in genere plenius considerat, puniens ea, si verbalia, in can. subsequenti, atque *can. 2354* reales iniurias respicit sub distinctione delinquentis in duobus paragraphis.

§ *1. Laicus*, prout « in Ecclesia a clericis distinctus » (can. 107), sive vir sive mulier, *qui fuerit legitime* idest: a civili tribunali competenti atque iuxta leges uniuscuiusque nationis, non so-

[1] Santi. Praelectiones Iuris canonici. Lib. V, tit. XXXVI, num. 1, 2, 5.

lum processui iudiciali subiectus, sed *damnatus* quoque sententia *ob delictum* aliquem singularem a) *homicidii* quomodolibet patrati cum viri aut mulieris morte sequuta, b) *raptus* in praec. canone definiti, quolibet ex fine, *impuberum alterutrius sexus*, prout « masculus censetur infra decimum quartum, et femina infra duodecimum annum completum » (can. 88, § 2), c) dictae proprie *venditionis hominis*, « cuius appellatione tam feminam quam masculum contineri non dubitatur » [1], praecise *in servitutem* proprie sumptam iuxta hodiernam praxim *vel alium malum finem*, idest sic consequendum illius personae usum ab emptore, c) *usurae*, quatenus interesse exigatur ex mutuata pecunia ultra id quod lex saltem concedat, d) *rapinae*, seu violentae ablationis bonorum mobilium alienorum, e) *furti*, scilicet: similis ablationis absque violentia, sed invito rationabiliter domino, *qualificati* ob circumstantiam qua laedat aliam virtutem, v. gr. religionem, bonum commune patriae, etc. *vel non qualificati*, atque *in re*, non solum gravi, etiamsi absolute seu relative consideretur, sed *valde notabili*, quae proinde secundum se considerata sit huiusmodi, f) *incendii*, quatenus igne patratur damnum in rebus alienis v. gr. segetum, vel malitiose, non casu, vel ex culpa etiam gravi sed ex deliberata voluntate, *ac valde notabilis*, ut paulo ante fuit hoc verbum declaratum, *rerum* mobilium vel se moventium aut immobilium *destructionis*, ita ut inepta fiant earum usui, g) *gravis* damni personae tribus sequentibus modis: *mutilationis*, qua pars corporis proprium habens officium ab illo separatur, *vel vulnerationis*, quocumque fiat instrumento, *vel violentiae* per inclusionem, vel persecutionem vel iniustam vexationem personae, et hucusque diversa delicta enumerata fuerunt.

« Laicus » ergo ob aliquod horum delictum « damnatus » ut supra, *ipso iure* canonico *exclusus habeatur*, quin aliquis processus vel sententia Ecclesiae requiratur, a) *ab actibus legitimis ecclesiasticis* notis ex n.° 2° can.^s 2256, *et* cumulative b) *a quolibet munere, si quod in Ecclesia* uti societate *habeat*, et ne dicatur vane addita clausula sub littera b), munus recipiendum esset lato sensu comprehendens quoque recensita sub can. 1185, c) *firmo onere* iuris naturalis ex iustitia *reparandi damna*, quae privatis, personis moralibus, sive societatis civilis, sive ecclesiasticae ob talem delictum illata fuerint.

[1] L. 152 D. tit. XVI, L. 2.

Quia ex can. 120 § 1 « clerici in omnibus causis... apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent, » statuit consequenter § *2. Clericus vero* « per primam saltem tonsuram » (can. 108, § 1), sed interpretandus de quolibet viro aut muliere, cui competat ob diversos canones privilegium fori, *qui aliquod delictum commiserit de quibus* data fuit declaratio *in* § *1* sub diversis eius litteris, *a tribunali ecclesiastico* proindeque iudicialiter *puniatur* etiam in « locis particularibus ubi aliter (quoad fori privilegium) provisum fuerit » (can. 120 § 1). Etenim, *pro diversa reatus* tam ob qualitatem delicti quam ob quantitatem « dimetiendi » (can. 2196) *gravitate*, puniendus est vi huius canonis « clericus » minus vel magis, proindeque disiunctive a) *poenitentiis* ad normam capitis II sub Titulo X, b) *censuris* idest: aliqua earum, c) *privatione officii ac beneficii*, prout alterutrum possideat, d) *dignitatis* etiam minoris non exclusae, *et*, *si res ferat* ob delicti gravitatem fortassis ex circumstantiis ad normam can.[s] 2218 § 1, *etiam* d) *depositione*, quae nominanda erat, eo quod « infligi nequit, nisi in casibus iure expressis » (can. 2303, § 3). Valde notabilis est finalis clausula: *reus vero homicidii culpabilis*, idest: cum sufficienti deliberatione perpetrati directe vel indirecte, atque talis existimandus est etiam qui « in delictum concurrit ad normam can. 2209, §§ 1 et 3 », hic *degradetur*, quae poena est gravissima inter « peculiares clericorum poenas vindicativas », ut patet ex cap. II Tituli IX.

197. **De iniuriis verbalibus** in numero praec. definitis subditur *can 2355. Si quis* laicus vel clericus *non re*, idest: actionibus damnum inferentibus corpori, libertati vel bonis fortunae proximorum, *sed verbis vel scriptis vel alia quavis ratione* v. gr. picturis risum excitantibus, gestibus, etc. a) *iniuriam* cum honoris debiti laesione *cuiquam* clerico, vel laico, praesertim in dignitate constituto *irrogaverit*, proinde ex intentione atque cum effectu, *vel* b) praefatis modis *eius,* scilicet: cuiusquam ut supra, *bonam famam* seu communem existimationem saltem possessam *laeserit* detrahendo aut calumniando, *non solum potest* a) *ad normam can. 1618*, quatenus « iudex procedere potest dumtaxat ad instantiam partis; sed quandoque etiam ex officio », *1938* « ut actio criminalis instituatur » diverso modo, *cogi* per sententiam atque forsan cum censura *ad debitam* ex naturali iure ac humano *satisfactionem* honoris et famae *praestandam damnaque* ex iniuria et diffa-

matione orta *reparanda,* b) *sed praeterea*, idest: quamvis illa non remittantur ab offenso, *congruis* delicto *poenis* vindicativis *ac poenitentiis* forsan extraiudicialiter *puniri, non exclusa* uti superiore limite, *si de clericis* delinquentibus *agatur et casus* ratione suae gravitatis *ferat,* « habita ratione eorum quae attendi debent (can. 2218 § 1) in poenis decernendis », c) *suspensione* « ad tempus praefinitum, vel ad beneplacitum Superioris » (can. 2298, 2°) *aut remotione ab officio et beneficio,* quod clericus possideat, sed ad normam can. 2299. Postrema verba « ab officio vel beneficio » per se afficiunt remotionem, sed ex consequenti sequitur suspensionem intelligi posse ab his et ab ordinibus, utpote quae est minor poena in maiore quae exprimitur contenta.

198. **Contra bigamiae delictum.** — Ex iure praec. [1] habemus [1] quod « in matrimoniis contrahendis, non iuris effectus, sed animi destinatio attendatur: unde illum comitatur infamia, qui duas simul habet uxores », ad quod necesse est ex parte prioris matrimonii, ut fuerit validum et adhuc subsistat; ex parte vero secundi, ut scienter fuerit attentatum animo maritali. — Porro cum Conc. Trid. definierit [2]: « Si quis dixerit, licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit », Ecclesia iuris divini custos et vindex illam infamiam retinuit in *can. 2356. Bigami* « secundum propriam verbi significationem » (can. 18), (nam si quae habuerit plures viros, etsi gravius peccet, utpote raro invenienda, non consideratur humana lege), ac explicatio sequitur, *idest* viri *qui, obstante* proinde valido ac nondum soluto *coniugali vinculo, aliud matrimonium* scilicet: contractum matrimonialem, *etsi tantum civile, ut aiunt*, ac etiam hinc invalidum, a fortiori si coram Ecclesia, *attentaverint*, quia solum de facto non iure illud iniri potest, nec sufficit concubinatus, cum hoc nempe animo contubernium; praedicti « bigami » *sunt ipso facto* secundi attentati matrimonii, nec refert an consummatio alterutrius sequuta vel non fuerit, « sunt » *infames*, proinde « infamia iuris », quam iuridice exponit can. 2294. — Nec sistit canon addens: *et si*, factis *spreta Ordinarii* « proprii » (can. 94) *monitione,* ad quod haec praerequiritur implicite, *in illicito contubernio*, quia convictus inter eos non est coniugalis deficiente vero matrimonio, *persistant,* nempe:

[1] Cap. 4 « de bigamis non ordinandis » tit. 21, Lib. 1. — [2] Sess. XXIV de sacramento matr. can. 2.

post monitionem, *pro diversa reatus* etiam ex scandalo cum aliis circumstantiis mensuranda *gravitate*, disiunctive *excommunicentur* de qua graviori censura Conc. Trid. ait [1]: « Quamvis excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticae disciplinae, et ad continendos in officio populos valde salutaris; sobrie tamen, magnaque ciscumspectione exercendus est; cum experientia doceat, si temere... incutiatur, magis contemni, quam formidari, et perniciem potius parere, quam salutem », *vel personali interdicto*, cuius canonicos effectus recenset can. 2275, alterutra ergo censura, ut declaratum est, *plectantur* delinquentes bigamia. « Lex autem praeceptivis verbis loquitur » (can. 2223, § 3).

199. **De adulteriis et stupro** adest in Decretalibus titulus 16 Libri V.[1] Non solum haec delicta, sed omnia incontinentiae delicta persequitur Codex in reliquis huius Tituli ss. canonibus. Memor tamen quod « clerici debent sanctiorem prae laicis vitam ducere » (can. 124), laicorum praedicta crimina can. 2357 punit sub sequenti distinctione. § *1. Laici* baptizati, vir mulierve, *legitime* secundum ius patrium a competenti iudice *damnati* a) *ob delicta* sic appellata propter sanctionem poenalem huius canonis, *contra sextum* Decalogi praeceptum, sed praecise *cum minoribus*, qui an consentiant vel renuant parum refert, dummodo hi sint *infra aetatem sexdecim annorum* tam pueri quam puellae, atque illa sint de facto *commissa*, *vel* item « legitime damnati » b) *ob stuprum*, quod proprie est « illicita virginis defloratio », sed in sensu iuris habetur, quando mulier virgo vel vidua « vel oppressa vi, aut territa minis, aut seducta blanditiis et promissionibus passa fuerit deflorationem vel actum inhonestum completum » [2], ita quod ob seductionem dicitur simplex, cui contradistinguitur violentum, c) ob *sodomiam* nempe: venereorum usus erga indebitum sexum aut vas, d) ob *incestum* stricto sensu sumptum, quod est « illicitus concubitus inter consanguineos vel affines in gradu vetito ad contrahendum matrimonium existentes » [3], a quo secernitur incestus lato sensu comprehendens « illicitum concubitum inter personas habitum, quae impedimento dirimente detinentur ad contrahendum inter se matrimonium ». Nunc vero quia « in poenis benignior est interpretatio facienda » (can. 2219, § 1),

[1] Cap. 3 sess. XXV de ref. — [2] Santi. Praelectiones iuris canonici. Lib. V. tit. XVI, n. 6. — [3] Santi. Praelectiones iuris canonici. Lib. V, tit. XVI, n. 12.

« incestus » interpretandus est stricto sensu, eo magis quod de incestu ob impedimentum aetatis cavit supra canon, de incestu ob alia impedimenta sunt specialia canonum praescripta. Insuper « leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem » (can. 18), ac proinde verbum « incestus » stricto sensu, quia lato sensu acceptus includit actiones proprium nomen sacrilegii, adulterii habentes.

Denique sub enumeratione delinquentium contra canonem veniunt « laici legitime damnati » ob *lenocinium*, quod « facit qui quaestuaria (in libidinis usum) mancipia habuerit, sed et qui in liberis hoc quaestum exercet, in eadem causa est. Sive autem principaliter hoc negotium gerat, sive alterius negotiationis accessione utatur: ut puta si caupo fuit vel stabularius, et mancipia talia habuit ministrantia et occasione ministerii quaestum (supra dictum) facientia » [1]. — Singuli supra declarati a) *ipso* legitimae damnationis iam declaratae *facto infames sunt*, scilicet: « infamia iuris, quae iure communi statuitur » (can. 2293, § 2), etiamsi a iure civili sit aliena, et ultra « infamiam facti, quae ob patratum delictum » (can. cit. § 3) fortassis publicum ante sententiam, vel sequuta post damnationem ex iuris notorietate. Additque praesens canon *praeter alias poenas*, ut plurimum vindicativas communes, *quas* hic « indeterminatas » *Ordinarius* ad normam can. 198 § 1 *infligendas*, servato can. 2218, *iudicaverit* idest: censuerit forsan extra iudicium. Pro delictis omnibus huius canonis memorandum praescriptum can.[i] 2228: « poena lege statuta (seu infamiae) non incurritur, nisi delictum (v. gr. « incestum ») fuerit in suo genere (hoc est: quoad congressum) perfectum (saltem iuxta id quod prudenter praesumendum est), secundum proprietatem verborum legis », quae actus externos contra sextum quoslibet cum minoribus expressit.

§ 2. *Qui*, ut in § 1° « laici » ex contextu, a) *publicum adulterii*, quod « requiritur ad subeundas poenas » scilicet: patrati cum dolo seu animo violandi fidem coniugalem, eo quod tale vinculum cognoscatur, et cum actuali copula carnali, *delictum*, quod « iam divulgatum est aut talibus contigit seu versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri » (can. 2197,

[1] D. L. III, tit. II, l. 4.

§ 1°), et pariter si praefatum delictum notorium *commiserint*, verbum confirmans « adulterii » interpretationem propriam, *vel* b) *in concubinatu* id est « cum quis sive domi sive extra illicitum commercium carnale assidue exerceat » [1], dummodo sic delinquentes *publice*, ut supra fuit declaratum *vivant*, scilicet: talem consuetudinem non dereliquerunt definitive saltem de facto, *vel* c) *ob alia* nempe: sub §° 1° non taxative comprehensa, *delicta* ob sequentem sanctionem et iuxta definitionem in can. 2195 § 1 datam *contra sextum decalogi praeceptum*, prout a theologis explicatur ac non sola fornicatio stricte dicta, sed etiam contra naturam, *legitime fuerint damnati*, sicut haec clausula in §° 1° fuit declarata; hi, eo quod de facto damnationis huiusmodi constat, *excludantur*, nulla sententia ecclesiastica expectata, *ab actibus legitimis ecclesiasticis*, quorum « nomine significantur » ad can. 2256, 2° declarati, modo tamen pro singulis debito et a persona cui competat, *donec signa verae resipiscentiae dederint*, v. gr. per diuturnum discessum a loco ubi concubina fuit relicta, per eius evidentem derelictionem, per confessionem cum emendatione peractam, etc. Unde non sufficit quaelibet concubinatus interruptio, etsi proprie dici posset quod in eo non vivant.

Conc. Trid. etiam illa duo crimina §¹ 2¹ percutit in cap. 8 sess. XXIV « de Reformatione matrimonii » sic incipiens: « grave peccatum est homines solutos concubinas habere; gravissimum vero, et in huius magni sacramenti singularem contemptum admissum, uxoratos quosque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi, etiam cum uxoribus alere et retinere. Quare, ut huic tanto malo sancta Synodus opportunis remediis provideat, statuit huiusmodi concubinarios.... excommunicatione feriendos esse ». Postea dicitur: « mulieres, sive coniugatae, sive solutae, quae, cum adulteris seu concubinariis publice vivunt,..... graviter pro modo culpae puniantur », et alia subduntur. Cum vero harum poenarum « in Codice nulla fiat mentio, quamvis sint ferendae sententiae, tanquam abrogatae habeantur » (can. 6, 5°).

200. **De clericis contra sextum praeceptum delinquentibus** speciales conditi sunt canones. Et primo, quia « prima tonsura et ordines illis tantum conferendi sunt... quos merito coniicere

[1] Santi. Praelectiones iuris canonici. Lib. XV, tit. XVI, n. 11.

liceat aliquando dignos futuros esse presbyteros » (can. 973, § 1), consequens est quod praescribit *can. 2358. — Clerici in minoribus ordinibus constituti* et potiori causa, velut contenti sub eis prima solum tonsura initiati, *rei alicuius delicti*, prout hoc « intelligitur iure ecclesiastico », *contra sextum decalogi praeceptum*, quocumque modo « praecepti huius violatio sit externa et moraliter imputabilis » (can. 2195, § 1), nam hic addita est « sanctio canonica saltem indeterminata », dum prosequitur canon: *pro gravitate culpae puniantur*, atque velut specialis poena innuitur, *etiam dimissione e statu clericali*, quae simplici « loci Ordinarii decreto » ferri potest ad normam can. 211, § 2, *si delicti* ut supra declarati *adiuncta id suadeant*, quatenus « Ordinarius inde prudenter iudicaverit » quod in cit. §° exprimitur. Statutum canonis hucusque solum clericis aptatur, sed *praeter poenas de quibus in can. 2357* propter diversa delicta ibidem quoad eorum quoque delimitationes declarata sub utroque §°, *si* ob speciale peccatum contra sextum *his* « poenis » *locus sit.*

Datam interpretationem suadet cap. 13 « de vita et honestate clericorum » (III, 1) X. Sic dicit Innoc. III in Conc. Gen. « Ut clericorum mores et actus in melius reformentur, continenter et caste vivere studeant universi, praesertim in ss. ordinibus constituti, ab omni libidinis vitio praecaventes, maxime illo, propter quod venit ira Dei in filios diffidentiae, quatenus in conspectu omnipotentis Dei, puro corde ac mundo corpore, valeant ministrare. — Ne vero facilitas veniae, incentivum tribuat delinquendi, statuimus, ut qui comprehensi fuerint incontinentiae vitio laborare, prout magis aut minus peccaverint, puniantur (prout praescribit canon) secundum canonicas sanctiones,... ut quos divinus timor a malo non revocat, temporalis saltem poena cohibeat a peccato ».

201. **De clericis concubinariis et contra sextum sacrilegis.** — Conc. Trid. sit decrevit: [1] « Quia.... parochialium ecclesiarum rectores... alii propter eorum vitae turpitudinem potius destruunt, quam aedificant; Episcopi... eos, qui turpiter et scandalose vivunt, postquam praemoniti fuerint, coerceant ac castigent; et, si adhuc incorregibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis, iuxta

[1] Cap. 6, sess. XXI, de Ref.

sacrorum canonum constitutiones, exemptione et appellatione quacumque remota, privandi facultatem habeant ».

Alibi eadem S. Synodus generalius statuit, sic incipiens caput 14, sess. XXV de Ref.: « ...Quam turpe, ac clericorum nomine, qui se divino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitiae sordibus, immundoque concubinatu versari, satis res ipsa, communi fidelium omnium offensione, summopere clericalis militiae dedecore, testatur. Ut igitur ad eam, quam decet, continentiam ac vitae integritaten ministri Ecclesiae revocentur; populusque hinc eos magis discat revereri, quo illos vita honestiores cognoverit: prohibet S. Synodus quibuscumque clericis, ne concubinas, (prout in hoc canone 2359 et praec.), aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, (prout cautum est in can. 133, § 1), in domo, vel extra, detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant; alioquin poenis, a sacris canonibus, (prout quoad clericos minores in praec. canone), vel statutis ecclesiarum impositis, puniantur.

Quod si a superioribus moniti, ab iis se non abstinuerint; (et huic concordat can. 133 aiens in § 4: « contumaces praesumuntur concubinarii »), tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum suorum quorumcumque et pensionum ipso facto sint privati, quae fabricae ecclesiae, aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicetur. Sin vero in delicto eodem cum eadem, vel alia femina perseverantes, secundae monitioni adhuc non paruerint; non tantum fructus omnes, ac proventus suorum beneficiorum, et pensiones eo ipso amittant, qui praedictis locis applicentur, sed etiam a beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius... arbitrabitur, suspendantur; et si ita suspensi, nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam versentur; tunc beneficiis, portionibus quibuscumque ecclesiasticis perpetuo priventur ». Atque ordo similis procedendi decernitur in can. 2137, 3°.

In ultima vero parte Tridentini decreti ultimo citati scriptum est: « Clerici vero, beneficia ecclesiastica, aut pensiones non habentes, iuxta delicti, et contumaciae perseverantiam, et qualitatem, ab ipso episcopo carceris poena, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis, iuxta ss. canones, puniantur. Episcopi quoque, quod absit, si ab huiusmodi crimine non abstinuerint, et a Synodo provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sint suspensi: et si perseverent, etiam ad sanctis-

simum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur: qui pro qualitate culpae, etiam per privationem, si opus erit, in eos animadvertat ».

Omnes supra citatae poenae quatenus ipso facto incurrendae, « quarum in Codice nulla fit mentio, tamquam abrogatae habeantur » (can. 6, 5°). Insuper, quia « ipsius Romani Pontificis dumtaxat ius est iudicandi... in criminalibus Episcopos, etiam titulares », sequitur ex consequenti ab Ipso vel a S. Congr. Consistoriali, quae « vigilat super impletis vel minus obligationibus, quibus Ordinarii tenentur », peragendam esse monitionem vel urgendas esse poenas, de quibus loquitur *can. 2359*, quando illorum aliquis in delicta sequentia, quod Deus avertat, inciderit.

§ *1. Clericis in sacris*, nempe: « ordinum presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus » ex loco parallelo can.s 949, *sive saeculares*, prout a sequentibus discernuntur, *sive religiosi* « qui vota nuncuparunt in aliqua religione » (can. 488, 7°), sed uti completa illorum divisio sit, etiam in communi viventes sine votis, dummodo sint *concubinarii*, etsi non publice, prout illud verbum fuit in can.s 2357, § 2 explicatum, a) *monitione* unica *inutiliter praemissa*, eo quod emendatio vera non sequatur, b) *cogantur* per poenas recensendas et successive applicandas iuxta canones, qui de ipsis loquuntur, *ab illicito* imo et sacrilego *contubernio recedere*, mulierem eiiciendo e propria domo vel omnino non adeundo extra eam domum, *et scandalum*, quod ut plurimum facile aderit, *reparare* congruenter iudicio Ordinarii, qui utatur ad illum duplicem scopum *suspensione a divinis*, quae proprie censura erit, atque « vetat omnem actum potestatis ordinis quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet » (can. 2279, § 2, 2°, et quae omnibus supra dictis clericis applicari potest, dum sequens ad quosdam restringitur, videlicet: « cogantur » *privatione fructuum officii* « stricto sensu » (can. 145, § 1), *beneficii* ad normam can. 1409, *dignitatis* sic dictae ob praerogativam praecedentiae, *servato* in omnibus praefatis poenis *praescripto* quoad processum servandum *can. 2176-2181* in quibus gradus constituuntur circa quantitatis fructuum privationem, ac etiam privatio ipsius beneficii uti extrema poena decernitur. Imo dicitur « parochum praeter suspensionem a divinis (esse sub conditionibus ibi designatis) statim paroecia privandum » (can. 2177, 2°).

§ 2. *Si* « clerici in sacris », quemadmodum in §° 1°, a) *delictum* quamvis unum, sic dictum ob sequentem sanctionem et ad normam can. 2195, *admiserint* propriae consentientes cupiditati, etsi nostris temporibus inducti, *contra sextum decalogi praeceptum*, sed per factum, quia dicitur *cum minoribus* alterutrius sexus *infra aetatem sexdecim annorum*. Prosequitur canon sic enumerans delicta singularia: b) *vel adulterium* propter mulieris coniugale vinculum, b) *stuprum* in can.^s 2357, § 1° declaratum, c) *bestialitatem* hic memoratam, ne causa vitandae infamiae facti ad hanc repressa libido recurrat, d) *sodomiam* in loc. cit. declaratam, sicut etiam invenitur declaratum e) *lenocinium*, f) *incestum* sensu stricto imo solummodo *cum consanguineis aut affinibus in primo gradu*, tam lineae rectae quam collateralis, quia lex non distinguit, quales sunt mater, soror, filia, consanguineae; filia ex alio praevio matrimonio coniugis patris aut matris clerici, aut coniux proprii patris, fratris, filiive clerici. Notanda haec incestus determinatio in § 1, can.^s 2357 omissa, ex qua confirmatur interpretatio tunc data de incestu stricto sensu accipiendo, ac insuper omissio praedictae determinationis innuit incestum ibi accipiendum esse proprie ac in eadem extensione, prout a diversis iuris criminalis codicibus nationum damnatur.

« Si ergo clerici in sacris delictum » aliquod ex recensitis sub littera *b*), ac prout declaratum est, *exercuerint*, quod verbum indigitat unicum etiam actum, nec opus est talem delinquentem « legitime damnandum » esse, prout expressum fuit de laicis in loco supra citato; de illis « lex utitur verbis praeceptivis » (can. 2223, § 3) a) *suspendantur* « in perpetuum vel ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum Superioris » (can. 2298, 2°), remanente quod attinet ad hoc tempus, sicut etiam a qua re « suspendantur », poena « indeterminata » (can. 2217, § 1, 1°), b) *infames* « infamia facti » *declarentur*, scilicet: quia num illa contracta fuerit « iudicium spectat ad Ordinarium » (can. 2293, § 3), « infamia enim iuris illa est quae casibus iure communi expressis statuitur » (can.^e cit.°, § 2), et hoc deest in Codice, c) *quolibet officio* (can. 145, § 1) « stricto sensu », *beneficio* (can. 1409), *dignitate* supra in § 1° declarata, *munere*, idest: « officio ecclesiastico lato sensu » (can. 145, § 1), *si quod habeant*, *priventur* ad normam can.^s 2299, eiusque §^i 3^i salva limitatione, et *in casibus gravioribus* propter circumstantias *deponantur*, quae poena est in can. 2303 declarata.

Dicente canone « in casibus gravioribus » indigitatur, has distinctas poenas non esse cumulative accipiendas pro singulis delinquentibus, sed Superiorem iuxta prudentiam suam seligere debere inter eas, quin hoc impediat easdem posse multiplicari erga eumdem clericum propter multiplicationem delictorum eorumdem vel diversorum.

§ *3. Si aliter* ac designatum manet in duobus paragraphis, *contra sextum decalogi praeceptum,* v. gr. fornicatione, sollicitatione ad turpia, mollitie, tactibus impudicis, vel colloquutionibus huiusmodi *deliquerint* proprie iuxta can. 2195 ob sanctionem indeterminatam huius paragraphi, *congruis poenis,* sive medicinalibus, sive vindicativis, sive remediis poenalibus aut poenitentiis, *coerceantur* ab illorum delictorum perpetratione, *non excepta,* uti superiori limite, *officii vel beneficii* « secundum verborum proprietatem » strictam *privatione,* debite procedendo secundum canones, *maxime* quoad poenam et processum alterutrum titulorum XXVII et XXVIII Lib. IV, *si curam animarum gerant.* Quae clausula intelligatur quoque de vicariis paroecialibus quibuslibet.

TITULUS XV.

De crimine falsi.

Can. 2360. - § 1. Omnes fabricatores vel falsarii litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae vel iisdem litteris, decretis vel rescriptis scienter utentes incurrunt ipso facto in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam.

§ 2. Clerici delictum de quo in § 1 committentes aliis poenis praeterea coerceantur, quae usque ad privationem beneficii, officii, dignitatis et pensionis ecclesiasticae extendi possunt; religiosi autem priventur omnibus officiis quae in religione habent et voce activa ac passiva, praeter alias poenas in propriis cuiusque constitutionibus statutas.

Can. 2361. - Si quis in precibus ad rescriptum a Sede Apostolica vel a loci Ordinario impetrandum fraude vel dolo verum reticuerit aut falsum exposuerit, potest a suo Ordinario pro culpae gravitate puniri, salvo praescripto can. 45, 1054.

Can. 2362. - Litterarum vel actorum ecclesiasticorum tam publicorum quam privatorum fabricatores vel falsarii vel huiusmodi documentis scienter utentes, pro gravitate delicti coerceantur, firmo praescripto can. 2406, § 1.

Can. 2363. - Si quis per seipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud Superiores falso denuntiaverit, ipso facto incurrit in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam, a qua nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi ac diuturna poenitentia, firmo praescripto can. 894.

200. **Inscriptio Tituli et canonum ordo.** Illa est rubrica Tituli XX, Lib. V Decretalium. Attamen non habet eamdem rubricae amplitudinem, ut patebit, quamvis dicendo *De crimine* loco verbi « delicto » *falsi*, patet legislatorem tribuisse huic inscriptioni sensum disciplinae praecedentis.

Crimen falsi definiebatur « immutatio veritatis dolo malo, seu animo decipiendi facta in fraudem iniustam alterius ». Ita Santi [1]. Communiter tradebant Doctores crimen falsi committi dicto, scripto, facto, usu. Facto falsarii, qui quoad nummos publicos et negotiationes tales sunt, omittuntur in Codice. Illud vero crimen patrantes verbo dici queunt illi de quibus sunt can. 2361, 2363, dum falsarii scripto et usu aliis duobus ss. canonibus (2360, 2362) percelluntur.

Modi quibus falsum scripto committi potest contra litteras S. Sedis ad sequentes reducuntur. « Ut scilicet vel prorsus falsae confingantur, vel genuinae corrumpantur in parte substantiali, vel sigillum adimatur aut propria auctoritate addatur, vel abrupto filo connexionis nova folia inserantur. Corruptarum et falsarum Litterarum Apostolicarum indicia (quae ad cetera Acta extensive possunt aptari) summat Glossa in cap. 5 huius tit. ad verbum *Falsitatis:* « Forma, stylus, filum, membrana, litura, sigillum. Haec sex falsata dant scripta valere pusillum »

Acta Sanctae Sedis a tali delicto praemuniuntur in can. 2360, ita ut ex parte oratoris vitia in precibus coercentur a can. 2361. Crimen falsi ad alia documenta quod attinet sub can. 2362 sanctionem obtinet, et falsa denunciatio confessarii damnatur in can. 2363, quod crimen se refert ad ea delicta de quibus tractat titulus hunc sequens.

201. **Quoad Acta S. Sedis** inveniuntur in const. « Apostolicae Sedis » Pii IX [2] duae excommunicationes latae sententiae. Primae « speciali modo Romano Pontifici reservatae subiacere declarantur: ...IX. Omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum: nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam

[1] Praelectiones iuris canonici tit. XX, lib. V, num. 14. — [2] 12 Octobris 1869.

in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum ». Alteri correlativae sed « Episcopis sive Ordinariis reservatae subiacere declarantur: ... III. Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes ».

Omissa cooperatione, quatenus haec non comprehendatur in canone nunc explanando propter can. 2231, ceterae actiones delictum falsi adhuc constituunt, rei vero falsitatis quamplures inveniri queunt ratione actorum quae falsificantur, vel sic in usum adhibentur. Imo una et eadem excommunicationis sententia relinquitur, quae ad usum quoque criminosum extenditur.

Sic redactus est *can. 2360.* — § *1. Omnes,* etiam in qualibet dignitate constituti, aut Episcopi, exceptis S. R. E. Cardinalibus (can. 2227, § 2), a) *fabricatores*, eo quod sequentia documenta fingantur uti vera, non iam quod referantur velut existentia, b) *vel falsarii,* diversis modis ad Capitis inscriptionem declaratis, verarum a) *litterarum* in forma Bullae, Brevis, Encyclicae, Epistolae a Summo Pontifice subsignatae per Secretariam, b) *decretorum*, quae sponte solent dari *vel* c) *rescriptorum*, quae precibus subsequuntur, *Sedis Apostolicae* ad normam can. 7, ac proinde non solum singula documenta per S. R. E. Cancellarium vel eius vices-gerentem vel per Card. Secretarium Status, sed etiam per Moderatores dicasteriorum subscripta, dummodo veniant proprie sub illis denominationibus. Notetur vero quod nomen « litterarum » proprie atque ex iure praecedenti ad Litteras Apostolicas est restrictum, hinc ad normam can. 19, cum hi canones qui « poenam statuunt, strictae subsint interpretationi », excludi debent a canonis praescripto Instructiones, epistolae S. Congregationis ad singulos, decisiones controversiarum, sententiae iudiciales, etc.

Alii sunt delinquentes nunc severius puniti, quos ita canon describit: c) *vel iisdem* falsi vitio declarato infectis a) *litteris,* b) *decretis vel* c) *rescriptis,* prout haec declarata fuerunt, « omnes » ut in initio, *scienter* quod tales sint, *utentes* ad eorum scopum. Appliceturque huic tantum parti praescriptum § 2 can.ⁱ 2229.

Praedicti singuli sub litteris a) b) c) *incurrunt ipso facto in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam* (can. 2253, 3°).

Interpretationem verbi « Omnes » confirmat § *2. Clerici* (ca-

non 108, § 1) aliquod *delictum* falsitatis vel usus *de quo* actum fuit *in § 1 committentes aliis poenis* « vindicativis peculiaribus ipsorum » (can. 2298), *praeterea,* quia sub cit.° praescripto comprehensi, *coerceantur,* ne quid ulterius attentent, *quae* poenae ferendae sententiae « indeterminatae » *usque ad privationem* sub n.° 6° can.^s 2298 *beneficii* (can. 1409), *officii* « stricto sensu » (can. 145, § 1), *dignitatis vel pensionis,* uti supremum gravis poenae limitem, *extendi possunt; religiosi autem,* sive « clerici » sive laici, « qui vota nuncuparunt in aliqua religione » (can. 488, 7°), « praeterea » ut declaratum est hoc verbum, atque « determinata poena ferendae sententiae » *priventur* a) *omnibus officiis* etiam « lato sensu » iuxta significationem huius privationis in iure canonico usitatam, *quae in religione habent,* b) *et voce activa et passiva, praeter alias poenas* ipso facto vel cum Superioris interventu incurrendas *in propriis cuiusque* religionis propriae *constitutionibus* ad can. 489 declaratis *statutas.*

202. **In subreptione vel obreptione quoad rescripta** delictum existere constituit *can. 2361.* « Verbum hoc *si quis* tam masculos quam feminas complectitur » [1], imo et in canone illos etiam, « qui rescripta impetrare expresse prohibentur » (can. 36, § 1), dummodo a) *in precibus* b) *ad rescriptum* proprie dictum *a Sede Apostolica* ad normam can. 7, *vel a loci Ordinario* quolibet, non vero si a Superiore maiore religionis clericalis exemptae fuerit *impetrandum,* quatenus intenditur, etsi de facto non impetretur, c) *fraude vel dolo,* nempe scienter ad decipiendum, non autem si ex ignorantia vel simplicitate, d) *verum* « alioquin necessario exprimendum » (can. 45) *reticuerit, aut falsum* quoad facti speciem vel causas *exposuerit, potest a suo* cui subiiciatur *Ordinario* ad normam can. 198, § 1, et forsan a Superiore maiore, si orator sit religiosus exemptus religionis clericalis, *pro culpae gravitate,* quae tum ex fraude vel dolo, tum ex momento gratiae obtinendae, tum ex qualitate delinquentis pendet, *puniri,* ac proinde « committitur prudentiae et conscientiae (Superioris) eam (poenam indeterminatam) infligere » (can. 2223, § 2).

Praescriptum canonis est servandum, sive rescriptum forsan obtentum valeat, sive invaliditate laboret, eo quod sic explicit: *salvo*

[1] D. lib. L, tit. XVI, l. 1.

praescripto can. 45, secundum quod « valent quidem (rescripta cum clausula Motu proprio), si in precibus reticeatur veritas alioquin necessario exprimenda, non tamen si causa finalis eaque unica proponatur », et can.[s] *1054* praescripto, propter quod « dispensatio a minore impedimento (matrimonii) concessa, nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur ».

203. **Circa alia documenta ecclesiastica** cavet *can. 2362. Litterarum,* nempe scriptarum sub forma epistolae vel contractus vel alia parum refert, *vel actorum ecclesiasticorum*, quatenus haec a Curiis vel notariis ecclesiasticis conduntur, illae in Ecclesiae usum transeunt ad archiva, et quae omnia postea vocantur « documenta », *tam publicorum*, quae « ecclesiastica et civilia sunt » recensita in can. 1813, §§ 1, 2, *quam privatorum* in can.[s] cit.[1] § 3 descriptorum, a) *fabricatores vel* b) *falsarii*, ut initio can. 2360 haec verba fuerunt declarata, *vel* c) *huiusmodi* nempe falsi vitio laborantibus *documentis scienter utentes,* non secus ac id manet declaratum in can. cit.[0]; horum singuli *pro gravitate delicti coerceantur*, ad normam igitur can.[s] 2223, § 3.

Sic explicit canon: *firmo praescripto can. 2406*, § *1,* de officialibus quibusdam et parochis, in quos poena determinata statuitur propter delictum falsi, nempe: « suo officio (unusquisque) privetur, aliisve (insuper) gravibus poenis ab Ordinario pro modo culpae puniatur ».

204. **Contra delictum falsae denunciationis de crimine sollicitationis.** — Sub n. 6 Instructionis Congr.[s] S. Officii [1] legitur: « Denunciationes anonymae contra sollicitantes ad turpia nullam vim habent; denunciationes enim fieri debent in iudicio, nempe coram Episcopo eiusve delegato cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes teneat, et cum iuramento, et cum expressione et subscriptione sui nominis; nec sufficit si fiat per apochas vel per litteras sine nomine et cognomine auctoris ». Illae igitur denunciationes iudiciales, si falsae fuerint, constituunt « unicum peccatum ratione sui reservatum Sanctae Sedi » (can. 894). Non sic dicendum de aliis supradictis denunciationibus, si falsae sint, nec idem videtur asserendum eadem sub falsitatis conditione de illis denunciationibus, quarum mentionem fecit Instr. S. Congr. de Prop. Fide [2]

[1] 20 Febr. 1886. Collect. S. Congr. de P. F. n. 1282. — [2] 26 Aug. 1775. Collect. S. Congr. de P. F., n. 509.

ad Vic. Ap. Cocinc. extensa ad omnes Vic.[s] Apostolicos in litt.[s] encycl.[s] eiusdem Congregationis [1]. — Haec habentur in illa Instructione: « Huiusmodi denunciationes tibi tanquam Superiori iurisdictionem habenti secreto deferri debent, neque a nemine omitti possunt absque culpa lethali ». Nec tamen additur peccatum huiusmodi reservatum esse. — « Acceptis per te, uno vel altero modo (scilicet: « ut personae sollicitatae ad tuam audientiam accedant, ut rite deferant suas denunciationes » vel « per delegatum ad eas recipiendas, aliquem sacerdotem probatae fidei, qui tamen non sit de ipsa sollicitatione vel suspectus vel denunciatus ») denunciationibus, quae semper esse debent iuramento firmatae, earum pondus qualitates et circumstantias serio et accurate perpendas necesse est... etc. ».

Cum vero difficillimum sane erit, in his tam dissitis et disparatis regionibus, haec omnia (ibi praedicta) adamussim servare, et cum, si aliqua ex his omittantur, iustitia non patiatur ut poenae infligantur adversus reos de quorum crimine tali pacto adhuc sufficienter non constat, tunc consultius fortasse ages, si in huiusmodi causis extra iudicii ordinem procedas ad occurrendum tanto malo mediis et modis magis facilibus et expeditis, quos tibi suggeret in casibus particularibus tua perspecta prudentia cum animarum zelo coniuncta, et cura quam debes habere praecipuam de conservanda pace et concordia inter operarios apostolicos, praesertim diversi Instituti et nationis ».

Ut ergo falsas omnes huiusmodi denunciationes omnino scelestas puniret S. Mater Ecclesia efficacius condidit novum canonem sub « Titulo de crimine falsi » ultimum, hic explicandum. *Can. 2363. Si quis*, vir aut mulier, clericus, laicus, vel religiosus, a) *per seipsum* b) *vel per alios,* forsitan per sacerdotem delegatum, aut minis, praecepto, suasione, hos inducens, a) *confessarium,* scilicet: iurisdictione sacramentali, ut apparebat, praeditum, b) *de sollicitationis crimine* explicato ad can. 904, c) *apud Superiores* equidem ecclesiasticos, etiamsi non uti iudices, d) *falso denuntiaverit,* eo quod tale crimen non existat, *ipso facto* huiusmodi denunciationis, praecisione facta ab eiusdem efficacia, et effectu non sequuto, *incurrit in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae re-*

[1] 25 Iul. 1883. Collect cit., n. 1604.

servatum, imo ad eiusdem absolutionem quod attinet. non abs re cavetur: *a qua nequit ullo in casu absolvi*, etiam ab eo qui hanc obtinuit facultatem vel absolutionis commissionem, *nisi*, prouti naturale ius exigit, ab Ecclesia determinatum sic: a) *falsam denunciationem formaliter*, confitens falsam esse, *retractaverit*, b) *et damna, si qua inde secuta sint* propter inflictas poenas, et forsan ob diminutionem famae confessarii, *pro viribus*, seu quantum possibile sit, *reparaverit*, ut in conscientia obligatur, c) *imposita insuper* per absolventem (ultra praedicta) facienda *gravi* in se *ac diuturna* quoad durationem vel iterationem *poenitentia;* monetque canon iuxta interpretationem datam: *firmo praescripto can. 894.* — Nempe: in casibus denunciationis apud iudices ecclesiasticos vim habentis, peccatum est semper Sanctae Sedi reservatum, quamvis ab hac censura forsitan delinquentem « excuset ignorantia legis aut solius poenae, si non fuerit crassa vel supina » (can. 2229, § 3, 1°), ita ut non vigeat pro eodem casu norma can. 2246, § 3: « verum si quis a censura excusatur vel ab eadem fuit absolutus, reservatio peccati penitus cessat ».

TITULUS XVI.

De delictis in administratione vel susceptione ordinum aliorumque Sacramentorum.

Can. 2364. - Minister qui ausus fuerit Sacramenta administrare illis qui iure sive divino sive ecclesiastico eadem recipere prohibentur, suspendatur ab administrandis Sacramentis per tempus prudenti Ordinarii arbitrio definiendum aliisque poenis pro gravitate culpae puniatur, firmis peculiaribus poenis in aliqua huius generis delicta iure statutis.

Can. 2365 - Presbyter qui nec a iure nec ex Romani Pontificis concessione facultatem habens sacramentum confirmationis ministrare ausus fuerit, suspendatur; si vero facultatis sibi factae limites praetergredi praesumpserit, eadem facultate eo ipso privatus existat.

Can. 2366. - Sacerdos qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit sacramentales confessiones audire, est ipso facto suspensus a divinis; qui vero a peccatis reservatis absolvere. ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus.

Can. 2367. - § 1. Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi incurrit ipso facto in excommunicationem specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam; idque etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo. possit excipere morientis confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri.

§ 2. Eandem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem qui peccatum quidem complicitatis. a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est.

CAN. 2368. - § 1. Qui sollicitationis crimen de quo in can. 904, commiserit, suspendatur a celebratione Missae et ab audiendis sacramentalibus confessionibus vel etiam pro delicti gravitate inhabilis ad ipsas excipiendas declaretur, privetur omnibus beneficiis, dignitatibus, voce activa et passiva, et inhabilis ad ea omnia declaretur, et in casibus gravioribus degradationi quoque subiiciatur.

§ 2. Fidelis vero, qui scienter omiserit eum, a quo sollicitatus fuerit, intra mensem denuntiare contra praescriptum can. 904, incurrit in excommunicationem latae sententiae nemini reservatam, non absolvendus nisi postquam obligationi satisfecerit aut se satisfacturum serio promiserit.

CAN. 2369. - § 1. Confessarius, qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserit, manet excommunicatio specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata; qui vero indirecte tantum, obnoxius est poenis, de quibus in can. 2368, § 1.

§ 2. Quicunque praescriptum can. 889, § 2 temere violaverit, pro reatus gravitate plectatur salutari poena, quae potest esse etiam excommunicatio.

CAN. 2370. - Episcopus aliquem consecrans in Episcopum, Episcopi vel, loco Episcoporum, presbyteri assistentes, et qui consecrationem recipit sine apostolico mandato contra praescriptum can. 953, ipso iure suspensi sunt, donec Sedes Apostolica eos dispensaverit.

CAN. 2371. - Omnes, etiam episcopali dignitate aucti, qui per simoniam ad ordines scienter promoverint vel promoti fuerint aut alia Sacramenta ministraverint vel receperint, sunt suspecti de haeresi; clerici praeterea suspensionem incurrunt Sedi Apostolicae reservatam.

CAN. 2372. - Suspensionem a divinis, Sedi Apostolicae reservatam, ipso facto contrahunt, qui recipere ordines praesumunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, haeretico, schismatico; qui vero bona fide a quopiam eorum sit ordinatus, exercitio careat ordinis sic recepti donec dispensetur.

CAN. 2373. - In suspensionem per annum ab ordinum collatione Sedi Apostolicae reservatam ipso facto incurrunt:

Titulus XVI. De delictis in administratione vel susceptione ordinum aliorumque Sacramentorum —

- — quorumlibet — Can. 2364
- — nempe: —
  - — Confirmationis collatae — » 2365
  - — Poenitentiae —
    - — sine necessaria iurisdictione — » 2366
    - — quoad complicis absolutionem — » 2367
    - — ob sollicitationem — » 2368
    - — contra scientiam ac ob scientiam inde habitam — » 2369
  - — Ordinis —
    - — circa Episcopalem consecrationem — » 2370
    - — in quibuslibet gradibus
      - — ac sacramentis per simoniam — » 2371
      - — propter conditiones —
        - — ordinantis — » 2372
        - — ordinati —
          - — ab administro — » 2373
          - — a suscipiente — » 2374
  - — matrimonii mixti sine Ecclesiae dispensatione — » 2375

1° Qui contra praescriptum can. 955, alienum subditum sine Ordinarii proprii litteris dimissoriis ordinaverint;

2° Qui subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, ordinaverint contra praescriptum can. 993, n. 4, 994;

3° Qui aliquem ad ordines maiores sine titulo canonico promoverint contra praescriptum can. 974, § 1, num. 7;

4° Qui, salvo legitimo privilegio, religiosum, ad familiam pertinentem quae sit extra territorium ipsius ordinantis, promoverint, etiam cum litteris dimissorialibus proprii Superioris, nisi legitime probatum fuerit aliquem e casibus occurrere, de quibus in can. 966.

Can. 2374. - Qui sine litteris vel cum falsis dimissoriis litteris, vel ante canonicam aetatem, vel per saltum ad ordines malitiose accesserit, est ipso facto a recepto ordine suspensus; qui autem sine litteris testimonialibus vel detentus aliqua censura, irregularitate aliove impedimento, gravibus poenis secundum rerum adiuncta puniatur.

Can. 2375. - Catholici qui matrimonium mixtum, etsi validum, sine Ecclesiae dispensatione inire ausi fuerint, ipso facto ab actibus legitimis ecclesiasticis et Sacramentalibus exclusi manent, donec ab Ordinario dispensationem obtinuerint.

205. **Inscriptio Tituli et mutua canonum ordinatio.** — *Titulus XVI* est, qui directam connexionem cum Commentario « De Sacramentis » exprimit ipsa inscriptione: *De delictis,* quae in can. 2195, § 1 definita fuerunt, a) *in administratione,* quae proinde in ministro puniuntur, etsi ratio illorum in suscipientis defectibus inveniatur, b) *vel susceptione,* videlicet: quorum reus est suscipiens sacramentum, quamvis delicti causa sit tantum propter electi qualitates ministri, ob quas hic est prohibitus sacramentum ministrare, *ordinum* in ampliori significatione ad normam can. 950, *aliorumque sacramentorum,* tum omnium comprehenso etiam ordine, tum singulariter confirmationis, poenitentiae ac matrimonii mixti sine dispensatione. — Delicta quae sub hoc titulo recensentur, quandoque solummodo in ministro vel subiecto puniuntur, quandoque simul in utroque, nec aliena sunt ab hoc titulo alia delicta, quae ab his committuntur, ac habent relationem aliquam cum sacramentis, sed extra ipsorum administrationem ab illorum alterutro patrantur. Ordo ergo conveniens talis est. Primus occurrit can. 2364 de quibuslibet sacramentis pertractans, ceteri servatum in Codice sacramentorum ordinem sequuntur, et quidem can, 2365 est de confirmatione, can. 2366-2369 de poenitentiae sacramento, quocum relationem habent delicta in ministro ob iurisdictionis defectum illiusve usum erga determinatam personam, nempe: complicem, ob sollicitationem ministri et negligentiam sequutam poenitentis, ultimo in fractione sigilli vel sine illa ob usum scientiae sic obtentae. Delicta demum respectu ad Ordinis sacramentum, tum in ministro, tum in promoto,

diversimode puniuntur, ac primo in episcopali consecratione per can. 2370, in quibuslibet autem gradibus tum can. 2371, qui punit simoniam etiam circa cetera sacramenta commissam, tum propter conditiones sive ordinantis in can. 2372, sive ordinati; sed huius causa in can. 2373 puniuntur ministri, in canone autem 2374 ipsius suscipientis delicta.

206. **Delicta quae in quorumlibet sacramentorum ministerio accidere possunt** sic puniuntur, ut in quo quis peccavit, poenae onus sustineat. *Can. 2364. Minister*, sive ordinarius, etsi cum alterius licentia, sive extraordinarius, non alia persona, *qui ausus fuerit*, « quae verba plenam cognitionem ac deliberationem exigunt » (can. 2229), *Sacramenta* quaecumque etiam semel *administrare illis*, hominibus quibuslibet, *qui iure*, quod exprimatur scripto vel consuetudine, a) *sive divino* ratione illud condentis, tum naturali v. gr. mutis sacramentum ordinis, tum positivo v. gr. extremam unctionem cuilibet non graviter infirmo, *sive ecclesiastico* v. gr. excommunicato quodlibet sacramentum, *eadem* singula sacramenta *recipere prohibetur,* ita ut illa reciperent saltem illicite, aut etiam invalide, *suspendatur ab administrandis sacramentis* illis vel omnibus *per tempus prudenti* scilicet: circumstantias casuum ponderantis *Ordinarii* proprii vel ad normam can. 111 et seq., vel « Superioris maioris in religionibus clericalibus exemptis » (can. 198, § 1) *arbitrio definiendum,* quae suspensio poena est vindicativa ad normam can. 2298, n. 2°, in qua « determinata » poena statuenda « lex utitur » sicut in seq.s « indeterminatis » (can. 2217, § 1, 1°), « verbis praeceptivis » (can. 2223, § 3), nempe: *aliisque poenis pro gravitate culpae,* quae necessaria est ac non sufficienter sit per suspensionem correpta, *puniatur,* quae norma generalis supplet pro casibus, qui per ss. canones non considerentur singillatim, prout indicat sequens clausula: *firmis* a) *peculiaribus poenis* b) *in aliqua huius generis* (administrationis sacramenti subiecto prohibito) *delicta* proprie *iure* praesertim communi, sed particulari quoque *statutis.*

207. **Contra presbyterum qui confirmationem invalide ministret.** — S. Congr. de Prop. Fide [1] quamdam ibi citatam conventionem approbans mandavit: « Sacerdotes vero rutheno-catholici

[1] 6 Oct. 1863 C. a. Collectanea S. C. de P. F. n. 1243.

proli ad latinum ritum spectanti sacramentum Baptismi in iisdem commemoratis casibus administrantes, etiam Confirmationis sacramentum conferre nullatenus audeant, sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrendae, salvis aliis poenis arbitrio Episcopi infligendis ». Huic Decreto par est novus *can. 2365. Presbyter,* quamvis officio beneficioque ecclesiastico careat, qui nec charactere sit « ordinarius confirmationis minister » (can. 782, § 1), nec « extraordinarius minister » (ib. § 2), utpote quod a) *nec a iure* « communi » b) *nec ex Romani Pontificis concessione* fortassis per aliquod officium « Sedis Apostolicae » *facultatem habens* iuxta illius canonis commentarium, *sacramentum confirmationis ministrare,* invalide quidem, sed « per manus impositionem cum unctione chrismátis in fronte et per verba in Pontificalibus libris ab Ecclesia probatis praescripta » (can. 780), imo quamvis subiecto iam confirmato, haec enim non tollunt nec minuunt delictum usurpationis actus episcopalis, propter quam usurpationis conscientiam subditur: *ausus fuerit,* (« verba, quae plenam cognitionem ac deliberationem exigunt »), (can. 2229, § 2); sic, ut dictum est, delinquens *suspendatur,* scilicet: eo quod « lex utatur verbis praeceptivis » (can. 2223, § 3), « a divinis » suspendendus est, non « ab officio, a beneficio, a iurisdictione » (can. 2278, 2279), quae vi presbyteratus non habet; *si vero* « presbyter » ut supra « extraordinarius minister » existens *facultatis sibi factae* confirmationem ministrandi *limites praetergredi,* ac invalide agentem usurpare praefatum episcopi ministerium, tunc in quo hic peccavit iuste sic punitur, dummodo illud *praesumpserit,* et proinde « quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus (excepta ignorantia affectata) sive ex parte voluntatis eximit » cum « a poena latae sententiae » (can. 2229, § 2), nempe: *eadem facultate* « sibi facta » *eo ipso* « limites praetergrediendi » modo explicato *privatus existat,* quapropter absque ulla declaratione incideret in posterum, si iterum confirmaret, sub prima canonis parte, quae, ut vidimus, per Superioris auctoritatem urget irregularitatem incursam « ex delicto ponendi actum ordinis absque eo ordine » (can. 985, 7°).

208. **Delicta in iurisdictionis sacramentalis usurpatione.** — *Can. 2366. Sacerdos,* sive cleri saecularis, sive religiosi, non Episcopus, quia « Episcopi sub poenis latae sententiae suspensionis », ut infra, « non comprehenduntur » (can. 2227, § 2), sed presbyter.

qui ratione ordinis « est minister sacramenti poenitentiae » (can. 871), proindeque ob sequens delictum non incurrit irregularitatem citatam in can.[e] praec.[1], *qui* attamen *sine necessaria* ob can. 872 *iurisdictione,* sive ordinaria ad normam can. 873, sive delegata ad normam can. 874 « ad recipiendas confessiones quorumlibet sive saecularium sive religiosorum » virorum, vel ad normam can. 875 pro recipiendis confessionibus quorumdam ex illis, vel ad normam can. 876 « ad confessiones quarumcumque religiosarum ac noviliarum valide et licite recipiendas », *praesumpserit,* unde « quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus » (excepta ignorantia affectata), v. gr. quia putat erronee habere iurisdictionem, quia ignorat cessationem ipsius, vel dubitat de revocatione, « sive ex parte voluntatis eximit a subsequenti poena » (can. 2229, § 2), *sacramentales confessiones audire,* quod iam est illius iurisdictionis exercitium in cognoscenda causa iudicanda, quamvis absolutionem non impertiatur, *est ipso facto* peccandi graviter in praefata etiam unius confessionis auditione, *suspensus a divinis,* quae suspensio vetat « omnem actum potestatis ordinis quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet » (can. 2279. § 2, 2°), et proinde si suo praefato delicto sacramentalem absolutionem equidem nullam superadderet, cum hoc ordinis sacerdotalis exercitio incurreret irregularitatem ex delicto ad normam can. 985, n. 7°; *qui vero,* supplendo ex prima canonis parte « sacerdos sine necessaria iurisdictione praesumpserit », quae clausula requiritur a sequenti propositione infinitivi modi: *a peccatis reservatis,* de quibus tractat cap. II « de reservatione peccatorum » in Titulo IV « de poenitentia », *absolvere,* ac etiamsi propter alia peccata poenitentis rite dispositi valida existeret absolutio; sacerdos vero delinquens, ut dictum est, *ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus,* quae suspensio attingit totum exercitium praefati ministerii quoad potestatem ordinis ac iurisdictionis. Atque hae duae censurae latae sententiae sunt de novo a Codice inductae.

209. **Contra delictum absolvendi complicem in peccato turpi.** — Bened. XIV in sua const. « Sacramentum Poenitentiae » [1], quam integre vigere diximus ad can. 884, eo quod saltem implicitam in omnibus suis partibus referunt canon citatus cum altero

[1] 1 Iun. 1741.

nunc explicando, qui canones « ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sunt aestimandi » (can. 6, 2°), in ea utique const.[e] Bened. XIV inflixit excommunicationem, quam huc transtulit Codex simul ac declarationes subsequentes.

Sic incipit paragraphus illius const.[s] ad rem pertinens. « Demum magnopere cupientes a sacerdotalis Iudicii, et Sacri Tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem, et Sacramentorum contemptum, et Ecclesiae iniuriam longe submovere, et tam exitiosa huiusmodi mala (sollicitationis) prorsus eliminare, et quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam, Daemonis potius, quam Dei ministri, loco eas per Sacramentum Creatori suo, ac nostro reconciliandi, maiori peccatorum mole onerantes, in profundum iniquitatis barathrum nefarie submergunt », in fine paragraphi, postquam iurisdictionis limitationem in can. 884 insertam statuit, « nihilominus » fert sequentem excommunicationem, sicut *can. 2367*.

§ *1.* « Sacerdos, tam saecularis quam regularis (seu cleri religiosi iuxta nomenclaturam Codicis) cuiuscumque Ordinis (nunc religionis) ac Dignitatis, tametsi alioquin ad confessiones excipiendas approbatus, et quovis Privilegio, et Indulto, etiam speciali expressione, et specialissima nota, et mentione digno suffultus », (salvo nunc can.[is] 2227, § 2.[i] praescripto: « nisi expresse nominentur, S. R. E. Cardinales sub lege poenali non comprehenduntur »), *Absolvens,* scilicet: deliberate absolutoriam proferens formulam sacramenti Poenitentiae quacumque intentione, aut vere absolvendi aut ficte agendi, imo *vel fingens absolvere*, videlicet: quando alias preces sive Ritualis, sive aliunde petitas recitaret, aut silentio sisteret veluti absolvens in iudicio poenitentem ignarum de omissa absolutione; non autem si confessionem audiret, absolutionemque non daret, nec fingeret absolvere, quia recitatio precum vel silentium praefatum, conscio poenitente, ad vitandam circumstantium admirationem vel suspicionem ordinarentur, *complicem in peccato turpi,* quae clausula fuit plene declarata sub can. 884, *incurrit ipso facto* absolutionis vel fictionis, etsi confessarius vere non fuerit, carens omni iurisdictione in poenitentem, *in excommunicationem,* non iam « speciali » sicut in const. « Apostolicae Sedis » Pii IX, sed prout in praec.[i] iure pollentem singulari praerogativa, nunc *specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam;* de qua excommunicatione in Litt.[s] encycl.

S. C. de Prop. Fide [1] invenimus: « Vuolé poi la suddetta Suprema Congregazione che per mezzo dei Revm̃i Delegati Apostolici siano notificate queste disposizioni a tutti i Patriarchi, Arcivescovi e Vescovi di rito orientale compresi nella rispettiva loro Delegazione, e che si ricordi loro: « illos fideles subiici nominatim nedum censuris, sed etiam Apostolicis reservationibus latis in const. Benedicti XIV « Sacramentum Poenitentiae » (quales sunt haec in praesenti canone inflicta et altera in §° 2° can.s seq.s), et in constitutionibus contra sectae massonicae aliisque similibus addictos », nunc ergo sub can. 2335.

Prosequitur canon quem commentamur: *idque,* nempe: praefatus sacerdos ut declaratum est delinquens « incurrit in excommunicationem » praefato modo reservatam *etiam in mortis articulo,* quando vi canonis 882 non restricti sed confirmati per can. 884, absolutio complicis in peccato turpi est valida, sicuti Bened. XIV quoque declaravit; manente autem excommunicatione ac implicita prohibitione, *si alius* non complex a) *sacerdos,* b) *licet non approbatus ad confessiones*, carensque iurisdictione ordinaria, delegataque ab homine, c) *sine gravi* (non levi suspicione) *aliqua exoritura,* prout prudenter et cum fundamento praevideri queat, *infamia* confessarii complicis *et scandalo* ad alios quod attinet, *possit* morali ac physica possibilitate *excipere morientis confessionem:* ac si conditiones sub tribus litteris positae non extarent simul, tunc non urgeret excommunicatio, sicuti etiam *excepto casu quo moribundus recuset alii* sacerdoti de quo antea, quam suo complici *confiteri;* hoc enim in casu confessio, quantum ex iure ecclesiastico pendet, valida et licita quoque foret. « Sciat autem, iuxta const. Bened. XIV « Apostolici muneris » [2], complex eiusmodi sacerdos, et serio animadvertat, fore se re ipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus const. « Sacramentum Poenitentiae » inobedientiae, latisque in ea poenis obnoxium (nempe: huius canonis 2367), si praedictae infamiae, aut scandali pericula sibi ultro ipse confingat, ubi non sunt ».

Imo etiam per ipsiusmet S. Poenitentiariae verba [3] declarat § *2. Eandem* scilicet: cum reservatione statuta sub §° 1° *excommunicationem non effugit* in casibus sub §° 1° comprehensis iuxta

[1] 6 Aug. 1885, Collect. S. C. de P. F. n. 1640. — [2] 8 Febr. 1745, § 3. — [3] 19 Febr. 1896.

ipsius commentarium, *absolvens vel fingens absolvere complicem*, prouti clausula ibidem fuit declarata, *qui* a) *peccatum quidem complicitatis*, « in ordine ad quod peccatum turpe, est privatio iurisdictionis et adnexa excommunicatio » ex resp. eiusdem S. Poenitentiariae [1], b) *a quo* peccato *nondum est absolutus* directe, at c) *non confitetur* equidem contra integritatem materialem confessionis, d) *sed ideo ita se gerit,* non sponte, sed *quia ad id,* nempe: ad omittendum illud peccatum *a complice confessario*, non si ab alia persona vel ab alio confessario, *sive directe* per se ac verbis in hoc directis, *sive indirecte* v. gr. per alium, vel interrumpente poenitentem in confessione, vel alio adinvento modo, *inductus est* poenitens complex.

210. **Contra delicta quae aliquam habent connexionem cum confessione sacramentali.** — Aliud delictum est in cit.[a] const. « Sacramentum poenitentiae » consideratum ac persequutum, « ne quod post amissam Baptismi innocentiam datum est divina benignitate perfugium, per daemonum fraudem, et hominum Dei beneficiis perverse utentium malitiam, naufragis ac miseris peccatoribus luctuosum evadat exitium; et quod in salutem et curationem animarum, a Deo, qui dives est in misericordia, institutum est, exsecrabili scelestorum quorumdam sacerdotum improbitate, in earum perniciem atque interitum vertatur ».

De huiusmodi delicto praescribit *can. 2368. Qui,* nempe: sacerdos etsi iurisdictione destitutus, *sollicitationis crimen,* quamvis hoc religiosam societatem non perturbaret, *de quo in can. 904* mentio facta est, ibidemque illud est fuse declaratum ex praefata Benedictina constitutione, *commiserit,* (concessa per Bened. XIV facultate, « ne delictum tam enorme, et Ecclesiae Dei iniuriosum remaneat, ob probationum defectum impunitum, procedendi cum testibus etiam singularibus, dummodo praesumptiones, indicia, et alia adminicula concurrant »), « ferendae sententiae poena » iuxta instr.[m] Congr.[s] S. Officii [2] a) *suspendatur a celebratione Missae et ab audiendis sacramentalibus confessionibus,* b) *vel etiam pro delicti gravitate*, scilicet: peculiari, a) *inhabilis ad ipsas* tantum sacramentales confessiones *excipiendas declaretur,* propter quam recipere amplius non posset iurisdictionem ad eas excipiendas, b) *pri-*

[1] 16 Maii 1877. — [2] 20 Febr. 1866, n. 12.

vetur omnibus beneficiis, prout definiuntur in can. 1409, *dignitatibus*, quae ab Abbatia et Praelatura nullius ut inferiore limite incipiunt, etsi quaedam ex eis beneficia dici non posset, *voce activa et passiva*, imo adhuc progredi posset gradatim, c) *et inhabilis ad ea omnia declaretur*, ita ut valide obtinere ipsa nequeat in posterum, denique *et in casibus gravioribus degradationi quoque,* « quae in se continet depositionem, perpetuam privationem habitus ecclesiastici et reductionem clerici ad statum laicalem » (can. 2305, § 1) *subiiciatur.*

« Lex utitur verbis praeceptivis » (can. 2223, § 3), ac ex altera parte est potius poena « determinata » (can. 2217, § 1, 1°), pendens tamen a delicti gravitate; quapropter cum Codex alibi (can. 1555, § 1) statuat: « etiam inferiora tribunalia, in causis quae ad S. Officii tribunal spectant », (sicut est causa de hoc sollicitationis crimine secundum cit.^{m} const.^{m} Bened. XIV), « normas ab eodem traditas sequantur oportet », consulenda est in praxi Instructio S. Congr.^{s} S. Officii [1], ubi traditur modus procedendi de quo alibi agere oportet. — Quoad inflictionem autem poenarum, ita loquitur in n. 12. « Quando perspecta evaserit patrati criminis veritas, reo ad defensionem, prout iura exposcunt, admisso, deveniendum erit ad illi interdicendum in perpetuum, ne confessiones excipiat, (idest: prout in canone dicitur: « suspendatur ab audiendis confessionibus sacramentalibus »), subtrahendo omnes et quascumque facultates ad id muneris eidem etiam per quodcumque privilegium vel ab ipsa Sancta Sede impertitas ». Atque hoc videtur respicere illa clausula: « inhabilis ad illas excipiendas declaretur », cum declaratio sit de poena iam contracta, et illa declaratio (iuxta verba canonis: « etiam pro delicti gravitate ») sit computanda inter poenas, de quibus subditur in cit. Instruc.: « Huiusmodi sententiam Episcopus ipse, et non alius ab eo delegatus, proferat: et pro modo culpae, atque omnibus attentis circumstantiis caeteras quoque poenas reo irroget, quae in supradictis pontificiis Constitutionibus decernuntur. — Praeterea si reus in iudicio crimen confessus fuerit, congruam debet emittere abiurationem, ut se ita purget ab ea, quam incurrit, haeresis suspicione; et hac quoque poena in ipsa sententia mulctetur. Notandum est, poenas huiusmodi omnes, et ipsam inhabilitatem ad sacrosanctum Missae sacrificium celebrandum (in canone expressam

[1] 20 Febr. 1866. Collect. S. Congr. de P. F. n. 1282.

« suspensione a celebratione Missae ») in dec.° Bened. XIV die 5 Augusti an. 1745 praescriptam, esse tantum *ferendae sententiae*. Abstinendum tamen erit ab infligenda degradatione et traditione brachio saeculari. Id nimirum a Greg. XV statutum fuit: ceterum ad terrorem potius impositum haberi debet, quam ut executioni mandetur ». Puto id nunc intelligendum esse ut plurimum, seu « exceptis casibus gravioribus » ad normam canonis.

Excommunicationem eandem sub n.° IV inter excom.^{s} nemini reservatas recensitam in const. « Apostolicae Sedis » Pii IX conservat aliis adhibitis verbis claritatis causa § 2. *Fidelis vero, qui scienter*, quod verbum « plenam cognitionem ac deliberationem exigit » (can. 2229, § 2), nempe: tum de obligatione denuntiandi tum de inflicta censura, et sic *omiserit eum*, videlicet: « sacerdotem, reum delicti sollicitationis in confessione, ad normam cit. const.^{s} Benedict. XIV », *a quo sollicitatus fuerit* uno ex modis recensitis in eadem constitutione, *intra mensem* cognitae obligationis sub censura, supputandum « de momento ad momentum », atque ad normam can. 34, § 2 sub distinctione, quia « tempus utile » intelligitur, *denuntiare*, atque iudicialiter quidem, vel saltem denunciationem a se faciendam Superiori notam facere, *contra praescriptum can. 904* ibi explicatum, *incurrit* statim ac declaratus mensis explicit, *in excommunicationem latae sententiae* vi huius canonis ac praec.^{s} iuris *nemini reservatam*, hinc ab ea « potest absolvere in foro sacramentali quilibet confessarius » (can. 2253, n. 1°); hic tamen praescriptum sequens observare debet: *non absolvendus* ille « fidelis » de quo in §°, *nisi postquam* a) praedictae *obligationi satisfecerit* reipsa, b) *aut se satisfacturum serio* iuxta circumstantias *promiserit*, sub qua promissione « serio » data semel ac etiam iterum absolvi posset, nam, ut praescribit can. 2248, § 2, « absolutio denegari nequit cum primum delinquens a contumacia recesserit ad normam can. 2242, § 3 ». — Demum memorari oportet Declarationem S. C. S. Officii [1]. « Le Costituzioni pontificie emanate *contra sollicitantes* comprendono tutte le nazioni, ed in conseguenza così obbligano i greci come gli armeni ».

211. **Delicta in sigillum sacramentale.** — Nova est sequens latae sententiae poena, etsi graviores ferendae sententiae adhuc

[1] 13 Iun. 1710. Collect. S. Congr. de Prop. F., n. 279.

serventur pro minori delicto, ac iuste prorsus secundum extremam huius delicti nocivam pravitatem. *Can. 2369. § 1. Confessarium,* non « interpretem, aliosque omnes ad quos notitia confessionis quoquo modo pervenerit » (can. 889, § 2), sed sacerdotem a) *qui* sacramentalem confessionem recepit, et *sigillum sacramentale* in cit.° can.ᵉ explicatum, *directe* « verbo, signo, prodens peccatorem » qua talem in confessione, *violare* seu frangere illud, idest, ut ait Conc. Later. in cap. « Omnis utriusque sexus » 12 (V, 38): « peccatum in poenitentiali iudicio sibi detectum revelare » *praesumpserit* ita ut desit « quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus (excepta « ignorantia affectata sive legis sive solius poenae ») sive ex parte voluntatis » (can. 2229, §§ 1, 2), talem delinquentem *manet*, quia ipso facto incurritur, *excommunicatio specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata*; b) *qui vero* supple « confessarius » *indirecte tantum,* scilicet: « verbo, signis, aliove quovis modo » quidquam incaute agens, quo « prodat peccatorem », attamen subintelligendo ex contextu: « sigillum sacramentale revelare praesumpserit », per quod verbum designatur huius indirectae violationis plena deliberatio, *obnoxius est poenis* ferendae sententiae omnibus, *de quibus in can. 2368,* § 1, cum gradatione ibidem declarata; quibus « verbis facultativis », potiusquam « praeceptivis » in can. praec. adhibitis, « utitur canon » praesens (can. 2223, §§ 2, 3).

Ut sigillum sacramentale undequaque intactum permaneat, subditur § 2. *Quicumque,* nempe: « interpres, aliique omnes ad quos notitia confessionis quoquo modo pervenerit », *praescriptum can. 889,* § *2* « servandi sacramentali sigillum » *temere* (verbum plenam cognitionem ac deliberationem exigens) *violaverit* directe vel indirecte aequali modo ac sub §° 1°, *pro reatus gravitate,* necessaria est igitur culpa gravis, *plectatur salutari* sibi aliisve *poena* « indeterminata », *quae potest esse etiam excommunicatio,* ut superior limes, praevie comminanda tamquam ipso facto incurrenda; haec enim est semper medicinalis, non vindicativa.

212. **Delicta in peragenda recipiendaque consecratione episcopali.** — Reservationem cuiuslibet consecrationis episcopalis sancit *can. 2370. Episcopus,* etiam titularis sed « consecratus » (can. 951), *aliquem* « virum baptizatum » (can. 968), etsi presbyterum ac rite promotum ad Episcopatum, a) *consecrans in Episcopum,*

b) *Episcopi* singuli duorum « quos Episcopus consecrator debet adhibere » (can. 954), *vel*, *loco Episcoporum*, quando « hac super re a Sede Apostolica dispensatum fuerit », et a fortiori si haec defuerit dispensatio, ast tunc illicite, c) *presbyteri assistentes* Episcopo consecranti ad huius consecrationis liceitatem, d) *et qui consecrationem recipit*, quandocumque illa fiat *sine apostolico mandato contra praescriptum can. 953*, idest: illo non extante, nec sufficit quod illicite agant eo quod « prius non constet » de illo, ut cit. canon etiam praescribit. Praedicti *ipso iure suspensi sunt*, qua « suspensione generaliter lata comprehenduntur omnes effectus, qui in canonibus art.[1] III, Cap.[2] II, Tit. VIII, Lib. V enumerantur » (can. 2278, § 2), et quae suspensio perdurat *donec Sedes Apostolica eos dispensaverit*, quo verbo innuit canon hic agi de poena vindicativa, quae est in can. 2298 sub n.° 2° « Suspensio ad beneplacitum Superioris ». Praedictaque sanctio est nova in iure.

213. **Contra delictum simoniae in sacramentorum administratione ac receptione.** — *Can. 2371. Omnes* baptizati, *etiam episcopali dignitate aucti*, quod additur non respectu suspicionis de qua primo loquitur canon, sed propter subnexam « suspensionem », eo quod « nisi expresse nominentur, non comprehenduntur Episcopi sub poenis latae sententiae suspensionis et interdicti » (can. 2227, § 2), « omnes » ergo *qui* a) *per simoniam* equidem « iuris divini » definitam et explicatam in can. 737, § 1, b) *ad ordines* videlicet: « singulos, consecrationem episcopalem, et ipsam primam tonsuram » (can. 950), c) *scienter*, quod verbum « plenam cognitionem ac deliberationem exigit » (can. 2229, § 2), I° *promoverint*, quod de Episcopis, ac Presbyteris privilegium habentibus v. gr. Abbatibus vel Praelatis nullius, Vicariis et Praefectis Apostolicis, dici potest, II° *vel promoti fuerint*, III° *aut alia sacramenta* singula *ministraverint*, etiam ut ministri extraordinarii, vel baptismum non sollemnem laicus aut mulier, IV° *vel receperint*, quae verba proprie non adhibentur de matrimoniali contractu inter baptizatos, praedicti delinquentes *sunt suspecti de haeresi* simoniae, quibus proinde applicandus esset can. 2315.

Sequitur sanctio conformis iuri Decretalium sed latae sententiae, videlicet: *clerici*, nempe: « qui divinis ministeriis per primam saltem tonsuram iam mancipati sunt » (can. 108, § 1), quando « per simoniam ad ordines promoti fuerint », vel cetera ut supra egerint,

praeterea, idest: ultra suspicionem haeresis, *suspensionem* « generaliter latam » (can. 2278, § 2) *incurrunt* sed censuram *Sedi Apostolicae reservatam,* subintellecto quoque in hac secunda parte canonis verbo « scienter », ita ut non nunquam sit practicum cap. 22 « de simonia » (V, 3) ubi Lucius III ait: « De simoniace ordinatis certum tibi non possumus dare responsum, nisi plenius agnoscamus, qualiter fuerint ordinati: cum quidam licet secundum quandam speciem simoniae, utpote ipsis ignorantibus, simoniace ordinentur, possunt (quia simoniaci non sunt) in suis ordinibus remanere ». Censura latae sententiae huius canonis est de novo inducta per Codicem.

214. **Delictum recipiendi ordinationem illicitam causa ministri.** — Ex const. « Apostolicae Sedis » Pii IX translatus est cum modificatione *can. 2372. Suspensionem a divinis,* quae nempe « vetat omnem actum potestatis ordinis, quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet » (can. 2279, § 2, 2°), non solummodo « ab ordine suscepto » sicut in Piana const.ᵉ, ac insuper (secus in eadem) *Sedi Apostolicae reservatam*, *ipso facto* ordinationis susceptae cuiuscumque *contrahunt, qui recipere ordines*, etiam episcopalem consecrationem, sed non propter receptam solum primam tonsuram, *praesumunt*, cum plena ergo tum cognitione legis, poenae, et circumstantiarum facti, tum deliberatione, a) *ab excommunicato* b) *vel suspenso*, cui prohibita sit ordinatio, c) *vel interdicto* personaliter, non tamen qualitercumque singulis, sed *post sententiam* a) *declaratoriam* censurae iam incursae b) *vel condemnatoriam* infligentem aliquam earum poenarum, *aut a notorio* sive « notorietate iuris » sive « notorietate facti » (can. 2197, 2°, 3°) a) uti *apostata* scilicet: « qui a fide christiana totaliter recedit », b) *haeretico,* videlicet: « qui, nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat », sive ad sectam aliquam transierit, vel secus, c) *schismatico,* nempe: « si subesse renuit Summo Pontifici aut cum membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusat » (can. 1325); attamen quia requisitum fuit « praesumunt », pro aliis non praesumentibus et ob circumstantiarum vel legis ignorantiam non peccantibus addit canon: *qui vero bona fide a quopiam eorum sit ordinatus*, subiicitur sequenti prohibitioni, quae vera poena non est: *exercitio careat ordinis sic recepti* in ordinantis reprobationem,

donec dispensetur, idest: prohibitio haec ab eius Ordinario relaxetur. Ac iuste prorsus ne videatur ille ordinans dare, quod ipse propter praedicta crimina vel poenas non habet; quapropter idem iure asserendum de quocumque (non praesumente) huiusmodi ordinationes recipere.

215. **Sanctio delictorum in ordinatione tribuenda quibusdam subiectis.** — E contrario ac in praecedenti canone, ordinantes aliquem contra sacros canones ratione subiecti promoti punit *can. 2373,* plures sanctiones const.^s « Apostolicae Sedis » Pii IX coadunans sub eadem, scilicet: *In suspensionem per annum,* qui « supputetur de momento ad momentum, ac eius menses sumantur prout sunt in calendario » (can. 34, § 2). Et non est poena vindicativa (cum derogatione can. 2298, n. 2°) haec (suspensio *ab ordinum collatione*, non primae tonsurae ob ius praec. quod refert, atque ad normam can. 19), eo quod additur, alias inutiliter: *Sedi Apostolicae* illam *reservatam ipso facto incurrunt*, atque congruenter suspensioni ex const. « Apostolicae Sedis », sub duobus numeris sequentibus:

1° Qui (Episcopus, Abbas vel Praelatus nullius, Vicarius et Praefectus Apostolicus) *contra praescriptum can. 955,* nempe: « unusquisque a proprio Episcopo ordinetur aut cum legitimis eiusdem litteris dimissoriis » (§ 1), *alienum subditum*, idest: cuius non est « proprius » ad normam can. 956, 957, *sine Ordinarii proprii* ad normam can. 958, § 1 *litteris dimissoriis* explicatis ad can.^m cit.^m *ordinaverint,* conferentes, non quidem primam tonsuram iuxta declarationem S. Congr.^s S. Officii [1], sed ordines maiores vel minores;

2° Qui inter eos supra recensitos *subditum proprium* ad normam can. 956, *qui alibi,* scilicet: extra ordinantis territorium *tanto tempore moratus sit* etiam sine domicilio vel quasi-domicilio, *ut canonicum impedimentum*, vel simplicem vel irregularitatem *contrahere ibi potuerit,* quod « tempus est, regulariter, pro militibus trimestre, pro aliis semestre post pubertatem » (can. 964, § 1), *ordinaverint* ut explicatum est in n.° praec. *contra praescriptum can. 993, n. 4,* videlicet: sine « testimonialibus litteris Ordinarii illius loci », et *can. 994,* nempe: casu quo praedictus « loci Ordinarius neque per

[1] 18 Apr. 1888.

se neque per alios promovendum satis noverit, ut testari possit promovendum nullum impedimentum contraxisse », aut in alio casu ibidem considerato, si in alterutro « non provideat Ordinarius saltem per iuramentum suppletorium a promovendo praestandum »;

3° Qui inter recensitos per declarationem sub n.° 1° « si charactere episcopali polleant », atque ex hoc numero infertur, quod etsi « expresse (vel melius explicite) non nominentur Episcopi, comprehenduntur sub poenis latae sententiae suspensionis » huius canonis. Illa limitatio pronominis « qui » sub hoc n.° fulcitur can. 957, § 2, propter verba quae sequuntur: *aliquem,* supple clericum forsan minorum ordinum *ad ordines maiores,* quos conferre nequeunt Vicarius ac Praefectus, Abbas vel Praefectus nullius « si episcopali charactere careant » (can. 957, § 2), sed delictum ordinantium est, quod illum clericum sive saecularem, sive religiosum, regularem quoque *sine titulo canonico* diverso pro singulis eorum *promoverint,* nempe: *contra praescriptum can. 974, § 1, n. 7*, quod generale cum sit, pro singulis praedictis per alios canones citato subsequentes determinatur;

4° Qui, uti sub n.° 1° declarati sunt secundum explicationem can. 966, § 1, *salvo* vigente adhuc *legitimo*, idest: post Conc. Tridentinum directe concesso religioni cuique *privilegio* dimittendi alumnos promovendos ad quemcumque Episcopum cum Sede Aplca. communionem habente; « qui » praeter hanc exceptionem, *religiosum,* « qui vota nuncupavit in aliqua religione » (can. 448, 7°), *ad familiam* domus religiosae *pertinentem, quae* supple: familia seu domus *sit extra territorium ipsius ordinantis,* nempe: in quod iurisdictionem habet, *promoverint,* etsi ad solam primam tonsuram, *etiam cum litteris dimissorialibus proprii Superioris* « maioris » (can. 964, 2°), *nisi legitime probatum fuerit,* videlicet: « ex authentico Curiae episcopalis testimonio » (can. 966, § 2) *aliquem ex casibus* quinque *occurrere, de quibus in can. 966* agitur, et data fuit ibidem explanatio. Et haec suspensio latae sententiae sub n.° 4° nova est.

216. **Sanctio adversus accedentes ad ordines contra ss. canones.** — « Ex parte tantum cum vetere iure congruit » (can. 6, 2°) *can. 2374.* Clericus *qui* a) *sine litteris* supple: « dimissoriis », eo quod secunda canonis pars punit ob testimonialium defectum, b) *vel cum falsis*, quia vel fictae sint, vel suppositítiae, vel a non propriis Ordinariis concessae, vel a propriis sed qui ne-

queunt eas dare, *dimissoriis litteris* ad can. 955, § 1 definitis, c) *vel ante canonicam,* idest: can. 975 pro maioribus ordinibus praescriptam *aetatem*, d) *vel per saltum,* quae « ordinationes omnino prohibentur » (can. 977) ubi explicatae sunt, *ad ordines* singulos, saltem minores, *malitiose,* idest: prava cum voluntate quoad diversos canones, non ob ignorantiam vel ex causa excusante v. gr. metu gravi, *accesserit* ordinandus, quo facto iam peccat, *est ipso facto* huiusmodi ordinationis, qua consummatur eius delictum, *a recepto* tantum *ordine suspensus,* secus ac constitutum erat per Conc. Trid.[1] circa casus sub litteris *a*) et *b*) nunc comprehensos, cum pro aliis casibus per Codicem sit primo inflicta ipso iure incurrenda haec censura.

Secunda canonis pars est sic interpretanda: *qui autem* clericus vel laicus a) *sine litteris testimonialibus* singulis, certo quae afferendae iubentur can. 993 sub nis. 4° et 5°, probabilius quae sub nis. 1°, 2°, 3°, quia pro his est nova lex poenalis, *vel detentus* ab ordinatione licite suscipienda b) *aliqua censura* proprie dicta, poena nempe medicinali, c) *irregularitate* aliqua ex recensitis sub can. 984, 985, d) *aliove impedimento* « simpliciter » ex enumeratis in can. 987; quilibet sic, ut dictum est, delinquens equidem cum culpa gravi, additur enim *gravibus poenis secundum rerum adiuncta* pro illarum gravitate mensuranda *puniatur.* Unde poena est « indeterminata » (can. 2217, § 1, 1°) ac « lex utitur verbis praeceptivis » (can. 2223, § 3).

217. **Contra ineuntes matrimonium sine dispensatione necessaria impedimenti mixtae religionis.** — Novae sunt tum sequentes latae sententiae poenae, tum quatenus huic delicto inflictae. *Can. 2375. Catholici*, nempe: baptizati ac religionem catholicam profitentes; (quid enim utilitatis Ecclesiae de iis qui foris sunt, quoad hoc iudicare?), *qui* vir aut mulier *matrimonium* idest: contractum matrimonialem, verum sacramentum, *mixtum* proprie, seu cum impedimento mixtae religionis, *etsi validum* propter absentiam impedimenti dirimentis, servata forma celebrationis quando necessaria fuerit, ac debito cum consensu, (hinc non excusantur ob invaliditatem matrimonii forsan ignotam), eo quod *sine Ecclesiae dispensatione* ab illo impedimento, propter quod illicite *inire* ma-

[1] De Ref. sess. VI, cap. 5; sess. VII et XXIII, cap. 10; sess. XIV, cap. 2.

trimonium *ausi fuerint*, unde « quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus (excepta ignorantia affectata) sive ex parte voluntatis eximit » (can. 2229, § 2) huiusmodi contrahentem a duplici poena, quae talis est: *ipso facto* matrimonii contracti *ab actibus* a) *legitimis ecclesiasticis* (quinam autem hoc « nomine significantur » edicit can. 2256 n.º 2º) b) *et Sacramentalibus*, quae actionibus constent, *exclusi manent*, non ab usu eorum, quae res sunt, v. gr. aquae benedictae vel aliarum benedictarum rerum, atque haec « privatio Sacramentalium » illaque « remotio ab actibus legitimis ecclesiasticis exercendis » (can. 2291, 6º, 8º), utpote « poenae vindicativae », delinquentes tenent vi canonis, *donec ab Ordinario* eorum proprio ad normam can. 94 *dispensationem*, quae actus est iurisdictionis, *obtinuerint*.

TITULUS XVII.

De delictis contra obligationes proprias status clericalis vel religiosi.

Can. 2376. - Sacerdotes qui neque ab Ordinario dispensati neque legitimo impedimento detenti examen de quo in can. 130 facere renuerint, ab Ordinario congruis poenis ad illud cogantur.

Can. 2377. - Sacerdotes contra praescriptum can. 131, § 1 contumaces, Ordinarius pro suo prudenti arbitrio puniat; quod si fuerint religiosi confessarii curam animarum non gerentes, eos ab audiendis saecularium confessionibus suspendat.

Can. 2378. - Clerici maiores qui in sacro ministerio ritus et caeremonias ab Ecclesia praescriptas graviter negligant et moniti sese non emendaverint, suspendantur pro diversa reatus gravitate.

Can. 2379. - Clerici, contra praescriptum can. 136, habitum ecclesiasticum et tonsuram clericalem non gestantes, graviter moneantur; transacto inutiliter mense a monitione, quod ad clericos minores attinet, servetur praescriptum eiusdem can. 136, § 3; clerici autem maiores, salvo praescripto can. 188, n. 7, ab ordinibus receptis suspendantur, et si ad vitae genus a statu clericali alienum notorie transierint, nec, rursus moniti, resipuerint, post tres menses ab hac ultima monitione deponantur.

Can. 2380. - Clerici vel religiosi mercaturam vel negotiationem per se aut per alios exercentes contra praescriptum can. 142, congruis poenis pro gravitate culpae ab Ordinario coerceantur.

Can. 2381. - Qui officium, beneficium, dignitatem obtinet cum onere residentiae, si illegitime absit:

1.º Eo ipso privatur omnibus fructibus sui beneficii vel officii pro rata illegitimae absentiae, eosque tradere debet Ordinario, qui ecclesiae vel alicui pio loco vel pauperibus distribuat;

2.º Officio, beneficio, dignitate privetur. ad normam can. 2168-2175.

Can. 2382. - Si parochus graviter neglexerit Sacramentorum administrationem, infirmorum assistentiam, puerorum populique institutionem, concionem diebus dominicis ceterisque festis, custodiam ecclesiae paroecialis, sanctissimae Eucharistiae, sacrorum oleorum,

ab Ordinario coerceatur ad normam can. 2182-2185.

Can. 2383. - Parochus qui paroeciales libros diligenter, ad normam iuris, non conscripserit aut servaverit, a proprio Ordinario pro gravitate culpae puniatur.

Can. 2384. - Canonicum theologum et poenitentiarium in suis muneribus obeundis negligentes, Episcopus gradatim compellat monitionibus, comminatione poenarum, substractione portionis fructuum iis assignandae qui illorum vices suppleant; et perdurante per integrum annum negligentia post monitionem, suspensione a beneficio plectat; negligentia vero producta per aliud semestre, ipso beneficio privet.

Titulus XVII De delictis contra obligationes proprias status [1] —

- — clericalis — vel
  - — Sacerdotum —
    - — quoad examen annuale post curriculum studiorum — Can. 2376
    - — quoad conferentias vel solutionem casus moralis — » 2377
  - — clericorum —
    - — maiorum quoad ritus et caeremonias — » 2378
    - — circa habitum ecclesiasticum et tonsuram — » 2379
    - — vel religiosorum per mercaturam vel negotiationem — » 2380
    - — officia obtinentium cum onere residentiae — » 2381
  - — parochorum —
    - — propter gravem negligentiam — » 2382
    - — circa paroeciales libros conscribendos aut servandos — » 2383
  - — canonicorum theologi et poenitentiarii quoad munera obeunda — » 2384
- — religiosi —
  - — in se ipso —
    - — per apostasiam — » 2385
    - — per fugam — » 2386
  - — in professione ob admissum dolum declarata nulla — » 2387
  - — ob votum —
    - — castitatis perpetuum per contractum matrimonium — » 2388
    - — paupertatis per violationem in re notabili — » 2389

218. **Inscriptio tituli et canonum ordo.** — *De delictis* ad normam can. 2195, § 1 *contra obligationes proprias status* a) *clericalis* de quibus actum est in Tit.° III Lib.¹ II, b) *et religiosi;*

[1] Vide canones in pagg. 292, 300.

hoc est: contra religiosorum obligationes explicatas in Tit. XIII eiusdem Libri, Capite I°. — Canones huius Tituli XVII continent praescripta sub hoc ordine: can 2376-2380 inflictionem poenarum propter obligationum transgressionem omnibus clericis communium, sequuntur can. 2381-2374 sanctionum quoad onus residentiae in genere, quoad parochorum obligationes, et quoad canonicos theologum et poenitentiarium in eorum muneribus explendis urgendos; postea sequuntur canones de secunda inscriptionis Tituli parte, qui statum religiosum susceptum vindicant sub nn^{s}. 2385-2387, votum castitatis can. 2388 et paupertatis votum quoad vitam communem servandam can. 2389. Obligationes clericorum communes considerantur eodem sub ordine ac in respectivo Titulo, etiamsi non in singularum transgressiones statuantur poenae,

219. **Propter omissum annuale examen.** — *Can. 2376. Sacerdotes* « omnes, etsi beneficium paroeciale aut canonicale consecuti » (can. 130, § 1), *qui* a) *neque ab Ordinario dispensati*, et notandum hic taceri iustam causam ex cit. can. necessariam, b) *neque legitimo impedimento detenti*, sive naturale illud sit, ut infirmitas, sive ab officio ecclesiastico habito proveniat, sicut nimia occupatio in eo vel moralis discedendi impossibilitas, sive demum magnum incommodum proportionatum ad normam can. 2205 § 1, 2 [1]; illis ergo duobus deficientibus coniunctim, nempe: Ordinarii licentia legitimoque impedimento, et eapropter debitum *examen de quo in can. 130* annuale *facere* profecto *renuerint*, quod ex monitione evidens fiet, sequitur in canone hoc praeceptum: *ab Ordinario* loci *congruis poenis* comminatis posteaque infligendis *ad illud* subeundum *cogantur* ad normam can. 2223, § 3, 1°, dummodo ad saecularem clerum pertineant, quamvis in communi vivant sine votis ad normam can. 678.

220. **Contra omissionem interessendi conferentiis atque solvendi casum moralem.** — *Can. 2377. Sacerdotes* « tum omnes saeculares, tum religiosi licet exempti curam animarum habentes et etiam » alii, de quibus in secunda canonis parte, *contra praescriptum can. 131* (addendus est § 3) *contumaces*, scilicet: post

(1) Can. 2205. § 1. Vis physica quae omnem adimit agendi facultatem, delictum prorsus excludit. — § 2. Metus quoque gravis, etiam relative tantum, necessitas, imo et grave incommodum, plerumque delictum, si agatur de legibus mere ecclesiasticis, penitus tollunt.

monitionem adhuc perstantes in omissione, *Ordinarius* loci *pro suo prudenti arbitrio* scilicet; poena est indeterminata (can. 2217, § 1, 1°), *puniat*, verbum quidem praeceptivum, proindeque iuxta normam can. 2223, § 3°; *quod si fuerint religiosi confessarii curam animarum non gerentes*, atque uti praescribitur in can. cit. 131, § 3°: « qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario obtinuerunt, si collatio in eorum domibus non habeatur », his omnibus praesuppositis, « contumaces » *eos ab audiendis saecularium confessionibus suspendat*, equidem ex praecepto, ac poena est determinata (can. 2217, § 1). Igitur ad normam can. 2223, § 3°, 1°. Codex per hunc canonem edicit praedictum delictum iure censeri gravem causam, de qua statuit can. 880, § 1. « Loci Ordinarius vel Superior religiosus iurisdictionem vel licentiam ad audiendas confessiones ne revocent aut suspendant, nisi gravem ob causam ». Nec ullatenus exempti religiosi ab eodem praescripto sunt liberi, ut patet ex can. 874, § 1 [1].

221. **Propter gravem negligentiam rituum et caeremoniarum.** — Post sacerdotes, clericos in sacris coercet Codex, sibi constans respectu can^s. 818 [2] atque hunc quodammodo amplians per *can. 2378. Clerici maiores*, comprehensis Sacerdotibus, *qui in sacro ministerio*, sive altaris quoad missarum celebrationem et sacras functiones, sive in administratione Sacramentorum et sacramentalium, et in sacris functionibus extra Ecclesiam, *ritus et caerimonias*, hoc est: formulas precum et concomitantes actiones in cultu publico, *ab Ecclesia praescriptas* per leges liturgicas et decreta S. C. Rituum a) *graviter negligant* iudicio Ordinarii, propter materiam, frequentiam transgressionum vel scandalum fidelium, b) *et moniti sese non emendaverint*, his praesuppositis *suspendantur*, quod verbum est praeceptivum, *pro diversa reatus gravitate* concorditer ad can. 2223, § 3° ubi « conscientiae et prudentiae iudicis vel Superioris committitur: ...3° Poenam determinatam temperare » .

[1] Can. 874. § 1. Iurisdictionem delegatam ad recipiendas confessiones quorumlibet sive saecularium sive religiosorum confert sacerdotibus tum saecularibus tum religiosis etiam exemptis Ordinarius loci in quo confessiones excipiuntur.

[2] Can. 818. Reprobata quavis contraria consuetudine, sacerdos celebrans accurate ac devote servet rubricas suorum ritualium librorum, caveatque ne alias caeremonias aut preces proprio arbitrio adiungat.

222. Contra non deferentes habitum ecclesiasticum. — De clericis tantum sed cuiuscumque gradus puniendis propter quamdam transgressionem, sequenti ordine normas proponit *can. 2379. Clerici* minores et maiores, *contra praescriptum can. 136, habitum ecclesiasticum* ibi explicatum *et tonsuram clericalem* « nisi recepti populorum mores aliter ferant » *non gestantes*, I° *graviter* quoad modum *moneantur*, et hoc est praescriptum Ordinariis locorum; II° *transacto inutiliter* quoad habitus ecclesiastici resumptionem et tonsurae clericalis *mense a monitione* praedicta, scilicet: ad normam can. 34, § 3, 1°, 3° e 4° [1], sequitur canon sub distinctione: a) *quod ad clericos minores*, hoc est: tonsurae aut minorum ordinum, *attinet*, *servetur praescriptum eiusdem can. 136, § 3;* videlicet: « ipso iure e statu clericali decidant » casu quo « propria auctoritate sine legitima causa habitum ecclesiasticum et tonsuram dimiserint », prout illo in loco fuit interpretatum; b) *clerici autem maiores,* subdiaconi et supra, *salvo praescripto can. 188, n. 7°* [2], scilicet: praeter illud ibi declaratum, *ab ordinibus receptis suspendantur,* verbum quidem hoc praeceptivum (can. 2223 § 3°); nec sistit canon in decernenda punitione, adiungens conditionem: *et si ad vitae genus* I° *a statu clericali alienum,* quod diiudicari poterit ex can. 138, 139 iam interpretatis, II° *notorie transierint* ita ut « publice notum sit et in talibus adiunctis commissum, ut nulla tergiversatione celari nulloque iuris suffragio excusari possit » (can. 2197, 3°), III° *nec, rursus moniti,* scilicet: gravi monitione quoad illud vitae genus derelinquendum ab Ordinario... praemissa, IV° *resipuerint* id est: ab illo vivendi modo (non) recesserint, tunc praescribitur inferenda poena servatis servandis, quae talis est: V° *post tres menses ab hac ultima monitione* computandos ad normam can. 34, § 3, 1°, 3°, 4° [2] *deponantur.* Huius poenae effectus recenset can. 2303.

[1] Can. 34. § 3°... I°. Menses et anni sumantur prout sunt in calendario; ...3°. Si terminus a quo non coincidat cum initio diei... primus dies ne computetur et tempus finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri; 4°. Quod si mensis die eiusdem numeri careat, ex. gr. unus mensis a die 30 Ianuarii, tunc... tempus finiatur... expleto ultimo die mensis.

[2] Can. 188. Ob tacitam renunciationem ab ipso iure admissam quaelibet officia vacant ipso facto et sine ulla declaratione, si clericus:

7°. Habitum ecclesiasticum propria auctoritate sine iusta causa deposuerit nec illum ab Ordinario monitus, intra mensem a monitione recepta resumpserit.

223. **Contra clericos et religiosos negotiationem exercentes.** — *Can. 2380. Clerici vel religiosi mercaturam vel negotiationem per se aut per alios exercentes contra praescriptum can. 142*, prout ibidem explicatum est, et cui subiiciuntur religiosi vi can. 592, sicut in huius explicatione asseruimus et ex hoc canone confirmatur, *congruis poenis* indeterminatis hoc in textu (can. 2217, § 1, 1°) *pro gravitate culpae*, huic ergo proportionatis, *ab Ordinario,* scilicet: a Superiore maiore « in religionibus clericalibus exemptis, pro suis vero subditis » (can 198), alii autem religiosi aut clerici ab Ordinario loci *coerceantur;* censuris nempe poenisve vindicativis pro casuum diversitate, qui has illasve requirunt iuxta earum naturam. Et ecce casus comprehensus in clausula: « exceptis casibus in iure expressis » can. 618 § 2, 2° iuxta sequentem can. 619.

224. **Adversus clericos non residentes.** — *Can. 2381. Qui* a) *officium* « stricto sensu » ad normam can. 145, § 2°, b) *beneficium,* scilicet: (can. 1409) « ens iuridicum a competente ecclesiastica auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et iure percipiendi reditus ex dote officio adnexos », c) *dignitatem* scilicet: Abbatiam vel Praelaturam nullius et supra, « non comprehensis S. R. E. Cardinalibus » ad normam can. 2227, § 2, I° *obtinet*, hoc est: possessione capta, II° *cum onere residentiae*, ergo canon non respicit Episcopos titulares, *si illegitime absit,* scilicet: contra legem etsi particularem residentiae; tunc — *1° Eo ipso privatur omnibus fructibus sui beneficii vel officii*, quos nempe horum causa recipit, sed *pro rata illegitimae absentiae,* scilicet: distributis fructibus annualibus vel mensualibus in dies anni vel mensis, « privatur fructibus » qui respondeant diebus quibus modo praedicto absit; cum autem sit poena latae sententiae ac pro delicto ut plurimum publico, monetur ac iubetur delinquens sic: *eosque tradere debet Ordinario* loci in quo situm est beneficium officiumve residentale, qui proinde delinquentem praefatum ad id cogere potest, et *qui* Ordinarius « eos » fructus vel si ipsemet sit delinquens fructus, quibus « eo ipso privatur », tanquam non suos a) *ecclesiae* beneficii aut officii b) *vel alicui pio loco* v. gr. hospitali, c) *vel pauperibus* quibuscumque *distribuat*, uni vel alii ex dictis pro eiusdem arbitrio.

Interpretationem datam corroborat [1] « Resolutio data die 10 Iulii 1920 propositis, in plenariis S. Congr.[e] Concilii, infrascriptis dubiis, nimirum :... II. Utrum Codicis canon 2381 urgeat etiam in casu non residentiae, non graviter culpabilis, vel materialiter tantum, non formaliter, culpabilis ac notoriae. — III. Utrum, post vigentem canonem 2381, Beneficiarius vel Canonicus illegitime absens retinere possit fructus respondentes privatae recitationi Officii divini. — IV. Utrum, ex fructibus praebendae adhuc possessae, salvanda sit et a possessore (licet illegitime absente) retinenda portio quaedam ab Ordinario designanda et ad ipsius praebendati sustentationem sufficiens. — V. Utrum, attentis Fabricarum indigentiis, possint statuta capitularia cum Ordinarii approbatione statuere fructus amissos esse Fabricae ecclesiae tradendos in toto vel in parte... — VII. Utrum illegitime absens teneatur fructus restituere ante sententiam declaratoriam.

Emi Patres respondendum censuere :... Ad II. Affirmative, dummodo ne concurrant causae excusantes iuxta can. 420, 421, vel Pontificium indultum. — Ad III. Negative. — Ad IV. Negative. — Ad V. Standum dispositioni can. 1475, § 1 et 2381... — Ad VII. Affirmative ».

Praeter poenam illam, 2° *Officio, beneficio, dignitate privetur*, poena est ferendae sententiae ast determinata (can. 2217, § 1, 1° 2°) atque praeceptivis verbis expressa (can. 2223, § 3), infligenda vero *ad normam can. 2168-2175*. Scilicet: in Titulo XXX « De modo procedendi contra clericos non residentes » Libri IV.

225. **Contra parochum graviter negligentem.** — Sequentes duo canones de parochorum obligationibus urgendis sunt solliciti sic, ut alter solum loquatur de libris parochialibus. *Can. 2382. Si parochus*, cui « aequiparantur... (veri) quasi-parochi, et vicarii paroeciales, si plena potestate paroeciali sint praediti » (can. 451, § 2), si ergo eorum aliquis (notandum verbum) *graviter neglexerit* a) *Sacramentorum administrationem*, vel « fidelibus legitime » petentibus, vel « sollicite quoad aegrotos in sua paroecia, maxime vero morti proximos » (can. 467, § 1, 468, § 1), b) *infirmorum* ut antea *assistentiam* ad normam cit. can. 468, c) *puerorum populique institutionem* iuxta can. 1330-1332, d) *concionem diebus dominicis*

[1] S. C. C. Toletana et aliarum. 10 Iul. 1920. CO. XII, 364.

ceterisque festis de qua obligatione adest can 1344 [1], e) *custodiam* I° *ecclesiae paroecialis* in can. 1178 [2] praescriptam, II° *sanctissimae Eucharistiae,* prout illa est statuta in Tit. « De custodia et cultu sanctissimae Eucharistiae » XV, Libri III; III° *sacrorum oleorum* de quibus custodiendis cavet can. 735 [3]; itaque circa praedictum in canonis initio unamquamque ex praefatis obligationibus graviter negligentem, iussum est: *ab Ordinario coerceatur ad normam can. 2182-2185*; scilicet: sub Tit. XXXII, Lib. IV inscripto: « De modo procedendi contra parochum in adimplendis paroecialibus officiis negligentem ».

226. **Adversus negligentes circa paroeciales libros.** — Talis processus non invenitur, nec aliquem adhibere oportet in adimplemento *can.s 2383. Parochus qui paroeciales libros,* de quibus agit Codex in can. 470, *diligenter, ad normam iuris* in illo canone expositam, a) *non conscripserit,* b) *aut servaverit, a proprio Ordinario* paroeciae, ac si parochus est religiosus, etiam a suo Superiore maiore religionis clericalis exemptae, *pro gravitate culpae puniatur* poena iure indeterminata, sed praeceptivis verbis iniuncta, et quae in poenitentiis ac remediis poenalibus sistere potest, quae sub Tit. X Libri V explicantur.

227. **Contra negligentes canonicos theol.m et poenitent.m** — *Can. 2384. Canonicum theologum et poenitentiarium in suis muneribus obeundis* (prout haec sunt explicata in can. 400 de canonico theologo et in can. 401 § 2 de poenitentiario) *negligentes* equidem *notabiliter, Episcopus gradatim compellat* negligentiam excutere I° *monitionibus* II° *comminatione poenarum* III° *subtra-*

[1] Can. 1344. § 1. Diebus dominicis ceterisque per annum festis de praecepto proprium cuiusque parochi officium est, consueta homilia praesertim intra missam in qua maior soleat esse populi frequentia, verbum Dei populo nuntiare.

§ 2. Parochus huic obligationi nequit per alium habitualiter satisfacere, nisi ob iustam causam ab Ordinario probatam.

§ 3. Potest Ordinarius permittere ut sollemnioribus quibusdam festis aut etiam, ex iusta causa, aliquibus diebus dominicis concio omittatur.

[2] Can. 1178. Curent omnes ad quos pertinet, ut in ecclesiis illa munditia servetur, quae domum Dei decet; ab iisdem arceantur negotiationes et nundinae, quamquam ad finem pium habitae; et generatim quidquid a sanctitate loci absonum sit.

[3] Can. 735. Parochus olea sacra a suo Ordinario petere debet et in Ecclesia in tuta ac decenti custodia sub clavi diligenter asservare; nec ea domi retineat, nisi propter necessitatem aliamve rationabilem causam, accedente Ordinarii licentia.

ctione portionis fructuum iis assignandae qui illorum vices suppleant, quae poena non est confundenda cum illa providentia can. 400, § 2 : « Canonicus theologus munus expleat suum..., si ultra sex menses fuerit impeditus », ergo absente negligentia, « propriis expensis per alium sacerdotem ab Episcopo deputandum », ad quod adimplendum ab Episcopo etiam compelli posset. Procedit ultra canon praesens post praefatas poenas : IV° *et perdurante per integrum annum* (intra quod praecesserunt supradictae poenae) *negligentia* sine impotentia, et computando annum ad normam canonis 34 § 2° [1], *post monitionem* necessariam secundum can. 2233, § 2, et contumacia persistente ad normam can. 2242, § 2, *suspensione a beneficio* theologi vel poenitentiarii *plectat* respective alterutrum ; quae poena explicatur in can. 2280 ; V° *negligentia vero producta per aliud semestre, ipso beneficio privet.* Quae omnes poenae, quamvis ferendae sententiae, sunt verbis praeceptivis expressae, ac proinde memorandus canon 2223, § 3.

CAN. 2385. - Firmo praescripto can. 646, religiosus, apostata a religione, ipso iure incurrit in excommunicationem, proprio Superiori maiori vel, si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci in quo commoratur, reservatam, ab actibus legitimis ecclesiasticis est exclusus, privilegiis omnibus suae religionis privatus ; et si redierit, perpetuo caret voce activa et passiva, ac praeterea aliis poenis pro gravitate culpae a Superioribus puniri debet ad normam constitutionum.

CAN. 2386. - Religiosus fugitivus ipso facto incurrit in privationem officii, si quod in religione habeat, et in suspensionem proprio Superiori maiori reservatam, si sit in sacris ; cum autem redierit, puniatur secundum constitutiones, et si constitutiones nihil de hoc caveant, Superior maior pro gravitate culpae poenas infligat.

CAN. 2387. - Religiosus clericus cuius professio ob admissum ab ipso dolum nulla fuerit declarata, si sit in minoribus ordinibus constitutus, e statu clericali abiiciatur ; si in maioribus, ipso facto suspensus manet, donec Sedi Apostolicae aliter visum fuerit.

CAN. 2388. — § 1. Clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum sollemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes, incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam ; clerici praeterea, si moniti, tempore ab Ordinario pro adiunctorum diversitate praefinito, non resipuerint, degradentur, firmo praescripto can. 188, n. 5.

§ 2. Quod si sint professi votorum simplicium perpetuorum tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis, omnes, ut supra, excommuni-

[1] Can. 34... § 2. Si terminus *a quo* nec explicite nec implicite assignetur ex. gr. *suspensio a Missae celebratione per mensem aut duos annos, tres in anno vacationum menses*, etc. tempus supputetur de momento ad momentum ; et si tempus sit continuum, ut in allato primo exemplo, mensis et anni sumantur prout sunt in calendario ; si intermissum, hebdomada intelligatur 7 dierum, mensis 30, annus 365.

catio tenet latae sententiae Ordinario reservata.

Can. 2389. - Religiosi legem vitae communis constitutionibus praescriptae in re notabili violantes, graviter moneantur et, emendatione non secuta, puniantur etiam privatione vocis activae et passivae et, si Superiores sint, etiam officii.

228. **Apostata a religione**. — *Can. 2385. Firmo praescripto can. 646* de dimissione ipso facto incurrenda, si aliquod crimen ibi enunciatum adiunxerit *religiosus*, idem *apostata a religione* iuxta definitionem can. 644, § 1, *ipso iure*, quae verba extenduntur ad singulas sequentes poenas determinatas: I° *incurrit in excommunicationem* a) *proprio Superiori maiori* (can. 488, 8°), et caute notandum est non fuisse adhibita verba: « Episcopo vel Ordinario reservatam », ac proinde huic excommunicationi aptari nequit can. 2253, nisi quoad primum num.[1] 3[1] comma, *vel* b) *si religio sit laicalis aut non exempta,* quo in casu Superior ille maior nomine Ordinarii non venit, nec iurisdictionem ecclesiasticam possidet, *Ordinario loci in quo commoratur* etiam transeunter, proindeque ubi confiteri posset, *reservatam*, II° *ab actibus legitimis ecclesiasticis est exclusus,* quam poenam explicat can. 2256, 2°, atque insuper III° *privilegiis omnibus suae religionis,* etiam exemptione, si casus ferat, *privatus*; *et si redierit* ad religionem. sicut « debet sine mora » (can. 645, § 1), IV° *perpetuo caret* « ipso iure » propter apostasiam *voce activa et passiva, ac praeterea* V° *aliis poenis pro gravitate culpae a Superioribus puniri debet* afflictivis vel privativis latae aut ferendae sententiae, uno verbo: *ad normam constitutionum.*

229. **Contra fugitivos.** — *Can. 2386. Religiosus fugitivus*, scilicet: « qui, sine Superiorum licentia, domum religiosam deserit cum animo ad religionem redeundi » (can. 645, § 3°), *ipso facto*, verbaque sunt intelligenda in duabus poenis subsequentibus, nempe: *incurrit* a) *in privationem officii, si quod in religione habeat* etiam lato sensu, periculum enim esset, si v. gr. tamquam oeconomus posset aliqua iure facere, b) *et in suspensionem* « cum omnibus effectibus qui in canonibus (Art.[1] III de suspensione) enumerantur » (can. 2278, § 2) *proprio Superiori maiori reservatam*, etsi non exempto sed religiosis clericalis, huius enim esse supponitur fugitivus suspensione ipso facto plectendus *si sit in sacris*; c) *cum autem redierit*, prout « debet sine mora » (can. 645, § 1), *puniatur secundum constitutiones*, et est praescriptum a canone puni-

tionem infligendam (can. 2223, § 3), servatis forma et poenarum determinatione ex constitutionibus, imo cavet canon: c) *et si constitutiones nihil de hoc caveant, Superior maior pro gravitate culpae poenas infligat,* ex canone indeterminatas sed iniunctas. (Can. 2217, § 1, 1° et prox. cit.). Hic canon « societatibus clericalibus sine votis applicatur » ex Decreto Commiss. Pont. ad ss. canones. auth. interpretandos [1].

230. **Contra dolum admissum in professione nulla.** — *Can. 2387. Religiosus* a) *clericus* « saltem ob primam tonsuram » (can. 108, § 1) *cuius professio* quaelibet, vel aequipollens in « societatibus clericalibus sine votis » ex decisione Commiss. Pont. ad ss. canones auth. interpretandos n. VI [1], b) *ob admissum ab ipso dolum* explicatum in can. 103, § 2, scilicet: cum propria culpa doli, c) *nulla fuerit declarata* iuxta can. 572, § 1, 4° et can. 586, I°, *si sit in minoribus ordinibus constitutus, e statu clericali abiiciatur* per Episcopi loci commorationis decretum ad normam can. 211, § 2; II° *si in maioribus* supplendo: « ordinibus constitutus », *ipso facto suspensus manet,* suspensione generaliter data, etsi regulariter « ab ordinibus » quoad effectum, *donec Sedi Apostolicae aliter visum fuerit*, et proinde poena vindicativa (can. 2298, 2°), quae cum non sit occulta propter declarationem nullitatis professionis ob dolum quam consequitur, et de se « perpetua » sit, dispensari nequit ab alio quam ab ipsa Sede Apostolica « vel ab eo cui (peculiariter) haec potestas commissa sit » ad normam can. 2236, § 1, 2237.

231. **Contra matrimonium contrahentes obstante voto perpetuo ac publico.** — *Can. 2388.* § 1. a) *Clerici in sacris constituti* etiam in statum laicalem redacti, dummodo « coelibatus obligatione teneantur » (can. 213, § 2), *vel* b) *regulares* scilicet: « qui vota nuncuparunt in Ordine (can. 488, 7°), c) *aut moniales* scilicet: « religiosae votorum solemnium » (loc. cit.), hae ac isti *post votum sollemne castitatis,* clausula necessario adiungenda ad excludendos simpliciter professos in Ordine; *itemque* d) *omnes* dummodo *cum aliqua ex praedictis personis* scilicet: sub a) et b) mulieres, sub c) viri *matrimonium etiam civiliter tantum*, a fortiori ergo iidem religioso ritu *contrahere*, scilicet: facto non iure, *praesumentes*, unde « quaelibet imputabilitatis imminutio, sive ex parte

[1] 2-3 Junii 1918. CO. X, 347, n. VI. — [2] Vide cit. ad pag. 322 in nota.

intellectus (v. gr. quia mulier ignorabat conditionem regularis cum quo contrahebat, vel ipsam poenam adnexam), sive ex parte voluntatis, eximit » ab excommunicatione hac incurrenda, nisi affectata sit ignorantia, (can. 2229, § 1, 2), alias singuli praedicti *incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam*, et haec est prima canonis pars; — *clerici praeterea*, ut supra, *si moniti, tempore ab Ordinario* competente ad normam can. 1566 *pro adiunctorum diversitate praefinito, non resipuerint* per veram poenitentiam, *degradentur* poena ferendae sententiae praeceptivis verbis expressa, et quae « degradatio in se continet depositionem, perpetuam privationem habitus ecclesiastici et reductionem clerici ad statum laicalem » (can. 2305, § 1); et explicit praesens canon sic: *firmo praescripto can. 188, n. 5*. Scilicet: « ob tacitam renunciationem ab ipso iure admissam quaelibet officia vacant ipso facto et sine ulla declaratione, si clericus: ...5° Matrimonium, etiam civile tantum, ut aiunt, contraxerit ».

§ 2. *Quod si sint* a) *professi votorum simplicium* b) *perpetuorum* a) *tam in Ordinibus* exclusi a praecedenti paragrapho, v. gr. (can. 488, n. 7°) « religiosae quarum vota ex instituto sunt sollemnia, sed pro aliquibus locis ex Apostolicae Sedis praescripto sunt simplicia », etiam professi triennales Ordinum ante 19 Maii, b) *quam in Congregationibus religiosis, omnes, ut supra*, scilicet: in § 1°, singulos eorum et cum aliquo vel aliqua ex his « matrimonium, etiam civiliter tantum contrahere praesumentes », *excommunicatio tenet latae sententiae Ordinario reservata*. « Quare ab ea quilibet Ordinarius (ad normam can. 198, § 1) absolvere potest suos subditos, loci vero Ordinarius etiam peregrinos » (can. 2253, 3°).

232. **Delictum contra legem vitae communis.** — *Can. 2389. Religiosi legem vitae communis constitutionibus praescriptae* contra illas *in re notabili*, cum gravi ergo peccato, *violantes*, I° *graviter moneantur, et* II° *emendatione non secuta*, propter reparationem non datam, vel melius propter reincidentiam, « lex utitur praeceptivis verbis » (can. 2223, § 3) *puniantur etiam privatione vocis activae et passivae et* III° sub conditione, *si Superiores sint, etiam officii*. Recolatur norma can. 2223, § 1 scilicet: « In poenis applicandis iudex nequit poenam determinatam augere, nisi extraordinaria adiuncta aggravantia id exigant ». Hic canon « societatibus

sine votis applicatur, quatenus sodales vitam communem degant » iuxta decisionem Commiss. Pont. ad ss. canones auth. interpretandos [1].

TITULUS XVIII.

De delictis in collatione, susceptione et dimissione dignitatum, officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum.

CAN. 2390. - § 1. Libertatem electionum ecclesiasticarum quovis modo per se vel per alios impedientes, vel electores aut electum, peracta canonica electione, propter eam quoquo modo gravantes, pro modo culpae puniantur.

§ 2. Quod si electioni a collegio clericorum vel religiosorum peragendae, laici vel saecularis potestas sese illegitime, contra libertatem canonicam, immiscere praesumpserint, electores qui hanc immixtionem sollicitaverint vel sponte admiserint, ipso facto privati sunt pro ea vice iure eligendi; qui vero suae electioni taliter factae scienter consenserit, fit ad officium vel beneficium, de quo agitur, ipso facto inhabilis.

CAN. 2391. - § 1. Collegium quod indignum scienter elegerit, ipso facto privatur pro ea vice iure ad novam electionem procedendi.

§ 2. Singuli vero electores qui substantialem electionis formam scienter non servaverint, possunt pro gravitate culpae ab Ordinario puniri.

§ 3. Clerici vel laici qui indignum scienter praesentaverint vel nominaverint, iure praesentandi vel nominandi ipso facto pro ea vice carent.

CAN. 2392. - Firmo praescripto can. 729, delictum perpetrantes simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis:

1° Incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam;

2° Ipso facto privati in perpetuum manent iure eligendi, praesentandi, nominandi, si quod habeant;

3° Si clerici sint, praeterea suspendantur.

CAN. 2393. - Omnes qui iure eligendi, praesentandi vel nominandi legitime fruuntur, si, neglecta auctoritate illius cui confirmatio vel institutio competit, officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam conferre praesumpserint, suo iure pro ea vice ipso facto privati manent.

CAN. 2394. - Qui beneficium, officium vel dignitatem ecclesiasticam propria auctoritate occupaverit vel, ad ea electus, praesentatus, nominatus in eorumdem possessionem vel regimen seu administrationem sese ingesserit, antequam necessarias litteras confirmationis vel institutionis acceperit easque illis ostenderit, quibus de iure debet:

1° Sit ipso iure ad eadem inhabilis et praeterea ab Ordinario pro gravitate culpae puniatur;

2° Per suspensionem, privationem beneficii, officii, dignitatis antea obtentae et, si res ferat, etiam per depositionem, cogatur a beneficii, officii, dignitatis occupatione eorumque regimine vel administratione statim, monitione praemissa, recedere;

3° Capitula vero, conventus aliique omnes ad quos spectat, huiusmodi electos, praesentatos vel nominatos ante litterarum exhibitionem admittentes, ipso facto a iure eligendi, nominandi vel praesentandi suspensi maneant ad beneplacitum Sedis Apostolicae.

CAN. 2395. - Qui scienter acceptat collationem officii, beneficii vel dignitatis de iure non vacantis et patiatur se in eius possessionem immitti, sit ipso facto inhabilis ad illa postea assequenda aliisque poenis pro modo culpae puniatur.

CAN. 2396. - Clericus, qui assecutus pacificam possessionem officii vel bene-

[1] Vide citationem ad pag. 322 in nota.

ficii cum priore incompatibilis, prius quoque retinere praesumpserit contra praescriptum can. 156, 1439, utroque privatus ipso iure exsistat.

Can. 2397. - Si quis ad dignitatem cardinalitiam promotus, iusiurandum, de quo in can. 234, emittere recusaverit, ipso facto cardinalitia dignitate privatus perpetuo maneat.

Can. 2398 - Si quis ad episcopatum promotus, contra praescriptum can. 333 intra tres menses consecrationem suscipere neglexerit, fructus non facit suos, fabricae ecclesiae cathedralis applicandos; et si postea in eadem negligentia per totidem menses perstiterit, episcopatu privatus ipso iure manet.

Titulus XVIII De delictis in collatione — susceptione — et dimissione — dignitatum officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum [1] —	— per electionem —	— contra libertatem eius	Can. 2390
		— scienter factam de indigno vel non servata substantiali forma	» 2391
	— diversa —	— per simoniam	» 2392
		— neglecta auctoritate illius ad quem pertinet	» 2393
	— illegitima —	— per occupationem vel ante necessarias litteras	» 2394
		— per acceptationem et possessionem non vacantium de iure	» 2395
		— per retentionem prioris incompatibilis	» 2396
	— dignitatis —	— cardinalitiae, recusando iusiurandum emittere	» 2397
		— episcopalis, negligendo consecrationem suscipere	» 2398
	— per clericos —	— maiores, munus sibi commissum deserere praesumentes	» 2399
		— in manus laicorum resignantes	» 2400
		— persistentes in illegitima detentione	» 2401
	— per Abbatem vel Praelatum nullius non recipiendo benedictionem		» 2402
	— negligentiae in fidei professione emittenda		» 2403

233. Inscriptio tituli. — Deinde perpendendus est Titulus XVIII sic inscriptus: *De delictis* commissis *in collatione* ex parte Superioris ecclesiastici aliorumque intervenientium, *susceptione* ex parte

[1] Vide canones in pagg. 304, 312.

provisi, *et* ex utrorumque parte in *dimissione dignitatum* etiam Episcopalium, *officiorum* stricto sensu ad normam can. 145, *et beneficiorum ecclesiasticorum,* quae ad normam can. 1409 intelligenda sunt.

234. **Ordo canonum** in hoc Titulo talis est: actus ad officium ecclesiasticum quodcumque ex praedictis conferendum ordinatos respiciunt canones 2390-2393, occupationem illegitimam praefatorum officiorum puniunt can. 2394-2396, quarumdam obligationum in susceptione dignitatum munimen praestant can. 2397, 2398, contra illegitimam sive desertionem muneris sive resignationem officii can. 2399, 2400 lati sunt, et e contrario can. 2401 contra illegitimam detentionem, atque postremi duo can. 2402, 2403 urgent observantiam canonis de Abbatiali benedictione recipienda, atque alterius circa fidei professionem emittendam, quae in assecutione officiorum a lege canonica est praescripta.

235. **Contra electionum libertatem impedientes.** — *Can. 2390.* § 1. *Libertatem electionum ecclesiasticarum,* non iam libertatem unius vel alterius electoris, dummodo in illam non redundet efficaciter, *quovis modo,* scilicet: impediendo ne fiant vel ne aliquis determinatus eligatur, vel ut electio fiat de aliquo singulari vel inter aliquos designatos; ac intendatur unum vel aliud, vi, gravibus minis, dolo, etc. directe contra ipsos electores vel indirecte per damna in personas coniunctas vel res ipsorum, exprimitque canon: a) *per se* fortassis ut exequutores b) *vel per alios impedientes*, et hi primo, *vel* secundo a) *electores* distributive sumptos, *aut electum*, b) *peracta canonica electione*, quia tunc libertas electionis utpote factae impediri amplius nequit, sed c) *propter eam,* quod motivum deprehendi potest ex verbis aut circumstantiis delicti sequentis vel ex personis electorum contra quas patratur, d) *quoquo modo* nocumentum vel grave incommodum causante *gravantes,* hi singuli delinquentes *pro modo culpae puniantur;* poena est indeterminata sed enuntiata praeceptivis verbis.

Hucusque in genere statuit canon de personis delinquentibus, sed laicos respicit § 2. *Quod si electioni a collegio* habente ad illam ius, a) *clericorum vel* b) *religiosorum*, non laicorum v. gr. in confraternitatibus, *peragendae*, a) *laici* etsi personae privatae b) *vel saecularis potestas* i. e. eam exercentes a) *sese illegitime* v. gr. contra canon. 166 vel aliter adversus leges ecclesiasticas,

b) *contra libertatem canonicam,* qua ecclesia gaudere debet in suis collegiis, c) *immiscere* quod vetatur in can. cit. d) *praesumpserint,* igitur ad normam can. 2229, § 2; non autem illi puniuntur praesenti canone, sed respectu habito ad huiusmodi determinatam transgressionem, I° *electores* singuli *qui hanc immixtionem* a) *sollicitaverint* excitando laicos vel saecularem potestatem, b) *vel sponte* i. e. sine vi, metu aut dolo inflicto *admiserint* illos sese immiscentes ut supra, *ipso facto* sollicitationis vel admissionis praedictarum, atque illae actiones sunt delicta pro quibus *privati sunt pro ea vice* provisionis per electionem *iure eligendi*, quod accrescit ceteris electoribus non delinquentibus; ac II° *qui vero suae electioni taliter factae* scilicet: cum praedicta immixtione laicali *scienter* quoad hoc electionis vitium *consenserit* externe quidem ad normam can. 175, *fit ad officium vel beneficium,* stricto sensu accipiendo utrumque ad normam can. 145, 1409, *de quo agitur,* non ad alia, *ipso facto inhabilis,* scilicet: ad validam susceptionem illius. Ergo hic canon non est extendendus ad alias electiones quamvis a collegio clericorum vel religiosorum peractas ex can. 2219, § 3 [1], nisi officium habeat potestatem saltem dominativam, qua in hypothesi etiam interpretandus de religionibus laicalibus ac mulierum, eo quod (can. 145, § 2) « ex contextu sermonis appareat » idipsum, ne verbum « religiosorum » inutiliter aut improprie positum sit in canone.

236. **Electio, non servata forma substantiali, et contra designantes scienter personam indignam.** — Sicut praecedens canon pro canonica electionum libertate constitutus est, sic electionis legitimitatem protegit *can. 2391.* § 1. *Collegium* ipsum, non consideratis singulis electoribus, *quod indignum* subiectum *scienter elegerit,* quae scientia diversis probationibus constare potest, atque praesumitur, quando fundatur indignitas in « lege aut poena certa aut in facto electi notorio » ad normam can. 16, § 2; *ipso* igitur praefatae electionis *facto* collegium *privatur pro ea vice,* scilicet: pro ea officii provisione, *iure ad novam electionem procedendi* equidem valide.

[1] Can. 2219, § 3. Non licet poenam de persona ad personam vel de casu ad casum producere, quamvis par adsit ratio, imo gravior, salvo tamen praescripto can. 2231.

§ 2. *Singuli vero electores qui substantialem electionis formam,* scilicet: quae ad validitatem ipsius electionis atque singulorum suffragiorum pertinet, *scienter,* quod verbum « plenam cognitionem ac deliberationem exigit » ad normam can. 2229, § 2, *non servaverint, possunt pro gravitate culpae ab Ordinario puniri.* Poena est indeterminata et « verbis facultativis » utitur lex. (Can. 2223, § 2).

In praecedentibus paragraphis sancitum est de electione; quid simile paragrapho primo consideratur quoad alios actus praevios officiorum institutioni canonicae in § 3. *Clerici vel laici*, quia etiam his competere possunt actus sequentes, *qui indignum* seu non idoneum *scienter*, ut supra explicatum est, *praesentaverint* ob ius patronatus *vel nominaverint* v. gr. ex privilegio apostolico, *iure praesentandi vel nominandi ipso facto pro ea vice carent.* In hoc ergo et in casu primi paragraphi « libera officii aut beneficii provisio ad eum Superiorem devolvitur, a quo confirmanda esset electio vel danda institutio vel cui ius providendi successive competit » ad normam can. 178, 1465, § 1.

237. **Contra simoniam.** — *Can. 2392. Firmo praescripto can. 729* de iuridicis effectibus ob sequens [1] *delictum*, quod proinde sit externum et moraliter imputabile (can. 2195, § 1), illud *perpetrantes simoniae* sive iuris divini sive iuris ecclesiastici etiam confidentialis sed ad normam can. 727, 728 [2], *in quibuslibet officiis*

[1] Can. 729. Firmis poenis in simoniacos iure statutis, contractus ipse simoniacus et, si simonia committatur circa beneficia, officia, dignitates, subsequens provisio omni vi caret, licet simonia a tertia persona commissa fuerit, etiam inscio proviso, dummodo hoc non fiat in fraudem eiusdem provisi aut eo contradicente. Quare:

1º Ante quamlibet iudicis sententiam res simoniace data et accepta, si restitutionis sit capax nec obstet reverentia rei spirituali debita, restitui debet, et beneficium, officium, dignitas dimitti.

2º Simoniace provisus non facit fructus suos; quod si eos bona fide perceperit, prudentiae iudicis vel Ordinarii permittitur fructus perceptos ex toto vel ex parte eidem condonare.

[2] Can. 727, § 1. Studiosa voluntas emendi vel vendendi pro pretio temporali rem intrinsece spiritualem, ex. gr., Sacramenta, ecclesiasticam iurisdictionem, consecrationem, indulgentias, etc., vel rem temporalem rei spirituali adnexam ita ut res temporalis sine spirituali nullo modo esse possit, ex. gr., beneficium ecclesiasticum, etc., aut res spiritualis sit obiectum, etsi partiale, contractus, ex. gr., consecratio in calicis consecrati venditione, est simonia iuris divini.

§ 2. Dare vero res temporales spirituali adnexas pro temporalibus spirituali adnexis, vel res spirituales pro spiritualibus, vel etiam tem-

stricto sensu (can. 145), *beneficiis* can. 1409, *aut dignitatibus ecclesiasticis* v. gr. Episcopatu, Cardinalatu: — *1° Incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam;* sed « S. R. E. Cardinales sub hac lege non comprehenduntur » ad normam can. 2227, § 2; — *2° Ipso facto privati in perpetuum manent iure* a) *eligendi*, b) *praesentandi*, c) *nominandi, si quod habeant;* ut ego puto respectu illius officii, etc. pro cuius provisione commiserunt simoniam praedictam; — Poenae sub nn. 1° et 2° tenent clericos et laicos, additur enim: *3° Si clerici sint, praeterea suspendantur.* Poena est ferendae sententiae sed verbis praeceptivis expressa. (Can. 2223, § 3).

238. **Conferentes neglecta illius auctoritate cui competit.** — *Can. 2393* protegit ius confirmandi ac instituendi sequenti sanctione. *Omnes qui iure* a) *eligendi*, et quamvis laici b) *praesentandi* vi iuris patronatus, c) *vel nominandi* ex privilegio apostolico *legitime* ad Codicis normam *fruuntur*, non alii v. gr. « parentes vel tutores acatholici » et minores in casu, eo quod ad normam can. 1456 « ius patronatus interim suspensum manet », *si neglecta*, etsi non propter contemptum, sed ita voluntarie ut adsit hoc delictum, *auctoritate illius cui* a) *confirmatio* b) *vel institutio competit*, a) *officium*, b) *beneficium aut* c) *dignitatem ecclesiasticam*, prout haec verba fuerunt declarata in can. praec., *conferre* certo invalide ad normam can. 147, 148, *praesumpserint*, scilicet: absente « imputabilitatis imminutione sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis » (can. 2229, § 2), *suo iure* de quo supra respectivo *pro ea vice* providendi *ipso facto privati manent.* Unde praesentatio vel nominatio post hoc delictum nullam vim haberet iuridicam, ac est locus devolutioni liberae provisionis ad Superiorem.

239. **Contra illegitime officia occupantes vel se ingerentes in ea.** — Quoad legitime provisos, vel in via provisionis positos, est latus *can. 2394. Qui beneficium, officium vel dignitatem ecclesiasticam*, ut in can. 2392 fuerunt declarata, *propria auctoritate occupaverit*, scilicet: velut capiens possessionem, sive pro-

---

porales pro temporalibus, si id ob periculum irreverentiae erga res spirituales ab Ecclesia prohibeatur, est simonia iuris ecclesiastici.

Can. 728. Cum de simonia agitur, emptio-venditio, permutatio, etc., late accipiendae sunt pro qualibet conventione, licet ad effectum non deducta, etiam tacita, in qua scilicet animus simoniacus expresse non manifestetur, sed ex circumstantiis colligatur.

visus legitime sive a fortiori non provisus, et hoc primum, — *vel* secundo *ad ea* tantum a) *electus*, b) *praesentatus*, c) *nominatus in eorumdem,* ad quae singula supradicta fuit designatus, a) *possessionem vel* b) *regimen seu* c) *administrationem* quocumque autem praetextu vel nomine *sese ingesserit* ad exequendum, non vero si prosequatur exsecutionem officii ante illam designationem concessi eidem, *antequam necessarias litteras*, casu ergo quo necessariae sint hae, a) *confirmationis vel* b) *institutionis,* Sedis Apostolicae pro beneficiis consistorialibus aut reservatis, Ordinarii vero loci pro aliis, I° *acceperit,* II° *easque illis ostenderit, quibus de iure debet*, sicut v. gr. dicitur pro Episcopis in can. 334, § 2, pro Vicariis et Praefectis Apostolicis in can. 293, § 2, idemque dicatur quoad Superiores religiosorum (sed ut hic supra) cum officio stricto sensu; unusquisque illorum aliter faciens: — *1° Sit* a) *ipso iure ad eadem* singula, quae « propria auctoritate occupaverit » vel in quae illegitime « sese ingesserit », *inhabilis* b) *et praeterea ab Ordinario suo pro gravitate culpae puniatur,* et hoc statutum est praeceptivis verbis de poena indeterminata; — *2° Per* a) *suspensionem* gradatim b) *privationem* unius disiunctive *beneficii, officii, dignitatis antea obtentae et,* c) *si res ferat* prudenter consideranda, *etiam per depositionem* de qua poena est can. 2303; scopusque harum poenarum est: *cogatur a beneficii, officii, dignitatis* a) *occupatione* b) *eorumque regimine* c) *vel administratione* de quibus supra, *statim* prout a re non sua, *monitione praemissa* illis diversis poenis, *recedere.*

Subiungitur vero sanctio delicti hac occasione forsan per alios patrandi: *3°* a) *Capitula vero*, b) *conventus* c) *aliique omnes ad quos spectat* quod subiungitur, *huiusmodi* scilicet: inter puniendos vi huius canonis tantummodo a) *electos*, b) *praesentatos* c) *vel nominatos ante litterarum exhibitionem* forsitan vere receptarum confirmationis aut institutionis *admittentes* per actus tradendi regimen vel administrationem vel his se subiicientes, *ipso facto a iure* a) *eligendi* b) *nominandi vel* c) *praesentandi,* si quod habent, *suspensi maneant ad beneplacitum Sedis Apostolicae;* poena quidem vindicativa iuxta can. 2298, 2°.

240. Contra suscipientes officium de iure non vacans. — *Can. 2395. Qui scienter.* « quaelibet igitur imputabilitatis diminutio sive ex parte intellectus (excepta ignorantia affectata) sive

ex parte voluntatis eximit » ab incurrenda enuncianda poena (canone 2229, § 2) eo quod 1° *acceptat*, non iam electionem aut praesentationem de se factam, sed ad normam can. 148, 1° liberam *collationem* a) *officii*, b) *beneficii* c) *vel dignitatis*, prout haec sunt declarata in can. 2392, sub conditione: *de iure non vacantis* ad normam can. 18, § 1, *et* II° *patiatur se in eius possessionem immitti* ad normam can. 1444, § 1 [1] quoad beneficia, et aliorum canonum quoad officia diversa, *sit ipso facto inhabilis ad illa*, de quibus singulis agitur, *postea assequenda* cum vacaverint, *aliisque poenis* hic indeterminatis, sed verbis praeceptivis utitur lex (canone 2223, § 3), *pro modo culpae puniatur.*

241. **Adversus non relinquentem prius officium incompatibile.** — *Can. 2396. Clericus, qui assecutus* a) *pacificam* b) *possessionem officii vel beneficii* (ut in can. 2392 explicatum est) *cum priore habito incompatibilis*, *prius quoque* « ob tacitam renunciationem ab ipso iure admissam vacans ipso facto et sine ulla declaratione » (can. 188, °) *retinere p raesumpserit* (can. 2229, § 2) *contra praescriptum can. 156* quoad officia ecclesiastica, *1439* quoad beneficia, ubi ait § 2: « Incompatibilia sunt non solum duo beneficia, quorum onera universa idem beneficiarius per se implere simul nequeat, sed etiam duo beneficia quorum alterutrum ad honestam ipsius sustentationem sufficiat »; talis sic delinquens *utroque* officio aut beneficio *privatus ipso iure existat.*

242. **Contra renuentem dare iusiurandum.** — *Can. 2397. Si quis ad dignitatem cardinalitiam promotus* « absens a Curia » *iusiurandum* quod « debet in recipiendo bireto rubro dare se intra annum, nisi legitimo detineatur impedimento, Summum Pontificem aditurum », *de quo* praescriptum habetur *in can. 234*, *emittere recusaverit*, nec sufficit omissio alia de causa v. gr. ex ignorantia, etc., *ipso facto cardinalitia dignitate privatus perpetuo maneat.*

24. **Negligens recipere consecrationem.** — *Can. 2398. Si quis ad Episcopatum promotus*, *contra praescriptum can. 333* ibi explicatum et loquens de episcopatu residentiali, *intra tres menses consecrationem suscipere neglexerit*, 1° *fructus non facit suos*, sci-

[1] Can. 1444, § 1. Missio in beneficii possessionem fiat secundum modum iure peculiari praescriptum, vel legitima consuetudine receptum, nisi iusta ex causa Ordinarius ab eo modo seu ritu expresse in scriptis dispensaverit; quo in casu haec dispensatio locum tenet captae possessionis.

licet: transactis mensibus illis, ex tunc *fabricae ecclesiae cathedralis applicandos*, et hoc est intelligendum, ut patet, de episcopo residentiali; II° *et si postea in eadem negligentia* quoad suscipiendam episcopalem consecrationem *per totidem menses* computandos ad normam can. 34, § 3, 1° 2° *perstiterit, episcopatu privatus ipso iure manet.*

CAN. 2399. - Clerici maiores, munus a proprio Ordinario sibi commissum, sine eiusdem Ordinarii licentia, deserere praesumentes, suspendantur a divinis ad tempus ab Ordinario secundum diversos casus praefiniendum.

CAN. 2400. – Clericus qui in manus laicorum officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam resignare praesumpserit, ipso facto in suspensionem a divinis incurrit.

CAN. 2401. - Si quis in detinendo officio, beneficio, dignitate, non obstante legitima privatione aut remotione, persistat, aut ne ea dimittat, moras illegitime nectat, ea, praemissa monitione, deserere cogatur per suspensionem a divinis aliasve poenas, depositione, si res ferat, non exclusa.

CAN. 2402. - Abbas vel Praelatus *nullius* qui contra praescriptum can. 322, § 2, benedictionem non receperit, est ipso facto a iurisdictione suspensus.

CAN. 2403. - Qui contra praescriptum can. 1406 fidei professionem sine iusto impedimento emittere negligat, moneatur, praefinito quoque congruo termino; quo transacto, contumax, etiam per privationem officii, beneficii, dignitatis, muneris, puniatur; nec interim beneficii, officii, dignitatis, muneris fructus facit suos.

244. **Contra deserentes munus sibi commissum.** — *Can. 2399. Clerici maiores,* a) *munus a proprio Ordinario sibi commissum,* et quod « suscipiendum est clericis ac fideliter implendum » ad normam can. 128, b) *sine eiusdem Ordinarii licentia,* c) *deserere praesumentes,* verbum explicatum a Codice in can. 2229, § 2, verbis praescriptivis ait lex: *suspendantur a divinis* scilicet: « ab omni actu potestatis ordinis quam, per sacram ordinationem sive per privilegium obtinent » (can. 2279, § 2, 2°) *ad tempus*, quod innuit poenam vindicativam (can. 2298, 2°), *ab Ordinario secundum diversos casus praefiniendum.* Poena igitur est determinata, eo quod sola temporis durationis praefinitio relinquitur Ordinarii arbitrio.

245. **Contra resignantem in manus laicorum.** — *Can. 2400. Clericus qui in manus laicorum* ac proinde invalide ad normam can. 187, a) *officium,* b) *beneficium*, c) *aut dignitatem ecclesiasticam resignare praesumpserit*, ut in praec. canone, *ipso facto in suspensionem a divinis* supra declaratam ex can. 2279, § 2, 2°, sed veram censuram *incurrit.*

246. **Contra detentionem illegitimam officii, beneficii, dignitatis.** — *Can. 2401. Si quis* supple: clericus *in detinendo of-*

ficio, beneficio, dignitate, in sensu inscriptionis Tituli, a) *non obstante legitima* i. e. iuxta ss. canones decreta *privatione* propter delictum, *vel remotione* forsitan inculpabiliter, b) *persistat* remanens in possessione, *aut ne ea dimittat*, hoc enim fine saltem praesumendo, c) *moras illegitime* a iure non permissas vel contra leges *nectat*, scilicet: velut addens unam alteri; alterutro in casu prout antea determinato, *ea*, scilicet: officium, beneficium, dignitatem, a) *praemissa monitione,* b) *deserere* libera seu vacantia de facto *cogatur* c) *per suspensionem a divinis* (can. 2279, § 2, 2°) *aliasve poenas*, *depositione*, *si res ferat*, scilicet: secundum circumstantias, *non exclusa*. Sunt poenae ferendae sententiae sed indeterminatae quoad electionem inter ipsas (can. 2217, § 1, 1° 2°).

247. **Contra Praelatum negligentem recipere benedictionem**. — *Can. 2402. Abbas vel Praelatus nullius* ad normam can. 319, *qui contra praescriptum can. 322, § 2,* scilicet: « qui ex praescripto apostolico vel ex propriae religionis constitutionibus benedici debent, intra tres menses » ibi determinatos *benedictionem* abbatis *non receperit* « ab Episcopo, quem maluerit »; ille *est ipso facto* transacti temporis cum dicta culpabili omissione, *a iurisdictione suspensus* (Can. 2279, § 2, 1°). Quae « suspensio vetat omnem actum potestatis iurisdictionis pro utroque foro tam ordinariae, quam delegatae ».

248. **Contra negligentem emittere fidei professionem.** — *Can. 2403. Qui contra praescriptum can. 1406* a) *fidei professionem* b) *sine iusto,* h. e. quod legi sit proportionatum, *impedimento emittere* c) *negligat*, quod supponit habendam cognitionem obligationis, atque temporis pro ea adimplenda transitionem, a) *moneatur* equidem a Superiore competente ad subsequentem poenam infligendam, b) *praefinito quoque congruo termino* ad implendam obligationem, c) *quo transacto* absque effectu, proindeque (supposita monitione) si maneat *contumax*, d) *etiam per privationem*, scilicet: procedi potest in punitione usque ad illam, a) *officii*, b) *beneficii*, c) *dignitatis*, d) *muneris*, uniuscuiusque disiunctive *puniatur;* — sed praeter hanc sanctionem ferendae sententiae praeceptivis verbis enunciatam, additur altera latae sententiae: *nec interim* saltem a monitione habita, sed verius a negligentiae ut supra tempore, *beneficii*, *officii*, *dignitatis*, *muneris fructus facit suos;*

utpote deficiente conditione iuris ad illos lucrandos; et consequenter restituendos sponte ante ullam iudicis vel Superioris declarationem, non secus ac in iure praecedenti cautum fuerat.

TITULUS XIX.

De abusu potestatis vel officii ecclesiastici.

CAN. 2404. - Abusus potestatis ecclesiasticae, prudenti legitimi Superioris arbitrio, pro gravitate culpae puniatur, salvo praescripto canonum qui certam poenam in aliquos abusus statuunt.

CAN. 2405. - Vicarius Capitularis aliive omnes, tam de Capitulo quam extranei, qui documentum quodlibet ad Curiam episcopalem pertinens sive per se sive per alium subtraxerint vel destruxerint vel celaverint vel substantialiter immutaverint, incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam, et ab Ordinario etiam privatione officii, beneficii, plecti poterunt.

CAN. 2406. - § 1. Quicunque officio tenetur acta vel documenta seu libros Curiarum ecclesiasticarum vel libros paroeciales conficiendi, conscribendi aut conservandi, si ea falsare, adulterare, destruere vel occultare praesumpserit, suo officio privetur aliisve gravibus poenis ab Ordinario pro modo culpae puniatur.

§ 2. Qui vero acta, documenta vel libros hos legitime petenti exscribere, transmittere seu exhibere dolose detrectaverit aliove quovis modo officium suum prodiderit, privatione officii vel suspensione ab eodem et mulcta ad arbitrium Ordinarii pro gravitate casus puniri potest.

CAN. 2407. - Qui Curiae officiales seu administros quosvis ecclesiasticos, iudices, advocatos vel procuratores donis aut pollicitationibus ad actionem vel omissionem officio suo contrariam inducere tentaverit, congrua poena plectatur et ad reparanda damna, si qua illata sint, compellatur.

CAN. 2408. - Taxas consuetas et legitime approbatas ad normam can. 1507, augentes aut ultra eas aliquid exigentes, gravi mulcta pecuniaria coerceantur, et recidivi ab officio suspendantur vel removeantur pro culpae gravitate, praeter obligationem restituendi quod iniuste perceperint.

CAN. 2409. - Vicarius Capitularis concedens litteras dimissorias pro ordinatione contra praescriptum can. 958, § 1, n. 3, ipso facto subiacet suspensioni a divinis.

CAN. 2410. - Superiores religiosi qui, contra praescriptum can. 965-967, subditos suos ad Episcopum alienum ordinandos remittere praesumpserint, ipso facto suspensi sunt per mensem a Missae celebratione.

CAN. 2411. - Superiores religiosi qui, candidatum non idoneum contra praescriptum can. 542, aut sine requisitis litteris testimonialibus contra praescriptum can. 544, ad novitiatum receperint, vel ad professionem contra praescriptum can. 571, § 2 admiserint, pro gravitate culpae puniantur, non exclusa officii privatione.

CAN. 2412. - Religiosarum etiam exemptarum Antistitae pro gravitate culpae, non exclusa, si res ferat, officii privatione, ab Ordinario loci puniantur:

1.° Si contra praescriptum can. 548 dotes puellarum receptarum quoquo modo impendere praesumpserint, salva semper obligatione de qua in can. 551;

2.° Si contra praescriptum can. 552 omiserint Ordinarium loci certiorem facere de proxima alicuius admissione ad novitiatum vel ad professionem.

CAN. 2413. - § 1. Antistitae quae post indictam visitationem religiosas in aliam domum, Visitatore non consentiente, transtulerint, itemque religiosae omnes, sive Antistitae sive subditae, quae per se vel per alios, directe vel indirecte, religiosas induxerint ut interrogatae a Visitatore taceant vel ve-

ritate quoquo modo dissimulent aut non sincere exponant, vel eisdem, ob responsa quae Visitatori dederint, molestiam, sub quovis praetextu, attulerint, inhabiles ad officia assequenda, quae aliarum regimen secumferunt, a Visitatore declarentur et Antistitae officio, quo funguntur, priventur.

§ 2. Quae in superiore paragrapho praescripta sunt, etiam virorum religionibus applicentur.

Can. 2414. - Antistita quae contra praescriptum can. 521, § 3, 522, 523 se gesserit, a loci Ordinario moneatur; si iterum deliquerit, ab eodem officii privatione puniatur, illico tamen certiore facta Sacra Congregatione de Religiosis.

Titulus XIX De abusu potestatis vel officii ecclesiastici —
- in genere — Can. 2404
- quoad Curiarum —
  - documenta subtrahenda, destruenda, celanda — » 2405
  - documenta seu libros in se vel communicanda — » 2406
  - officiales seu administros inductos ad infidelitatem — » 2407
  - vel parochorum taxas ultra debitum exactas — » 2408
- Vicarii capitularis quoad concedendas dimissorias — » 2409
- Superiorum religiosorum —
  - in remissione ordinandorum — » 2410
  - in receptione non idoneorum vel sine litteris — » 2411
- Antistitarum religiosarum —
  - quoad puellarum dotes et Episcopi certiorationem — » 2412
  - occasione visitationis canonicae — » 2413
  - propter confessarii petitionem — » 2414

249. Inscriptio tituli atque sub eo delictorum recensio. — *De abusu* scilicet: per ss. canonum inobservantiam in exercitio tum *potestatis* ecclesiasticae iurisdictionis aut dominativae, equidem extra sacramentorum administrationem, quia huic opposita delicta puniuntur in Tit. XVI, tum *vel officii ecclesiastici* sensu lato cum hoc « ex contextu sermonis appareat » ad normam canonis 145, § 2.

Delicta sub hoc titulo sunt hoc ordine recensita. Can 2404 reprimit quemcumque abusum potestatis ecclesiasticae, cui subsequuntur speciales canones tres 2405-2407 in defensione sive actorum, documentorum ac librorum Curiarum et paroeciarum, sive

fidelitatis curiae dioecesanae; observatio taxarum ex parte officialium et parochorum urgetur in can. 2408, Vicarium capitularem respicit can. 2409, duo sequentes can. 2410, 2411 Superiores religiosos officio abutentes puniunt, atque tres postremi can. 2412-2414 Antistitas religiosarum.

250. **Abusus in genere coercitio.** — *Can. 2404. Abusus potestatis ecclesiasticae* explicatus in Tituli inscriptione, quicumque fiat, *prudenti legitimi Superioris arbitrio*, seu indeterminata poena (canon 2217, § 1, 1°), *pro gravitate culpae puniatur*, ad normam igitur can. 3223, § 3, 1° 2°, *salvo praescripto canonum* v. gr. subsequentium *qui certam poenam* latae vel ferendae sententiae *in aliquos abusus statuunt.*

251. **Laedentes Curiam quod eius documenta.** — *Can. 2405. a*) *Vicarius Capitularis, aliive omnes* b) *tam de Capitulo* cathedrali designante illum, c) *quam extranei* Capitulo eidem, clerici aut laici, *qui documentum quodlibet ad Curiam episcopalem* scilicet: ad diversa officia Curiae ipsius, sive in Archivo situm sive extra ipsum, v. gr. ad Vicariatum, ad Tribunal dioecesanum, etc. *pertinens sive per se sive per alium*, atque in hoc secundo casu delinquit uterque, hoc est: etiam exequens, a) *subtraxerint,* veluti furando clam vel rapiendo aperte, b) *vel destruxerint* tantum v. gr. laceratione, combustione, c) *vel celaverint,* etsi e loco non asportaverint, d) *vel substantialiter immutaverint*, ergo non comprehenditur accidentalis documenti mutatio, vel materialis per novam transcriptionem authenticam loco veteris exemplaris; praedicti delinquentes *incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae simpliciter reservatam,* sed praeterea lex addit facultativis verbis: *et ab Ordinario etiam privatione* disiunctive *officii*, *beneficii*, *plecti poterunt.*

252. **Adversus curiales delinquentes.** — Quamvis in canone praecedente sanctio percellat omnes qui documentum quodlibet Curiae episcopalis ex delicto aliquo ibi expresso violaverint, subditur canon puniens personas specialiter addictas eorum conservationi, videlicet:

Can. 2406. § 1. *Quicumque officio*, v. gr. cancellarius, notarius, ad normam can. 372, § 1, 374, parochus ad normam can. 470, § 1, *tenetur acta*, i. e. authentica scripta eorum quae per Curiam fiunt, b) *vel documenta*, scilicet: quae docent mentem de diversis

rebus vel factis ad ecclesiam pertinentibus, c) *seu libros* manuscriptos, aut typis quoad formulas editos, secretos vel non, *Curiarum ecclesiasticarum* sive Romanae, sive dioecesanae, d) *vel libros paroeciales* de quibus est can. 470, a) *conficiendi* quoad documenta. b) *conscribendi* quoad acta et libros, c) *aut conservandi* quoad singula praedicta, a) *si ea falsare*, loco illorum supponendo alia, vel falsum in eis conscribendo, b) *adulterare*, scilicet: adiungendo aliquid in veris documentis, actis, libris, vel mutando, vel cancellando, c) *destruere* quoad materiale illorum constitutivum lacerando, comburendo, etc. d) *vel occultare* tantummodo respectu illorum quibus debent praesto esse, etiam non extrahendo, *praesumpserit* (can. 2229, § 2), a) *suo officio* quo abusus est *privetur* b) *aliisve gravibus poenis ab Ordinario pro modo culpae puniatur.* Poena igitur est ferendae sententiae ac indeterminata, sed praeceptivis verbis lex loquitur.

§ 2. *Qui vero acta, documenta vel libros hos,* ut declarata sunt in §° praec., *legitime petenti* ad normam can. 374, 3°, 378. 384, a) *exscribere*, b) *transmittere* exemplaria petita, c) *seu exhibere* tantummodo, a) *dolose* i. e. ad constituendum delictum iuxta can. 2200, § 1, *detrectaverit* h. e. recusaverit, *aliove quovis modo officium suum prodiderit,* i. e. infideliter contra illud egerit praeter modos antea in canone enumeratos, v. gr. contra secretum servandum, *privatione officii vel suspensione ab eodem* officio, scilicet: poena alterutra, *mulcta*, sic poenae determinantur sed facultativis verbis, (can. 2223, § 2) videlicet: *ad arbitrium Ordinarii pro gravitate casus* etiam unius *puniri potest.*

253. **Contra inducentes curiae administros adversus eorum officium.** — Ne igitur officiales in exequendo fideliter sua ecclesiasticarum curiarum officia priventur munimine hominibus necessario, subditur *can. 2407. Qui Curiae* ecclesiasticae ut supra a) *officiales seu administros quosvis* maiores vel minores *ecclesiasticos,* scilicet: sic dictos propter munus, etsi laicos, b) *iudices.* c) *advocatos vel* d) *procuratores* in foro quidem ecclesiastico a) *donis* actu exhibitis *aut pollicitationibus* cuiuscumque rei vel servitii utilis in facto aut verbo b) *ad actionem vel omissionem* c) *officio suo contrariam* uti finem *inducere* d) *tentaverit*, sive obtineat intentum, sive non, ad normam can. 2212, § 4; sic, ut explicatum est, delinquens *congrua poena plectatur,* quod verbis praeceptivis expri-

mitur adimplendum quidem a competente Superiore ecclesiastico, *et* simul cum illa: *ad reparanda damna*, quorum fuit causa efficax, *si qua illata sint, compellatur;* quia tum iure naturali, tum vi can. 2209, § 3 sunt imputabilia eidem.

254. **In augentes taxas, vel ultra eas exigentes.** — Aliud delictum consideratur in officialibus Curiae ac in parochis per *canon. 2408. Taxas consuetas et legitime approbatas ad normam can. 1507* « pro variis actibus iurisdictionis voluntariae vel pro exsequutione rescriptorum Sedis Apostolicae vel occasione ministrationis Sacramentorum vel Sacramentalium », (quas « praefinire in tota ecclesiastica provincia solvendas, est Concilii provincialis aut conventus Episcoporum provinciae; sed nulla vi praefinitio eiusmodi pollet, nisi prius a Sede Apostolica approbata fuerit »), *augentes*, quando interrogantur de ipsis solvendis, vel assertione dolosa, *aut ultra eas* etsi vere patefactas *aliquid exigentes* non sponte oblatum, alterutro in casu a) *gravi mulcta pecuniaria coerceantur*, ut in quo peccarunt puniantur, nec simile quid attentent, unde b) *et recidivi* « sensu iuris » (can. 2208, § 1) *ab officio* in quo praevaricant *suspendantur vel removeantur*, igitur poena est determinata et praeceptivis verbis expressa, disiunctive autem *pro culpae gravitate*, quin ex praedictis poenis liberentur ab adimplendo iure naturae, unde subinfert canon: c) *praeter obligationem restituendi quod iniuste perceperint*, nam ut ait D. Th.[1]: « iustum est aliquod opus adaequatum alteri secundum aliquem aequalitatis modum » et infra: « Alio modo aliquid est adaequatum vel commensuratum alteri ex condicto, sive ex communi placito », et infra: « alio modo ex condicto publico, puta... cum hoc ordinat princeps, qui curam populi habet, et eius personam gerit; et hoc dicitur ius (seu iustum) positivum »: obiectum quidem iustitiae commutativae (ut patet in art. 1°, et q. LVIII art. XI), et cuius violatio secumfert onus restitutionis[2].

255. **Propter illegitimas litteras dimissorias.** — *Can. 2409. Vicarius capitularis concedens litteras dimissorias pro ordinatione*, quamvis haec non verificetur, dummodo ad ordinandi potestatem pervenerint, *contra praescriptum can. 953*, § *1, n. 3,* scilicet: vel sine « Capituli consensu » vel « intra annum » alicui non arctato

[1] II-II^ae. q. LVII, a. II. — [2] Q. LXII, art. I et II.

« ratione beneficii aut certi alicuius officii », prout eo in canone declaratum est, sic delinquens *ipso facto* concedendi praefatas litteras *subiacet suspensioni a divinis*. Scilicet: quae « vetat omnem actum potestatis ordinis quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet ». (Can. 2279, § 2, 2°).

256. **Contra Superiores illegitime remittentes ordinandos.** — In eadem materia versatur sequens *can. 2410. Superiores religiosi* maiores, etsi Congregationum, sed exempti, quia his competit ad normam can. 964, 2° et 3° litteras dimissorias suis subditis concedere; imo alii Superiores qui huiusmodi privilegium obtinuerunt cum servanda ex iure limitatione can.s cit.[1] 4°, atque canon applicatur « societatibus clericalibus sine votis, quatenus societas privilegio gaudeat dimissorias concedendi ad ordines suis subditis » [1]; ergo singuli eorum, *qui contra praescriptum can. 965-967*, scilicet: extra quinque casus recensitos sub can. 966, § 1, « aut concessionem litterarum dimissoriarium de industria in id tempus differant » (dummodo id externe saltem ex circumstantiis pandatur et sic delictum constituat) « quo Episcopus vel abfuturus vel nullas habiturus sit ordinationes », a) *subditos suos* b) *ad Episcopum alienum*, scilicet: (can. 965) « dioecesis, in qua non sita est domus religiosa, ad cuius familiam pertinet ordinandus », unde hoc requisitum déest, quando « Superiores religiosi in fraudem Episcopi dioecesani » ubi erat prius, « subditum ordinandum ad aliam religiosam domum mittant » praevie, ut in veritate ad huius familiam pertineat posteaque ordinetur, quamvis peccent contra can. 967 [2]; sed ad incurrendam subsequentem poenam, necesse est, ut duabus cum determinationibus a) et b) *ordinandos* c) *remittere*, quamvis ordinationis effectum non consequantur, d) *praesumpserint*, ergo ad normam can. 2229, § 2, propter explicatum delictum *ipso facto suspensi sunt per mensem*, poena igitur vindicativa can. 2286, 2298, 2°, *a Missae celebratione* tantummodo.

257. **Recipientes candidatum non idoneum vel sine litteris testimonialibus.** — Easdem personas ac praecedens, sed cum

[1] Vide citationem ad pag. 322 in nota.

[2] Can. 967. Caveant Superiores religiosi ne in fraudem Episcopi dioecesani subditum ordinandum ad aliam religiosam domum mittant, aut concessionem litterarum dimissoriarum de industria in id tempus differant, quo Episcopus vel abfuturus, vel nullas habiturus sit ordinationes.

amplitudine alias etiam plectit sequens *can. 2411. Superiores religiosi,* scilicet: maiores ad normam can. 543, attamen propter vocabuli generalitatem intelligendi cuiuscumque religionis sive virorum sive mulierum, sed iuris pontificii; exclusis monasteriis monialium loci Ordinario subiectis et Congregationibus iuris dioecesani, eo quia in istis ad illum videtur pertinere quod in hoc canone punitur, secundum ea quae dicta fuerunt in can. 574 ad § 2, atque loci Ordinarius non venit nomine Superioris religiosi praecipue in praesenti canone poenali. — Praedicti ergo Superiores *qui* a) *candidatum non idoneum contra praescriptum can. 542,* proindeque absque dispensatione Apostolica circa conditiones ad validitatem vel liceitatem admissionis, et « quoad (hanc) primam partem, societatibus clericalibus sine votis applicetur » canon secundum decisionem Commiss. Pont. ad ss. canones auth. interpretandos [1], b) *aut sine requisitis litteris testimonialibus contra praescriptum can. 544* ibidem interpretatum, c) *ad novitiatum receperint* scilicet: invalide aut illicite respective, d) *vel ad professionem* scilicet: primam post novitiatum *contra praescriptum can. 571, § 2* scilicet: eum qui « non iudicetur idoneus » *admiserint;* omnes praedicti Superiores *pro gravitate culpae puniantur* a generali Moderatore vel ab eo ad quem pertineat, sed verbis praeceptivis lex exprimitur, quae punitio extendi potest: *non exclusa officii privatione.*

258. **Non observantes praescripta canonum de dotibus et de certioratione.** — Simili poena indeterminata eodemque modo ferendae sententiae animadvertendum est in delinquentem vi seq.[s] *can. 2412. Religiosarum etiam exemptarum* proindeque monialium quoque, a fortiori non exemptarum, *Antistitae* maiores aut locales, quae ss. canonibus infra cit.[s] iam explicatis parere debent, *pro gravitate culpae, non exclusa, si res ferat, officii,* quo denominantur, *privatione, ab Ordinario loci puniantur,* quia eidem his in rebus subiectae sunt; — *1° Si contra praescriptum can. 549 dotes puellarum receptarum,* etsi ante ipsarum professionem ac novitiatum usque ad « religiosae obitum », *quoquo modo* etiam « ad aedificandam quidem domum aut ad aes alienum extinguendum » *impendere praesumpserint,* quod vocabulum « plenam cognitionem ac deliberationem exigit » iuxta can. 2229, § 2; sequitur vero ad-

[1] Vide citationem ad pag. 322 in nota.

monitio: *salva semper obligatione de qua in can. 551* circa dotem « religiosae professae discedenti integram restituendam », vel illa transeunte « ad aliam religionem » huic tradendam, secundum ibi datam explicationem; — 2° *Si contra praescriptum can. 552 omiserint*, scilicet: « duobus saltem mensibus ante », *Ordinarium loci certiorem facere de proxima* (quod verbum confirmat interpretationem datam illius clausulae) *alicuius* puellae *admissione ad novitiatum vel ad professionem.*

259. **Delicta occasione visitationis canonicae.** — Respectu ad can. 511-513 hic positus est sequens *can. 2413.* § 1. *Antistitae* equidem maiores ad quas pertineat, *quae* a) *post indictam visitationem*, scilicet: hoc delictum non incurrent, si etiam intuitu visitationis indicendae, sed antea, b) *religiosas*, nempe: professas c) *in aliam domum*, d) *Visitatore non consentiente*, unde si necessitas vel utilitas contrarium faciendi existat, petatur huius licentia, e) *transtulerint*, quod verbum proprie comprehendit tum adscriptionem in alterius domus familiam, tum religiosae missionem ad tempus, quae ultima, si fieret ab Antistita locali, posset huiusmodi translatio iuxta canonem puniri et hucusque prima pars eius; secunda est: *itemque religiosae omnes, sive Antistitae* etiam locales, *sive subditae;* I° *quae* a) *per se vel per alios*, b) *directe vel indirecte*, c) subiectas visitationi *religiosas*, ergo professas, *induxerint* active, sive obtineant vel minus intentum, *ut* a) *interrogatae a Visitatore taceant* « de iis quae ad visitationem spectant » contra « ius et officium quod visitator habet » vi can. 513, § 1, b) *vel veritatem quoquo modo* v. gr. per tergiversationem, amphibologias, aequivocationem, deminutionem *dissimulent* c) *aut non sincere exponant* contra obligationem qua « religiosae tenentur respondendi secundum veritatem » vi can. ac §¹ cit.; II° *vel* a) *eisdem* scilicet: religiosis, quae visitationi subiectae fuerunt, b) *ob responsa quae Visitatori dederint* c) *molestiam*, d) *sub quovis praetextu, attulerint*, non tamen si molestia ipsis inferatur propter alias transgressiones, vel defectus, qui prudenter illam exigant; — singulae ut praedictum est deliquentes, a) quoad futurum *inhabiles ad officia assequenda* sensu lato ac non omnia, sed *quae aliarum regimen secumferunt*, *a Visitatore declarentur* per simplex decretum, ut haec poena per canonem inflicta constet cum effectu atque declaratio facienda praeceptivis verbis exprimitur in canone; b) *et* prae-

terea quoad praesens *Antistitae officio, quo funguntur, priventur.* Quae poena, ut patet, locum habet, secus ac praecedens, solum quando Antistita sit delinquens. — Videtur canonem considerasse sexus debilitatem in illa delicta propensiorem, sed non sunt exclusiva mulierum, hinc subditur, qui ex dictis liquet § 2. *Quae in superiore paragrapho praescripta sunt, etiam virorum religionibus* et « societatibus sine votis » [1] *applicentur.*

260. **Antistita delinquens contra libertatem confessionis.** — Ratio ultimo dicta impulit legislatorem, ut extendens n. 11 Dec.[1] S. C. de religiosis [2] conficeret ultimum Codicis *can. 2414. Antistita*, ut plurimum localis, ac etiamsi maior sit, *quae* a) *contra praescriptum can. 521, § 3, 522, 523* ad confessionis libertatem tutandam conditorum, et quod multiplex praescriptum ibi declaratum est, *se gesserit*, et hoc verbum late patet, *a loci Ordinario moneatur*, etiamsi exempta foret regularibus subiecta, cum in hac materia confessionum illi non his subiiciatur; b) *si iterum deliquerit*, supposita monitione praefata ob prius delictum, *ab eodem* Ordinario *officii privatione puniatur*, qui debet insuper adimplere sequentis clausulae praescriptum: c) *illico tamen certiore facta Sacra Congregatione de Religiosis.* Loquitur lex praeceptivis verbis, atque Ordinarius loci prudenter reminiscatur can. 2223, § 3.

[1] Commiss. Pont. ad ss. canones auth. interpretandos 2-3 Iun. 1918. CO. X, 347, n. VI. — [2] 3 Feb. 1913. CO. V, 62.

A. M. D. G.

FINIS.

Laus Deo semper.

INDEX

CANONUM ET COMMENTARII

LIBER QUINTUS

De delictis et poenis.

PARS PRIMA.

De Delictis.

TITULUS I.

De natura delicti eiusque divisione.

TITULUS II.

De imputabilitate delicti, de causis illam aggravantibus vel minuentibus et de iuridicis delicti effectibus.

TITULUS III.

De conatu delicti.

PARS SECUNDA.

De Poenis.

SECTIO I.

De poenis in genere.

TITULUS IV.

De poenarum notione, speciebus, interpretatione atque applicatione.

TITULUS V.

De Superiore potestatem coactivam habente.

TITULUS VI.

De subiecto coactivae potestati obnoxio.

TITULUS VII.

De poenarum remissione.

SECTIO II.

De poenis in specie.

TITULUS VIII.

De poenis medicinalibus seu de censuris.

Caput I. — De censuris in genere.

Caput II. — De censuris in specie.

Art. I. — *De excommunicatione.*

ART. II. — *De interdicto.*

ART. III. — *De suspensione.*

TITULUS IX.

De poenis vindicativis.

Caput I. — De poenis vindicativis communibus.

Caput II. — De peculiaribus clericorum poenis vindicativis.

TITULUS X.

De remediis poenalibus et poenitentiis.

Caput I. — De remediis poenalibus.

Caput II. — De poenitentiis

PARS TERTIA.

De poenis in singula delicta.

TITULUS XI.

De delictis contra fidem et unitatem Ecclesiae.

TITULUS XII.

De delictis contra religionem.

TITULUS XIII.

De delictis contra auctoritates, personas et res ecclesiasticas.

TITULUS XIV.

De delictis contra vitam, libertatem, proprietatem, bonam famam ac bonos mores.

TITULUS XV.

De crimine falsi.

TITULUS XVI.

De delictis in administratione vel susceptione ordinum aliorumque Sacramentorum.

TITULUS XVII.

De delictis contra obligationes proprias status clericalis vel religiosi.

TITULUS XVIII.

De delictis in collatione, susceptione et dimissione dignitatum, officiorum vel beneficiorum ecclesiasticorum.

TITULUS XIX.

De abusu potestatis vel officii ecclesiastici.

COMMENTARIUM TEXTUS
CODICIS IURIS CANONICI

LIBER I.
NORMAE GENERALES

Praevio Tractatu Introductorio

et Appendice subsequente de legibus ac libris liturgicis

AUCTORE

FR. ALBERTO BLAT O. P.

LECT. S. THEOL. AC IURIS CAN. DOCT.

ET CODICIS PROFESSORE IN PONTIFICIO COLLEGIO INTERNATIONALI

" ANGELICO ,,

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA IN INSTITUTO PII IX

(IUVENUM OPIFICUM A S. IOSEPH)

1921

ROMAE SEXTA DIE AVGVSTI

ANNO MCMXXI

AD PERENNEM MEMORIAM

ANNI SAECVLARIS SEPTIMI

A GLORIOSO TRANSITV

BEATISSIMI P. DOMINICI

FVNDATORIS ORDINIS NOSTRI

VOLVMEN HOC PRODIT

DEVOTISSIMI ANIMI TESSERA

BENEVOLO LECTORI

Codicem Iuris Canonici perscrutantibus nobis opus est duas qualitates comites indesinenter habere: docilitatem in mentem, obedientiam in voluntate. Excellentiam in istis expostulant eximia prudentia et auctoritas summa, quibus Christus exornavit suam Ecclesiam. Obedientia faciet, ut desiderio urgeamur noscendi, quid voluit legislator Ecclesiae servandum, ita quod nec magis nec minus excipiamus. Talis animi dispositio intellectum attentum ac solertem reddet, quia Ecclesiam audiens Christum audit, atque Spiritus Sanctus, qui eam regit, eidem suggessit etiam quid sit acceptum apud Eum atque linguam ipsius facit disertam, ad decernendum sobrie in verbis ac certe in sententiis.

Quamplurima sunt verba, quorum significatio in Codice discitur, sed multoties praesupponitur verborum sensus communiter notos esse saltem apud ss. canonum peritos, illosque data opportunitate inseremus, quin idipsum saepius admoneamus. Canonum praescripta perscrutabimur, normas sequendo per Codicem traditas quae, dum paulatim in Codicem progrediemur, ampliores fient ac numero auctae invenientur propter veterum canonum accessum. Alia quoque eiusdem Codicis statuta, interpretationi lumen afferent ob mutuam connexionem et affinitatem, nec deerunt nobis plures authenticae declarationes ante et post Codicem editae, quae non carent utilitate.

Intentionem nostram circumscribere valde conveniens erit, cuius limites satis amplos non transmutare sanctum nobis erit. Volumus namque callere perfecte, quantum ex Dei adiutorio nobis datum erit, quaecumque in Codice praescripta esse in veritate dici poterit. Verumtamen occasione data, leges alias ecclesiasticas memorari erit utile, sive liturgiam sacram respiciant illae, sed parce id praestandum erit, sive particulares sint, quae una vel altera ratione specialem postulent mentionem.

Ad sacros tamen canones quod attinet, mentem locupletare curabimus, non tam eruditione quaestionum, quae apud Auctores inveniantur, vel utilium quoque doctrinarum ab eisdem traditarum, sed certis tam regulis quam doctrinis, quae nostram disciplinam claram reddunt. Multiplex cum sit ratio sic agendi, tantum hac contenti erimus, scilicet: ut vitatis opinionibus, quae ad legem statuendam non conferunt, quia in iure tunc agendi libertas est a Codice permissa, praefatam sequentes viam, obtinebimus solidam doctrinam, cuius fulcimento erit facile nobis in futurum, de opinionum illarum fundamento rectum dare iudicium, ac sciemus quando, potiusquam uti opiniones, sint velut deviationes respuendae.

Quoad libros Doctorum, qui nostram disciplinam in aetatum decursu exornarunt, una solummodo alterave consideratio circa illorum usum praecipue facienda videtur. Ad ecclesiasticas leges condendas vel ad obligatorias interpretationes dandas, certum est Doctores nulla potestate praeditos esse. Hinc magis quam in aliis disciplinis verum erit, doctrinas eorum in hoc interpretationis munere tantum valere, quan-

tum valeant tum iuris principia rite intellecta quibus innitantur, tum accuratiora ratiocinia quibus practicas conclusiones protulerint. Quando igitur nobis obviam erit casus doctrinae alicuius apud probatos Auctores communis, curandum est ut proponatur ipsa et idipsum incunctanter faciendum erit in his praecipue, quae Codex ex veteri iure desumpsit, vel saltem huiusmodi congruitatem a nobis adnotandam libenter erit.

Etenim ad probatos Auctores, benevole lector, in Commentarii decursu sobrie pergas et cum solerti discretione. Sobrie, dixi, non enim multiplicata Doctorum lectione iuvamen ad intelligendos ss. canones semper consequetur, quinimo multoties ob sententiarum diversitatem obscuritas proveniet. Insuper est potius discretio circa lectionem hanc optimorum quoque Auctorum sectanda. In eorum namque libris sunt apprime distinguenda iuris principia ibidem sparsa, quae veritatem sibi semper vindicant, dummodo recte sint intellecta, a regulis disciplinae iuris canonici per illos traditae. Etsi enim hae fuerint tempore ipsorum veritati omnino conformes, impraesentiarum eadem sunt orbatae, si ad Codicis ius, quod ab illo veteri discrepet, illas regulas transferas. Neque Doctoribus potestas competit certo necessaria, ut ipsorum interpretationes non communes, quamvis de iure nunc servato, ad earum obliget observantiam, sed pro rationum pondere quibus fulciantur, erunt semper aestimandae.

E dictis autem falso coniiceretur, praedictam lectionem utilitate destitutam. Porro non est sentiendum ita. Ut dictum est prius, multa ex eis addisci

principia, estque addendum motiva canonum certa vel probabilia in probatis Auctoribus inveniri, quibus nituntur ipsi, atque ab eisdem obtinetur criterium bene ratiocinandi in hac disciplina, canonesque aptandi casibus occurrentibus in praxi, quod iurisprudentia stricte dicta vocatur plurimi facienda. Quapropter ut desiderio perfecte sciendi canones fiat satis, quoad scientiam theologicam aliasque nostrae affines disciplinas, Doctorem Angelicum ac Bened. XIV ut principes oportet revereri. In toto Commentario Reiffenstuel et Schmalzgrueber ex antiquis uti amici sunt habendi, et cum eis inter Auctores ante Codicem Wernz et Santi merito sunt commendati. Post ipsos, atque ad tempus quod attinet praesens, cum desint Commentaria in totum Codicem elaborata, pro Libro I Auctorum notitia facile habetur, inter quos Marotto et Cocchi adnumerare non est dubitandum. Ex veteribus pro eodem Libro deservient ex theologis consulendi Suarez de legibus, Bañez de iustitia et iure, dum inter canonistas Barbosae tractatus de dictionibus et clausulis usu frequentioribus, uti lexicon-iuridicum magno cum fructu in hoc et aliis Codicis libris studioso cuilibet est assumendum. Si adhuc aliorum Canonistarum notitia desideratur, selectorum Doctorum elenchus cum relativa biographia et bibliographia apud Wernz inveniri potest.

Quae hucusque de probatorum Auctorum libris breviter fuit dictum fuerunt exarata pro quolibet benevolo lectore, qui uti novitius ad iuris disciplinam accedat, talibus namque non indigent considerationibus quicumque circa illius cognitionem sunt provecti, imo hi poterunt absdubio aliam terere ab ipsis praedilectam viam.

Demum Commentarii huius folia perlegens, quodlibet in eodem recte dictum sibi videatur, Supremo legum Conditori pro merito gratias referre velit, si aliquid distortum invenerit, mihi adiudicare ignoscendo faveat.

Vale.

Romae die 2 Iulii 1921 in Collegio Angelico.

fr. ALBERTUS BLAT, O. P.

CENSURA ECCLESIASTICA ET LICENTIAE

Nos infrascripti, de mandato Revmi. Patris Magistri Generalis O. P., attente perlegimus opus manuscriptum cui titulus: *Commentarium Textus Codicis Iuris Canonici. Liber I, Normae generales cum Tractatu introductorio et Appendice de « legibus ac libris liturgicis »* ab Adm. R. P. Doctore Fr. Alberto Blat, O. P., Codicis Iuris Canonici Antecessore in Collegio Angelico compositum, et dignum ducimus ut in lucem edatur.

Romae 8 Octobris 1920.

P. REGINALDUS M. SCHULTES O. P.
S. Theol. Mag. et Prof. Theol. in Coll. Angelico de Urbe.

FR. IOSEPHUS GONZALEZ O. P.
Dr. et Prof. Iur. Can. in Univers. Friburg., Helv.

Imprimi permittimus:

Romae, die 31 Ianuarii 1921.

FR. LUD. THEISSLING, O. P., *Mag. Gen*

IMPRIMATUR

FR. ALBERTUS LEPIDI, O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

IOSEPHUS PALICA, Arch. Philippen., Vicesger.

INTRODUCTIO
IN HOC COMMENTARIUM

I.

Iuris breves notiones.

1. **Iuris significatio etymologica.** — Initium sumendum est a determinatione obiecti, cuius studio intendimus. Et primo quidem perpendendae sunt diversae vocabuli *ius* significationes, ac postea earum praecipuae divisiones. Statim sese nobis offert DD. discrepantia quoad ipsius verbi etymologiam. Quinimo iuxta aliquos illud vocabulum non est derivatum, eo quod simplicius verbis *iustum*, *iustitia* et similibus inveniatur. Haec ratio vera quidem atque efficax, si phonologice esset quaestio solvenda, non videtur tamen cogens, si consideremus illorum verborum sensum; verumtamen est absolute philologis derelinquenda.

Ad perpendandas vero iuris significationes diversas, illud verbum supponimus in ratione signi derivatum secundum eorum sententiam, quibuscum sentit Isidorus in c. «ius generale» 2 Dist. I., ubi legitur «ius autem est dictum, quia iustum est.» Supra innuimus non esse cum Isidoro concordem DD. opinionem, alii enim absque gravi ratione *ius* dici putant vel a praepositione *iuxta*, vel a verbo *iuvo, as, are,* vel per metathesim a nomine *vis*. Atque insuper Ulpianus rationabiliter denominavit ius a *iustitia*, vel tamquam obiectum potentiae habitusve a qua vel a quo respicitur, quemadmodum scibile ab scientia, visibile a visu nominatur; vel melius considerans illud sicut artem vel scientiam a suo fine, cum enim laudatus Iurisconsultus in eodem textu [1] *Ius* definiat: quod sit *ars boni et aequi*, certe ius ibidem pro scientia iuris accipit.

2. **Praecipuae iuris significationes.** — Haec vero iuris significatio etsi vera, non est tamen unica et nequidem primaria

[1] D. Lib. I. tit. I, l. 1 in principio.

iuxta D. Thomam [1]: «dicendum quod consuetum est quod nomina a sui prima impositione detorqueantur ad alia significanda; sicut nomen medicinae impositum est primo ad significandum remedium quod praestatur infirmo ad sanandum, deinde tractum est ad significandam artem qua hoc fit. Ita etiam hoc nomen ius primo impositum est ad significandum ipsam rem iustam; postmodum autem est derivatum ad artem qua cognoscitur quid sit iustum; et ulterius ad significandum locum [2] in quo ius redditur, sicut dicitur aliquis comparere in iure (aut iudicio); et ulterius dicitur etiam quod ius redditur [2] (vel dicitur) ab eo, ad cuius officium pertinet iustitiam facere, licet etiam id quod decernit, sit iniquum». - In hoc textu enumerantur praecipuae iuris significationes, dummodo compleatur per responsionem ad 2^m^ (ibidem) et per iuris acceptionem subiective considerati.

a) Perpendamus seorsim singulas: et primo quidem ius accipitur pro eodem significando ac *iustum*, quod est obiectum iustitiae, sicuti exponit Angelicus in corp. cit. art. dicens: «quod iustitiae proprium est inter alias virtutes ut ordinet hominem in his quae sunt ad alterum. Importat enim (iustitia) aequalitatem quamdam, ut ipsum nomen demonstrat: dicuntur enim vulgariter ea quae adaequantur, iustari: aequalitas autem ad alterum est.... Sic ergo... rectum quod est in opere iustitiae, etiam praeter comparationem ad agentem, constituitur per comparationem ad alium. Illud enim in opere nostro dicitur esse iustum, quod respondet secundum aliquam aequalitatem alteri, puta recompensatio mercedis debitae pro servitio impenso. Sic ergo iustum dicitur aliquid, quasi habens rectitudinem iustitiae, ad quod terminatur actio iustitiae, etiam non considerato qualiter ab agente fiat.... Et propter hoc specialiter iustitiae prae aliis virtutibus determinatur secundum se obiectum, quod vocatur iustum; et hoc quidem est ius. Unde manifestum est quod ius est obiectum iustitiae». Et hoc dictum sit de prima iuris significatione.

b) Subiungebat D. Th. [3]: «Postmodum hoc nomen ius est derivatum ad artem qua cognoscitur quid sit iustum», et secundum istam significationem ius definitur: «ars boni et aequi» iuxta Ulpianum et ut diximus, quam definitionem explicat Imperator

[1] 2.a 2.a q. LVII art. 1 ad 1m. — [2] D. Lib. I, tit. I, l. 11. — [3] Resp. cit. ad 1.m

in Inst. iuris civilis (§ iurisprudentia 1), dum ait: « Iurisprudentia est divinarum atque humanarum rerum notitia, iusti atque iniusti scientia » id est: cognitio seu peritia operum iustorum, quae scilicet habent aequalitatem quamdam ad alterum secundum debitum praeceptorum divinorum et humanorum; quae praecepta docent quid iustum vel iniustum, aequum vel iniquum sit. Huic disciplinae qui student, iuris studiosi, qui eam callent, iurisperiti vel iurisconsulti, aut Doctores in iure; et qui eamdem ex officio docent in studiorum Academiis et Universitatibus, iuris Professores vocantur.

c) Haec vero iustorum operum cognitio seu ars considerari potest in eorum mente, quibus competit, quaenam sint iusta generaliter edicere ac constituere, atque de ista tertia significatione ait D. Th. [1]: « quod, sicut eorum quae per artem exterius fiunt, quaedam ratio in mente artificis praeexistit, quae dicitur regula artis: ita etiam illius operis iusti, quod ratio determinat, quaedam ratio praeexistit in mente, quasi quaedam prudentiae regula ».

d) Addit vero Noster Doctor: « et hoc si in scriptum redigatur, vocatur lex; est enim lex, secundum Isidorum [2], constitutio scripta, et ideo lex non est ipsum ius, proprie loquendo (i. e. secundum primam nominis impositionem), sed aliqualis ratio iuris », seu conceptus et quidem per scripturam expressa. Hinc factum est, ut ipsae leges tum divinae tum humanae iura nominarentur, ideoque in hac significatione ius nihil aliud est quam *regula iusti et iniusti*, et sicut habetur in aliis rebus regula vel norma, ut in Geometricis linea, in Opticis tubus, in artis aedificatoriae perpendiculum; quid simile obtinet in societate ius, ad quod debent facienda exigi, agendaque mensurari. Et hoc in sensu, facta vero abstractione medii per quod exprimitur ipsa conceptio mentis iuridica, ius accipitur in c. ius 2. dist. 1 ubi ex Isidoro transcribitur: « Ius generale nomen est; lex autem iuris est species ». In eadem item significatione accipitur, quando aliquid esse dicitur *liquidi vel explorati vel dubii iuris*, quando asseritur quemdam laborare *ignorantia iuris*, quando exprimitur professores tradere discipulosque excipere interpretationem iuris canonici, civilis, publici, etc.

e) Ius etiam sub eadem significatione ampliatur ad signandum complexum legum vel ecclesiasticarum, vel civilium aut a natura

[1] Loc. cit. ad 2.m — [2] Etym. lib. V. c. 3.

profluentium, etc.; et sic loquimur de iure canonico, de iure civili, de iure naturae, etc.

f) Quandoque ulterius accipitur ius pro loco in quo litigantium cuique quod suum est adiudicatur ab eo, qui munus publicum in societate exercet. Atque hoc sensu Ulpianus ait: « ius eum solummodo locum esse, ubi iuris dicendi vel iudicandi gratia iudex consistat »; et dicimus eodem sensu: *in ius ire*, *vocari*, *duci; in iure comparere* ac *sisti*. — Huic significationi connectitur alia; pro iudicis nempe sententia, per quam alicui decernitur vel dicitur ius, idest: adiudicatur quod ipsi debetur; et quia iudicis est in particularibus casibus proferre quid iustum seu aequale alteri sit, etiam iniqua sententia per ipsum prolata vocatur ius, secundum Pauli iurisconsulti animadversionem:[1] « Praetor quoque ius reddere dicitur, etiam cum inique decernit, relatione scilicet facta, non ad id quod ita Praetor fecit, sed ad illud, quod Praetorem facere convenit ».

g) Supposita igitur lege decernente (aliquid determinatum) sive rem, sive actionem alteri personae reddendam esse, vel nihil ei obstandum, mens concipit in ea persona mente ac libera voluntate praedita moralem facultatem veram illud sibi debitum recipiendi, exigendi, vel quidquam agendi absque alterius oppositione. Haec moralis facultas ius subiectivum audit, de quo infra redibit sermo.

3. **Divisio iuris sumpti pro iusto.** — Ex D. Th.[2]: « sicut dictum est, ius sive iustum est aliquod opus adaequatum alteri, secundum aliquem aequalitatis modum. Dupliciter autem potest alicui homini esse aliquid adaequatum; uno quidem modo ex ipsa natura rei, puta cum aliquis tantum dat, ut tantumdem recipiat, et hoc vocatur ius naturale. Alio modo aliquid est adaequatum vel commensuratum alteri ex condicto, sive ex communi placito: quando scilicet aliquis reputat se contentum, si tantum accipiat. Quod quidem potest fieri dupliciter: uno modo per aliquod privatum condictum, sicut quod firmatur aliquo pacto inter privatas personas; alio modo ex condicto publico, puta cum totus populus consentit quod aliquid habeatur quasi adaequatum et commensuratum alteri; vel cum hoc ordinat princeps, qui curam populi habet, et eius personam gerit; et hoc dicitur ius positivum ».

[1] D. Lib. I, tit. I, l. 11. — [2] 2ª 2ªᵉ q. LVII a. 2, c.

Omissis aliis obiectionibus, perpendamus quam ingerit ius divinum, reapse non comprehensum in divisione, quia utpote naturam humanam excedens, non est ius naturale, atque uti non innixum placito vel determinationi auctoritatis humanae non erit positivum. — Sed facile solvitur difficultas dicendo (ib. ad 3^m) «quod ius divinum dicitur quod divinitus promulgatur; et hoc quidem partim est de his quae sunt naturaliter iusta, sed tamen eorum iustitia homines latet», sive hoc eveniat ob imbecillitatem humanae mentis in adinvenienda veritate, quando est propriis relicta viribus, sive ob passiones rationem obnubilantes, sive ob desidiam; «partim autem (ius divinum est) de his quae fiunt iusta institutione divina»; sicut in quibusdam obligationibus pastorum animarum erga eorum subditos. «Unde etiam ius divinum per *illa* duo distingui potest, sicut et ius humanum». Sunt enim in lege divina quaedam (quarum bonitas seu malitia praecepto divino praesupponitur, et sunt ratio illius praecepti, quaedam vero sortiuntur bonitatem aut malitiam solum ex praecepto vel prohibitione divina. Et hoc sic expressit D. Thomas: «Sunt enim in lege divina quaedam praecepta, quia bona, et prohibita, quia mala; quaedam vero bona, quia praecepta, et mala, quia prohibita».

Praeterea, nunc perscrutandum ac solvendum est dubium, quod exoritur ex iure gentium. Istud enim non est ius positivum; non enim omnes gentes umquam convenerunt ut ex communi condicto aliquid statuerent (consideramus enim ius gentium proprie ut ab internationali per pacta distinctum); neque uni auctoritati omnes gentes subiiciuntur; cum tamen, teste Ulpiano celeberrimo icto. [1]: «ius gentium sit, quo omnes gentes utuntur»; ac ceteroquin illud a iure naturali distinguitur, iuxta Isidorum dicentem [2], quod «ius aut naturale est, aut civile, aut gentium».

Audiamus ergo solutionem Angelici Praeceptoris probantis ius gentium sub iure naturali comprehendi [3]: «Resp. dicendum quod sicut dictum est, ius sive iustum naturale est, quod ex sui natura est adaequatum vel commensuratum alteri. Hoc autem potest contingere dupliciter: uno modo secundum absolutam sui considerationem; sicut masculus ex sui ratione habet commensurationem ad

[1] D. Lib. I, tit. I, l. 1. — [2] Etym. lib. V. c. 4. — [3] 2^a 2^{ae} q. LVII. a. 3. c.

feminam, ut ex ea generet; et parens ad filium, ut eum nutriat. Alio modo aliquid est naturaliter alteri commensuratum, non secundum absolutam sui rationem, sed secundum aliquid quod ex ipso sequitur, puta proprietas possessionum; si enim consideretur iste ager absolute, non habet unde magis sit huius quam illius; sed si consideretur per respectum ad opportunitatem colendi, et ad pacificum usum agri, secundum hoc habet quamdam commensurationem ad hoc quod sit unius et non alterius, ut patet per Philosophum. Absolute autem apprehendere aliquid non solum convenit homini, sed etiam aliis animalibus. Et ideo ius quod dicitur naturale, secundum primum modum, commune est nobis et aliis animalibus. A iure autem naturali sic dicto recedit ius gentium, ut Iurisconsultus dicit, quia *illud omnibus animalibus*, *hoc solum hominibus inter se commune est* [1]. Considerare autem aliquid, comparando ad id quod ex ipso sequitur, est proprium rationis; et ideo hoc idem est naturale homini secundum rationem naturalem, quae hoc dictat. Et ideo dicit Caius iurisconsultus [2]: *Quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peraeque custoditur, vocaturque ius gentium* ». Hinc patet quod ea quae sunt iuris gentium speciali institutione seu communi omnium condicto non indigent; nam ipsa naturalis ratio ea instituit vel dictavit, velut ex brevi ratiocinatione cognita sicuti aequitatem habentia. Et Isidorus in citato textu: *ius naturale* vocat *illud nobis aliisve animalibus commune*, *civile* aliud *quod positivum diximus* et *ius gentium proprium naturale ius hominum.*

4. **Aliae iuris divisiones** considerari queunt in primario illius sensu; 1ª quatenus diversimode aliquis iure qua iusto ordinatur ad alterum, et hunc respicit, atque ex hac diversitate obiecti duae virtutes distinctae specificantur; videlicet: iustitia particularis et iustitia generalis seu legalis. De quibus sufficiat quod ait D. Thomas [3]: « Respondeo dicendum, quod iustitia, sicut dictum est, ordinat hominem in comparatione ad alium, singulariter consideratum (et haec est iustitia particularis, ib. a. 7. c); alio modo ad alium in communi, secundum scilicet quod ille qui servit alicui communitati, servit omnibus hominibus qui sub communitate illa

[1] D. Lib. I, tit. 1, l. 1 in fine. — [2] D. Lib. I, tit. I, l. IX. — [3] 2ª 2ªᵉ q. LVIII. a. 5. c.

continentur. Ad utrumque ergo se potest habere iustitia secundum propriam rationem. Manifestum est autem quod omnes qui sub communitate aliqua continentur, comparantur ad communitatem sicut partes ad totum; pars autem id quod est, totius est; unde et quodlibet bonum partis est ordinabile in bonum totius. Secundum hoc ergo bonum cuiuslibet virtutis, sive ordinantis aliquem hominem ad seipsum, sive ordinantis ipsum ad aliquas alias personas singulares, est referibile ad bonum commune ad quod ordinat iustitia. Et secundum hoc actus omnium virtutum possunt ad iustitiam pertinere, secundum quod ordinat hominem ad bonum commune. Et quantum ad hoc iustitia dicitur virtus generalis. Et quia ad legem (in societate) pertinet ordinare in bonum commune... inde est quod talis iustitia praedicto modo generalis dicitur iustitia legalis, quia scilicet per eam homo concordat legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune».

2ª Divisio iuris exurgit, quatenus in ipso iure ceu iusto aequalitas ad alterum diversa respicitur, quod ius hac ratione seu ut obiectum secernit iustitiam commutativam a iustitia distributiva, quia sicut Philosophus dicit: *in iustitia distributiva accipitur medium* (virtutis) *secundum geometricam proportionalitatem; in commutativa autem secundum arithmeticam;* quod ita optime a D. Th. exponitur [1]: «...in distributiva iustitia datur aliquid alicui privatae personae, inquantum id quod est totius, est debitum parti; quod quidem tanto maius est, quanto ipsa pars maiorem principalitatem habet in toto. Et ideo in distributiva iustitia tanto plus alicui de bonis communibus datur, quanto illa persona maiorem habet principalitatem in communitate... Sed in commutationibus (unde iustitia vocatur commutativa) redditur aliquid alicui singulari personae propter rem eius quae accepta est, ut maxime patet in emptione et venditione, in quibus primo invenitur ratio commutationis. Et ideo oportet adaequare rem rei, ut quanto ipse plus habet quam suum sit, de eo quod est alterius, tantumdem restituat ei cuius est. Et sic fit aequalitas secundum arithmeticam medietatem, quae attenditur secundum parem quantitatis excessum». Sed hic sistamus relinquendo harum omnium explanationem theologis, his namque ipsarum virtutum cognitio valde interest.

[1] 2ª 2ªᵉ q. LXI a. 2 c.

5. **Divisiones iuris sumpti pro lege.** — Ius vero sumptum pro lege, huius suscipit divisiones. Quarum legum omnium fons est *lex aeterna,* quae nihil aliud est quam « ratio divinae sapientiae secundum quod est directiva omnium actuum et motionum » [1] et « *cui* subduntur omnia quae sunt in rebus a Deo creatis, sive sint contingentia, sive sint necessaria » (ib. a. 1. c.).

In hac lege aeterna duas possumus considerare distinctiones: 1ª iuxta diversitatem actuum et motionum rerum creatarum, qui possunt esse necessarii contingentesve tantum, vel actus insuper etiam liberi. Quoad priores motiones, creaturae participant legem aeternam, quam exequuntur, per principia intrinseca operationum quibus principiis aguntur ad finem, aut sine huius cognitione aut cognoscentes finem ipsum sensibiliter, et inde proveniunt relationes quas leges naturae vocamus. Quoad actus vero liberos, creaturae rationales seipsas agunt et seipsas resque alias gubernant per illius sapientiae divinae lumen, quod lex naturalis appellatur, et quae « nihil aliud est, quam participatio legis aeternae in rationali creatura. » (ib. a. 2 c.).

2ª distinctio legis aeternae promanat ex Dei voluntate angelos ac homines elevante ad ordinem finis superexcedentis naturas ipsorum, qui ordo quoad inclinationes tum necessarias tum liberas regitur quidem aeterna lege, sed quoad illius partem, haec modo positivo a Deo est condita et promulgata, quae propterea lex divina positiva proprie audit, et quam mente discernimus a legis aeternae praeceptis, quibus reguntur naturae omnium creaturarum (non exclusis intellectualibus creaturis); iuxta illud D. Th. [2]: « praecipue cum per legem aeternam regulemur in multis quae excedunt rationem humanam sicut in his quae sunt fidei ».

A lege aeterna demum derivantur mediate universae leges humanitus positae, potestate vero quae a Deo sit, sive tamquam conclusiones ex principiis, sive tamquam determinationes legis a Deo promulgatae; cum hac tamen differentia iuxta utramque potestatem, quam Deus in mundo posuit ut homines regerentur, civilem scilicet et ecclesiasticam, ut potestas civilis quae finem temporalem, humanumque secundum naturam ex se prosequitur, derivet suas leges, a naturae legibus ac iure naturali quae

[1] 1ª 2ae q. XCIII, a. 1. c. — [2] 1. 2, q. LXXI. a. 6. ad 5.

ut vidimus, manifestationes sunt legis aeternae, ecclesiastica vero potestas expresse collata pro assequendo fine spirituali, aeterno ac supernaturali hominum, derivare teneatur suas leges a lege divinitus revelata, sub qua comprehenditur et lex proprie divina seu supernaturalis quoad obiectum et lex naturalis quae etiam supernaturaliter idest revelatione divina nobis tradita est.

Ulteriores divisiones legum ecclesiasticarum erunt perpendendae sub titulo de Constitutionibus, sicuti aliorum Titulorum sunt propriae divisiones iuris accepti secundum alias significationes superius positas, exceptis duabus quas statim proponemus.

II.

Nonnullae sequuntur quaestiones.

6. **Iuris subiectivi definitio.** — Videtur quod ius subiectivum non sit « facultas moralis aliquid agendi, omittendi vel exigendi inviolabilis ». I. Quia omnibus probatur ius defendendi propriam vitam, cum invasoris occisione, et in Iure nostro Clem. un. « de homicidio voluntario et casuali » (V. 4) quando statuit irregularitatem ob talem occisionem non contrahi. Sed haec facultas non est moralis, iuxta illud « Non occides ». Ergo ius subiectivum non est facultas moralis, sed physica.

II. Praeterea; ius subiectivum proprie habere debet pro obiecto idem ac iustitia. Sed huius obiectum est actio *ad alterum* commensurata, sicut dictum est. Ergo non recte dicitur facultas *aliquid agendi vel omittendi.*

III. Si esset facultas inviolabilis in se, dicenda esset impossibilis eius violatio, quod falsum est. Si dicatur inviolabilis iuxta leges, quatenus coactione protegitur ac vindicatur, sequeretur quod iura naturalia non suffulta legum humanarum sanctione, non essent vera iura, quod admitti non posse videtur.

Sed contra est, quod ab omnibus illa definitio admittitur.

Respondeo dicendum, quod iuris nomen ad ea proprie extenditur, quae referuntur ad ius obiectum iustitiae. Iustitia neminem laedit et unicuique suum debitum tribuit. Unde sequitur iustitiam aequalitatem custodire inter homines, non sic ut omnes sint aequales quoad bona propria, sed inquantum non patitur illa uniuscuiusque

bona positive aut negative violari per aliorum hominum actiones, aut omissiones. Atque omnia haec naturalis humana lex dictat servanda, iuxta illud: quod tibi non vis fieri, alteri ne facias. Ex his patet liberae creaturae proprium esse illud ac secundum rationem, proindeque moralem facultatem propriorum bonorum possidendi ac utendi, et relativam in aliis obligationem esse iustitiae virtute requisitam. Quae facultas circa haec tria versatur, ut aliquis faciat quidquam circa propria bona vel quoad ipsa quoddam omittat, vel demum ad servandum ea aliquid ab aliis exigat. Illa vero aequalitas semper est servanda, ita ut si laedatur sit necessario reparanda, utpote quod perenni ratione exigitur, ac semel destructa ex seipsa non restauratur. Et hoc sensu inviolabilis recte appellatur. Unde sequitur ex dictis quod « facultas moralis aliquid agendi vel omittendi vel exigendi inviolabilis » recte ius subiectivum dicatur.

Ad I^m^ ergo dicendum, quod praeceptum « Non occidendi » sic est accipiendum, quatenus alteri debemus velle bonum sicut nobis, ut aequalitas servetur. Sed quandocumque unus homo invadit alterius vitam, ita ut vita utriusque servari nequeat, quod exprimitur verbis « servato moderamine inculpatae tutelae »), invasionem patiens, non sicut sibi sed magis quam sibi bonum idipsum alteri vellet, et etiam aequalitatem non servaret, dum nocentis vitam eidem bono innocentis praeferret in praxi. Unde patet ius defendendi propriam vitam cum invasoris occisione, facultatem moralem esse, si tamen fiat servato moderamine incalpatae tutelae.

Ad II^m^ dicendum quod illa facultas non vocatur proprie ius subiectivum, quatenus aliquid simpliciter agit vel omittit, sed quatenus has actiones vel omissiones aliquis ponens in respectu ad alios homines consideratur, velut ab eis non impediendus. Sic enim ad iustitiam illa facultas pertinet.

Ad III^m^ dicendum quod facultas hominis dupliciter inviolabilis dicitur, vel quia irrationabiliter tractari seu impediri nequit quoad eius naturam et exercitium, et hoc physice, sicut intellectus ac voluntas hominis in seipsis, vel quia illa irrationalis tractatio seu violentia aut impedimentum, etiamsi possit physice adhiberi, tamen lege hoc ipsum vetatur, proindeque violatio secumfert transgressionem legis. Primo modo facultas est physice inviolabilis, secundo modo est inviolabilis moraliter. Iuxta dicta (in corp.) ius subiectivum est circa actiones et omissiones quatenus ad alterum refe-

runtur, et hinc earum facultas dicenda erit inviolabilis non physice sed moraliter ob legem aliquam, quae facultatem illam protegit, et debitum cum obligatione huius in aliis correlativa sancitur.

Sed considerandum quod ex naturali lege duplex est debitum cum obligatione unius erga alterum. «Unum quidem quod non est numerandum in bonis eius qui debet, sed potius in bonis eius cui debetur; puta si aliquis habet pecuniam aut rem aliam alterius, vel furto sublatam, vel mutuo acceptam, sive depositam, vel alio aliquo simili modo», et hoc est *debitum iustitiae*, ad quod reddendum semper adstringimur lege naturali. «Aliud autem est debitum quod computatur in bonis eius qui debet, et non eius cui debetur, puta si debeatur non ex iustitiae necessitate proindeque cum perpetuo restituendi onere, sed ex quadam morali aequitate, ut contingit in beneficiis gratis susceptis», unde oritur gratitudinis debitum morale [1].

In ordine vero ad legem humanam possumus etiam distinguere duplex debitum cum obligatione unius erga alterum, scilicet perfectum seu legale et imperfectum seu morale, prout lex tribuit actionem ut illius reddendi obligatio efficaciter urgeatur, damnumque ex illius obligationis trangressione ortum reparetur, et habetur debitum legale, vel lex debitum cum obligatione unius erga alterum agnoscit vel saltem non inficiatur, sed eam relinquens in eiusdem vi morali, non tribuit actionem, qua possit valida manu praefata obligatio urgeri. Primum respondet iuri subiectivo perfecto, et secundum iuri subiectivo imperfecto. Et hinc apparet quo modo ius subiectivum dicatur facultas moralis *inviolabilis*, ita ut si ius illud sit naturale, *inviolabilis* facultas existat lege quidem naturali saltem ob iustitiae necessitatem, et si ius illud sit etiam lege humana sancitum, *inviolabilis* dicetur facultas, eo quod quicumque ipsi opponatur, pulsari potest in iudicio ut ab oppositione desistat vel interesse solvat. Et de hoc duplici debito loquitur D. Th. [2] dum ait: «Est autem duplex debitum: unum quidem secundum regulam rationis; aliud autem secundum regulam legis determinantis: sicut Philosophus [3] distinguit duplex iustum, scilicet morale et legale.... Debitum autem ex determinatione legis in rebus quidem humanis pertinet ad iudicialia...».

[1] D. Th. 2. 2. q. XXXI. a 3 ad 3m. — [2] Ia 2ae q. XCIX. a. 5 c. — [3] Ethic. lib. V. c. 7.

7. **Iuris subiectivi divisio.** — Videtur quod iuris subiectivi divisio in ius proprietatis et ius iurisdictionis non sit bona. I. Quia ius naturae subiectivum, si proprie dicatur, debet habere pro correlativo debitum iustitiae. Sed iurisdictioni respondet debitum obedientiae, quae virtus est a iustitia diversa et huius debitum est a iustitiae debito valde diversum.

II. Praeterea: ius proprietatis bona respicit externa quae possidentur et iurisdictio est potestas publica praecepta condens. Sed alia subiectiva iura inveniri possunt, v. gr. ad vitam, ad matrimonium contrahendum, etc. quae nec bona externa nec praecepta dici possunt. Ergo divisio in ius proprietatis et ius iurisdictionis est incompleta.

III. Praeterea: ius iurisdictionis est potestas publica. Sed dantur etiam iura subiectiva praeceptis condendis privata, v. gr. patris, domini; quae sub iure proprietatis non comprehenduntur. Ergo ius subiectivum non est rite distributum. ut supra.

Sed contra est, quod (teste Schmalzgrueber Dissert. proem. § I. n. 20) « communiter DD. ius ita acceptum dicunt esse duplex, videlicet ius proprietatis et ius iurisdictionis. »

Respondeo dicendum quod ius subiectivum, sicut supra dictum est, proprie dicitur quod respicit iustitiae debitum. Rationabiliter vero iura subiectiva vocantur etiam quaecumque referuntur ad debitum ortum ex aliis virtutibus [1] « quae in aliquo cum iustitiae virtute conveniunt, quamvis in aliquo deficiant a perfecta ratione ipsius. Quia vero iustitia ad alterum est, omnes virtutes quae ad alterum sunt, possunt ratione convenientiae iustitiae annecti. Ratio vero propria iustitiae consistit in hoc quod alteri reddatur quod *ei debetur secundum aequalitatem*. Dupliciter ergo aliqua virtus ad alterum existens a ratione iustitiae deficit: uno quidem modo, inquantum deficit a ratione *aequalis;* alio modo inquantum deficit a ratione *debiti*. Sunt enim quaedam virtutes quae debitum quidem alteri reddunt, sed non possunt reddere aequale ». Inter has enumerandae sunt pietas erga parentes, observantia erga constitutos in dignitate aut virtute praeditos, et obedientia erga superiores. « A ratione vero *debiti iustitiae defectus* potest attendi, secundum quod est duplex debitum, scilicet morale et legale. Unde et Phi-

[1] 2^a 2^{ae} q. LXXX. a. un. c.

losophus [1] secundum hoc duplex iustum assignat. Debitum quidem legale est ad quod reddendum aliquis lege (humana) adstringitur (vel adstringi potest); et tale debitum proprie attendit iustitia, quae est principalis virtus. Debitum autem morale est quod aliquis debet ex honestate virtutis ».

Patet ergo quod si ius subiectivum accipiatur pro facultate morali unius personae, cui altera obligetur propter aliquod debitum, triplex ius distingui potest, primo proprie dictum, cui correlativum sit debitum iustitiae ad aequalitatem, secundo ius subiectivum cui respondet debitum, sed non reddendum ad aequalitatem, et hoc ius solet vocari potestas sive patria, sive publica, sive maioritas; ac tertio ius improprie dictum quod respicit debitum tantum morale. Primum solet vocari ius perfectum quando a lege humana est actione iudiciali donatum, quod ut plurimum consequitur in iure canonico. Secundum vero, designari nomine iuris non solet, sed potestatis. Iura vero tertio loco posita, sicut etiam priora iudiciali actione carentia, atque correlativa debito alio cuicumque in altera persona, iura imperfecta vocantur.

Ad I^m^ ergo solutio patet ex dictis.

Ad II^m^ dicendum quod illa divisio est desumpta ex diversitate personarum, quibus obvenit utilitas per usum iuris subiectivi sumpti pro facultate morali unius erga alios; scilicet: ius proprietatis vocatur illud, quod exercetur in utilitatem personae, quae sit iuris subiectum, e contra ius iurisdictionis causat eorum utilitatem erga quos adhibetur.

Ad III^m^ dicendum, quod illa iura nominantur ab illo in quo magis apparet conceptus eorum, ita ut ius proprietatis designet omnia iura quae ad instar dominii divitiarum sunt quid utile habenti ea; et iurisdictionis ius accipitur pro omni iure quod ad instar potestatis publicae ordinatur in bonum subditorum. Hinc sub iure proprietatis bene ordinarentur ius ad vitam, ad famam, ius dominii in res sensibiles externas, et alia quasi-iura; et sub iure dominii perfecti, ius directum proprietatis, seu radicale, ius utile usus, vel ususfructus. Ita similiter sub iurisdictionis iure ordinari possent potestas domestica, potestas societatum imperfectarum qua tales sunt, et potestas publica societatis perfectae, quae ultima in

[1] Ethic. L. VIII c. 13 circa med.

saecularem et ecclesiasticam recte subdividitur, de qua ultima infra dicetur. Et sic videtur intelligenda communis DD. sententia in quarto argumento adducta.

III.

De Iure canonico.

8. **Iuris canonici etymologia.** — « Canon graece, latine regula nuncupatur » (c. 1. D. III.). Etenim de se applicari potuisset illud verbum quibuscumque legibus etiam saecularibus, utpote quae regulae agendi proprie sunt. Attamen illud nomen ab antiquitate ac etiam nunc ab omnibus adhibetur ad designandas tum definitiones fidei, quae vocantur canones dogmatici, sive speculativas veritates contineant, sive morum doctrinas; tum leges disciplinares Ecclesiae, prout etiam videre est in eodem Conc. Trid.° ante Dec. de ref. in Proemio sess. XIV: « hos, qui sequuntur, canones statuendos et decernendos duxit ». Ius ergo canonicum, pro eodem accipiendum est ac leges universalis Ecclesiae. Harum enim proprium est, ut propter assistentiam Spiritus Sancti quam R. Pontifex atque Conc. Œcumenica habent, nihil praefatae leges contineant legibus naturali ac divinae contrarium vel ab eis difforme, quod asseri non potest semper de legibus a laica potestate promulgatis. « Regula vero dicta est, eo quod recte ducit: nec aliquando aliorsum trahit. Alii dixerunt regulam dictam, vel quod regat, vel quod normam recte vivendi praebeat, vel quod distortum pravumque corrigat » (c. 2 D. III.).

9. **Eiusdem aliae denominationes.** — Ob istam rationem et quia Ius canon. potestate per Iesum verum Deum immediate tradita conditum est, atque « ex auctoritatibus novi et veteris Testamenti postea processerunt canonicae sanctiones », [1] aliquando idem Ius *divinum* appellatur, scilicet (in c. Cum de diversis 2 de privileg. in 6.°) his verbis: « providimus, quod ibidem de cetero regatur, et vigeat studium iuris divini, et humani, canonici videlicet et civilis ». Etiam ius *ecclesiasticum* vocatur propter obiectum ipsius, et ius *sacrum* quia personis Deo magis vel minus sacratis est im-

[1] C. Qualiter et quando, 1 De accusationibus... tit. I, lib. V. X.

positum et de mediis statuit quae sacra sunt vel qualitercumque ad Deum animarumque sanctitatem ordinantur. Denique Ius *pontificium* etiam dicitur, eo quod a Summo Pontifice robur accipiat, etiamsi a Concilio aliquo generali fuerit constitutum.

10. **Ius canonicum** dicitur quandoque *metonymice* pro codice in quo recensentur ss. canones, ibique servati addisci possunt, indeque citari. *Formaliter* sumitur pro legum Ecclesiae generali complexu. Et demum extenditur iuris canonici appellatio ad illam doctrinam, quae uti obiectum habet ipsos sacros canones ipsorumque collectiones.

11. **Ius canonicum formaliter sumptum** definiri potest: « Ius positivum ex omnibus Ecclesiae legibus collectum, quae in bonum spirituale fidelium editae sunt ». Restricta vero significatione ad exprimendum nostri Commentarii obiectum, Ius canonicum est: « Complexus legum quae Romanorum Pontificum auctoritate constitutae sunt, in ordine ad finem Ecclesiae proprium assequendum ». Sub definitionibus his comprehenduntur leges quae immediate ab ecclesiastica potestate vim obligandi habent, non leges quae a ratione naturali vel a Deo immediate virtutem sortiuntur, quae potestas in priori definitione nullis limitationibus circumscribitur, in secunda vero et magis proprie ad supremam Ecclesiae potestatem circumscribitur. Secunda definitionum parte innuitur finis canonici iuris, quo ab aliis iuribus inferioribus secernitur.

12. **Animadversio quoad legem divinam in Codice propositam.** — Aplca. Sedes in suis documentis ac ss. canonibus proponit fidelibus leges naturalem ac divinam, quod diversimode fieri contingit. Primo enim velut magistra, modo plus vel minus solemni docet illas practicas non minus quam speculativas veritates, tamquam in revelationis deposito contentas. Secundo legum earum sensum pandit, atque obligatorio modo proponit. Tertio praeceptum aliquod in lege divina vel naturali generice traditum a S. Pont.e determinatur quoad circumstantias in eius adimplemento servandas, v. gr. Paschatis tempus, ad satisfaciendum divino praecepto, iuxta illud. Conc. Trid. [1]: « neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod iure divino necessarium, et institutum esse intellexerat; sed ut praeceptum con-

[1] Sess. XIV c. 3.

fessionis, saltem semel in anno,... impleretur». Quarto demum conclusiones infert magis vel minus necessarias ex veritatibus practicis, quae sunt divinitus revelatae, illasque iubet. Sequitur inde quod in primo et secundo modo, exercet Ecclesia officium docendi seu magisterium divinum, proindeque praecepta sic proposita iuri altiori potius quam canonico sunt tribuenda; solumque ab ecclesiastica lege mutuabunt sanctionem v. gr. excommunicationis, fortassis eis annexam. Tertio vero et quarto modo Ecclesia se gerit ut legislatricem, sicut cum Deo legislatore, proindeque ad ius canonicum proprie reducenda est obligatio, tum determinationis praecepti naturalis aut divini, tum conclusionis quae saltem non necessario eruatur ex eis.

Exempla dictorum possumus desumere ex Concilii Tridentini Actis. V. gr. quoad 1^m in sess. VII. can. XI De sacramentis in genere; quoad 2^m in sess. XIII, cap. VII circa praeceptum Apostoli: « Probet autem seipsum homo »: quoad 3^m in sess. XIV c. 3 loc. supra cit.°; quoad 4^m denique cap. 1 in sess. VI De Ref. circa praeceptum Apostoli « in omnibus laborent, et ministerium suum impleant » et cap. 1 in sess. XXIII De Ref. « Cum praecepto divino mandatum sit omnibus.... etc. »

IV.

Iuris canonici disciplina.

13. **Disciplinae circa ius canonicum notio.** — Definienda est iam disciplina iuris canonici, ut proprie distincta a theologia morali, aliisque iuridicis disciplinis. Est nempe disciplina haec: « cognitio certa et rationabiliter fundata regularum, quibus mores christianorum conformandi sunt pro fine supernaturali sanctificationis vitaeque aeternae adipiscendo; non omnium vero regularum huiusmodi, sed earum solummodo quae vim suam omnem, aut saltem partialiter quoad determinationem aut expressam sanctionem repetunt ab ecclesiastica potestate ». Ex hac descriptiva definitione, si attentius perspiciatur, multa eruenda sunt.

Dicitur 1.°: *cognitio certa et rationabiliter fundata*, ad innuendam eiusdem stabilitatem, tum ex parte subiecti, quod eidem cognitioni firmiter adhaeret, tum ex parte obiecti (regularum nempe

quae ss. canones vocantur), quod principiis innititur sive rationis. sive fidei, quae quidem certa sunt; attamen stabilitas praedicta relativa est, quia regulae dictae in mutabili elemento etiam fundantur. videlicet in hominum conditionibus quae sunt diversae pro locorum, temporum ac aetatum varietate, indeque sequitur eas leges mutationi etiam subiici, quamvis haec si frequenter fieret laudari minime posset, tum ob rationes a D. Thoma [1] relatas, tum aliis de causis, unde dicitur a Iurisperito Ulpiano: quod « in rebus novis constituendis evidens debet esse utilitas, ut recedatur ab eo iure quod diu aequum visum est ». Quae omnia Ecclesiae praxi confirmantur, unde salva manet relativa stabilitas ss. canonum cognitionisque ipsorum. Adiungitur in definitione: *regularum quibus mores christianorum conformandi sunt;* ex quibus verbis statim eruitur hanc doctrinam proprie artem non esse, eo quod ars est *recta ratio factibilium,* cum econtra mores agibilia sint: unde disciplina haec ad scientias magis accedit et quidem practicas non pure speculativas, subordinaturque immediate scientiis iuris tum divini tum naturae, quas praesupponit, illiusque iuribus superadditur et quae simul cum iure canonico a fidelibus servanda sunt, ut finem horum principalem ipsi consequantur. Eisdem verbis exprimitur obiectum materiale ac formale huius disciplinae, quod obiectum attributionis magis determinatur per verba quae illius finem innuunt, nempe: *pro fine supernaturali sanctificationis vitaeque aeternae adipiscendo.*

Per cetera definitionis verba intentionem nostram distinguendi hanc disciplinam ab aliis promere voluimus, scilicet ad eam proprie pertinere, non iam leges quae in philosophia tum morali tum iuris addiscuntur, nec alias quae (utpote nobis a Deo revelatae) traduntur atque explicantur in Sacra Theologia, sed tantum illas leges ecclesiasticas. vel quarum tota vis immediate nititur potestati, quam Ecclesiae Deus tradidit, vel quae determinationes legis tum divinae tum naturalis continent, vel quae veluti harum legum necessariae conclusiones habendae sunt atque praecepta, sed ab Ecclesia proponuntur addita ecclesiastica sanctione, seu poena statuitur in ss. canonibus, qua illorum vis fulciatur et urgeatur in populo christiano. Ita puto distingui optime iuris canonici doctrinam ab

[1] 1a 2ae q. XCVII. a 2,

scientiis praedictis atque illius doctrinae obiectum proprium definiri. Non tamen oculos avertere licet ab illis legibus tum divino-positiva tum naturae, ne in errores incidamus, sed eas praesupponimus, ac eaedem opportune memorandae sunt. — Nec intentio disciplinae iuris canonici est omnes leges ecclesiasticas exponere, sed tantummodo eas quae a Sede Apostolica prodierunt ad regimen Ecclesiae universalis moraliter acceptae; idest: pro illa Ecclesiae potiori parte, in qua commune ius servatur.

14. **Disciplina iuris canonici ad quem mentis habitum sit reducenda.** — Videtur quod iuris canonici doctrina sub artis habitu ponenda sit: I. Definitur enim a Iurisconsulto, ut supra dictum est [1]: « ars boni et aequi », et D. Th. ait [2] quod verbum ius « est derivatum ad *artem* qua cognoscitur quid sit iustum ».

II. Praeterea: scientia, quae ex demonstratione acquiritur, est de his quae aliter se habere nequeunt. Sed iuris canonici doctrina est de ss. canonibus, quae aliter se habere possunt, ut patet, ex eorum mutationibus. Ergo scientia non est.

III. Praeterea: scientia certitudinem praestat sicut sapientia et intellectus. Sed iuris canonici doctrina est de contingentibus liberis, quae proinde incerta sunt. Ergo non est sub tribus prioribus habitibus intellectualibus.

IV. Praeterea: ad scientiam evidentia requiritur mediata conclusionum. Sed haec deest in iuris canonici doctrina, quae in experientia nititur.

V. Denique: iuxta D. Thomam [3]: « prudentia est completiva omnium virtutum moralium », proindeque ab omnibus virtuosis habetur. Sed iuris canonici doctrina non habetur ab omnibus virtuosis. Ergo non est prudentia.

Sed contra est, quod iuris canonici doctrina pertinet ad intellectuales habitus. Sed non est sapientia, intellectus vel ars. Ergo debet comprehendi sub scientia vel prudentia.

Respondeo dicendum, quod doctrinae iuris canonici obiectum formale, ut dictum est supra, ponendum est in rectitudine actionum fidelium ad bonum Ecclesiae commune. Quae rectitudo demonstratur per ss. canones, qui procedunt ex prudentia iuris positiva seu re-

[1] D. L. I, tit. I. l. 1. — [2] II-II quaest. LVII, a. 1. ad 1m. — [3] 2. 2. q. CLXVI. a. 2 ad 1m.

gnativa S. Pontificis, aliorumque legislatorum in Ecclesia, illiusque prudentiae manifestationes sunt [1]. De cuius nomine (ib. ad 3^{m}) « dicendum, quod Philosophus denominat regnativam a principali actu regis, *qui est leges ponere* (idest: Philosophus ponit legis positivam, partem subiectivam prudentiae): quod etsi conveniat aliis, (idest: ad quosdam alios principatus, et etiam ad populum), non convenit eis, nisi secundum quod participant aliquid de regimine regis », idest: inquantum populus ducitur aliique hoc regimen imitantur.

Sacri autem canones non sunt ita plene positi, quoad ipsorum conditionem seu institutionem, in libero supremae potestatis ecclesiasticae arbitrio, ut pro libitu eos condat sine respectu ad alias normas. Quinimo prae oculis habere debet, quod D. Th. de legibus humanis docet [2], ita ut sacri canones sint derivandi etiam a lege divina, vel tamquam huius conclusiones, vel saltem ut ipsius determinationes, et ex hac parte ss. canones firmitatem ac certam rectitudinem divinae legis participant. Quidam vero ss. canones uno ex praedictis modis a lege naturali derivantur, supernaturalis enim ordo naturalem non destruit ordinem, sed illum praesupponens perficit, et propter hoc naturali etiam lege fideles sunt gubernandi. Et his ss. canonibus quoque praedicta firmitas et rectitudo est adiudicanda.

Deinde humanae leges sacrique canones, non tantum divinae ac naturali legibus innituntur, sed in illis edendis attendere legislator debet ad circumstantias societatis quam regit, atque civium conditiones, temporis, loci ac negotiorum; ut sapienter tamquam *conditor legum iusta decernat*. Quae conditiones variae sunt pro diversis temporibus ac locis, et hinc exurgit quoque ss. canonum mutabilitas, etiamsi non tam frequenter mutandae sint leges, uti probat D. Th. [3] et Ecclesia idem in praxi servat, unde stabilitas relativa in ss. canonibus invenitur, prout ius canonicum scienti constat; quae stabilitas sufficiens est ad hoc, ut ss. canones constituere scientificum obiectum possint, non tamen scientiae pure rationalis, nec tantum speculativae sed practicae.

Sed cum hic modus ss. canones cognoscendi, eorum naturam

[1] D. Th. 2. 2. q. L a. 1. corp. et ad 2^{m}. — [2] 1, 2. q. XCV, a. 2. — [3] 1. 2. q. XCVII. a. 2. corp.

non mutet, est absolute dicendum hanc disciplinam ad habitum prudentiae regnativae esse reducendam, sed modo scientifico cognitionum acquirendam esse ac possidendam.

Ad I^m ergo dicendum, quod iuris canonici doctrina nequit *ars* proprie dici, cum haec definiatur: *recta ratio factibilium*, habet ergo tamquam obiectum *factibilia*, prout haec opponuntur *agibilibus*, quae nempe in hominum moribus consistunt. Hinc definitio Iurisconsulti, ac Praeceptoris Angelici verba, nomen *artis* accipiunt non proprie, sed quatenus iura cognita seu legum conceptus sunt ad modum artis verae regulae, quibus debent quoad honestatem conformari, quaecumque actiones libere fiunt ab homine [1].

Ad II^m dicendum quod [2] « contingentia dupliciter possunt considerari, uno modo secundum quod contingentia sunt, alio modo secundum quod in eis aliquid necessitatis invenitur. Nihil enim est adeo contingens, quin in se aliquid necessarium habeat.... Sic igitur contingentia, prout sunt contingentia, cognoscuntur directe quidem a sensibus, indirecte autem ab intellectu: rationes autem universales et necessariae contingentium cognoscuntur per intellectum. Unde si attendantur rationes universales sensibilium (sicut ss. canones quibus conformandi sunt actus fidelium sensibiles), omnes scientiae stricto sensu dictae sunt de necessariis: si autem attendantur ipsae res (v. gr. fidelium actiones de quibus ss. canones dantur, vel isti prout legislatorum factum), sic quaedam scientia est de necessariis, quaedam vero de contingentibus ». Unde ex hac parte disciplina iuris canonici, non secus ac theologia moralis, scientia practica dici posset.

Ad III^m dicendum quod iuris canonici doctrina habet quidem velut obiectum ss. canonum fidelium actus, qui contingentes ac liberi sunt, sed considerat rectitudinem in eis inducendam, quae in ss. canonibus continetur, horumque determinationibus non deest moralis certitudo, huiusmodi scientiarum moralium propria. Sic id patet ex D. Th. [3], ubi ad propositionem « Sed non omnium quae a maioribus lege statuta sunt, ratio reddi potest, ut Iurisperitus dicit » [4] respondet: « dicendum, quod verbum illud Iurisperiti intelligendum est in his, quae introducta sunt a maioribus circa parti-

[1] 1. 2. q. LVII a. 4, corp. — [2] 1 q. LXXXVI a. 3. c. — [3] 1. 2. q. XCV a. 2 ad 4^m. — [4] Lib. I ff. tit. 3 de legibus et senatusc.

culares determinationes legis naturalis (in Ecclesiam etiam legis divinae), ad quas quidem determinationes se habet expertorum et prudentum iudicium (quanto magis Episcoporum in Concilio et SS. Pontificum, cum quibus est Christus ac Spiritus Sanctus usque ad consummationem saeculi), sicut ad quaedam principia, inquantum scilicet statim vident quid congruentius sit particulariter determinandum. Unde Philosophus dicit [1] quod, *in talibus opportet attendere iudicium expertorum et seniorum vel prudentum in demonstrabilibus enunciationibus et opinionibus, non minus quam demonstrationibus.*»

Et sic patet, non deesse principia equidem certa. ex una parte ob lumen fidei ac lumen rationis, ex altera vero legislatorum prudentia, quibus ss. canones innituntur tamquam conclusiones. et quae principia et rationes ut plurimum exhibentur in ipsis legibus ecclesiasticis velut motiva legum ipsarum ferendarum. Adest quoque circa praedictarum conclusionum seu ss. canonum rectitudinem certitudo, ex illis principiis ac rationibus proveniens, quam firmant praeterea Supremi Pastoris auctoritas et Spiritus Sancti adiutorium.

Denique huius rectitudinis stabilitas seu veritas practica inter rerum humanarum fluctus, adeo sufficienter manet salva, ut scientia semper virescens et radicibus praefatis innixa sine dubio sit agnoscenda. Etenim sicut ait D. Th. [2] « *non est eadem certitudo quaerenda in omnibus,* ut (Ethic. l. 1 c. 3 in princ. etc. 7 sub fine) dicitur. Unde in rebus contingentibus, sicut sunt naturalia, et res humanae, sufficit talis certitudo, ut aliquid sit verum ut in pluribus; licet interdum deficiat ut in paucioribus ». — Et sic patet etiam responsio ad IV^m^. Sufficit enim evidentia de principiis, quae habetur in scientiis quarum subalterna est iuris canonici doctrina, quoad res vero experientia cognitas quibus etiam innititur, sensuum auctoritatisque humanae criteria evidenter satis constant. Et sic de ss. canonibus verum quoque est [3] « quod in universali habent rationem, non autem quantum ad particulares conditiones sed hae sunt ex arbitrio instituentium » eas.

Ad V^m^. dicendum [4], « quod prudentiae politicae (idest: *quae ordinatur ad bonum commune civitatis vel regni,* seu Ecclesiae) sunt duae species: una quae est legum positiva, quae pertinet ad

[1] Ethic. lib. VI c. 11 ad fin. — [2] 1. 2. q. CXVI a. 1 ad 3^m^. — [3] I-II. q. CII. a. 2, ad 3. — [4] D. Th. 2. 2. q. XLVII a. 12. Sed contra.

Principes (seu ad Ecclesiae Pastores); alia quae retinet commune nomen politicae, quae est circa singularia. Huiusmodi autem singularia peragere, pertinet etiam ad subditos. Ergo prudentia (ad bonum commune ordinata) non est solum Principum, sed etiam subditorum » (seu fidelium, qui proinde ss. canones cognoscere debent, ut infra dicetur).

15. **Distinctio inter Iuris canonici disciplinam et S. Theologiam.** — Videtur quod ius canonicum a sacra Theologiae doctrina non differat. Nam eisdem S. Theologiae locis videlicet: S. Scripturae, Traditionis, auctoritatis S. Pont^is. ac Conciliorum Sanctorumque Patrum, utitur iuris canonici doctrina, atque de fidelium actionibus in vitam aeternam dirigendis utraque agit. Unde Pignatelli dicit [1]: « Est enim ius canonicum portio quaedam theologiae... Et partialis quaedam theologia quae practica vocatur » Et Card. Ostiensis: « Haec nostra lex sive scientia potest scientiarum scientia nuncupari »; quod Sacrae doctrinae competit.

Sed contra est, quod in Conc Trid. [2] de promovendis ad Ecclesias cathedr. dicitur: « antea in universitate studiorum magister, sive doctor, aut licentiatus in sacra theologia, vel iure canonico, merito sit promotus... ». Ergo sunt doctrinae diversae s. theologia et ius canonicum.

Respondeo dicendum, quod [3]: « Omnia pertractantur in sacra doctrina (Theologiae) sub ratione Dei; vel quia sunt ipse Deus; vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium et finem. Unde sequitur quod Deus vere sit subiectum huius scientiae. Quod etiam manifestum fit ex principiis huius scientiae, quae sunt articuli fidei quae est de Deo. Idem autem est subiectum principiorum, et totius scientiae: cum tota scientia virtute contineatur in principiis ». Iuris vero canonici doctrina pertractat de rectitudine quam debent fidelium actus induere, iuxta Summi Ecclesiae Pastoris prudentiam, quae respicit immediate actuum ordinem ad fidelium sanctificationem socialiter assequendam. Insuper ius canonicum proprie dictum non datur de his quae per divinam revelationem iam sunt determinata, vel necessario rationis nexu connexa cum fidei veritatibus. Sequitur ergo quod iuris canonici doctrina valde sit a sacra

[1] T. 1. Consult. Can. consult. 14, n. 11. — [2] Sess. XXII, c. 2 de Ref. — [3] D. Th. q. I. a. 7. corp.

Theologia distincta. Imo et inferius posita, eo « quod, cum ista scientia (Theologiae), quantum ad aliquid sit speculativa et quantum ad aliquid sit practica, omnes alias transcendit tam speculativas quam practicas » [1].

Ad primum ergo dicendum, quod etiamsi Iuris canonici doctrina locis S. Theologiae propriis utatur, fit tamen modo diverso; quia illis S. Theologia innititur, quatenus in eis divinitus revelata continentur, et hinc procedens « ea quae in diversis scientiis philosophicis tractantur, potest sacra doctrina una existens considerare sub una ratione, inquantum scilicet sunt divinitus revelabilia: ut sic sacra doctrina sit velut quaedam impressio divinae scientiae, quae est una et simplex omnium » [2]. Iuris canonici vero doctrina utitur S. Scriptura, Traditione, SS. Patrum sententiis ad dignoscendas veritates, quae simul cum experientia moverunt SS. Pontifices ac generalia Concilia, ad statuendos ss. canones quibus informentur mores populi christiani, quatenus divinitus nondum fuerunt determinati. — Ex alia vero parte affinitas magna inter eas exsistit doctrinas, propter subiectum supernaturalibus mediis, actibusque dirigendum in aeternam beatitudinem adipiscendam, quae affinitas fuit causa, ut iuris canonici doctrina theologiae rectricis nomine decoretur; et inter scientias iuridicas primum locum teneat, practicisque scientiis philosophicis superemineat, quod Card. Ostiensis expressit argumenti verbis.

16. **An sit obligatio discendi Ius canonicum.** — Non videtur omnibus esse necessaria iuris canonici doctrina. 1. Deus enim per suam legem sufficienter providit ad salutem. Sed sacri canones divinae legi superadduntur.

2. Praeterea. Quatenus doctrina nostra regimini providet animarum, poterunt fideles ad canonistas remitti, et similiter parochos et Pastores a ss. canonum peritis consilia expostulare pro temporum opportunitate.

3. Praeterea. Sacri canones casus particulares respiciunt, aut decretis et Constitutionibus quamplurimis constant ad quae addiscenda et ad eruendam ex his disciplinam sequendam opus est labore magno. Immo variante casu diversa erit solutio, et necessarium

[1] Ibi. a. 5. corp. — [2] D. Th. q. 1. a. 3 ad 2m.

labori praedicto tempus non vacat. Ergo vel nulla fere utilitas, vel excusatio manifesta.

Sed contra: In cap. 5 « de constitutionibus » (I, 2) legitur. « Ne innitaris prudentiae tuae. Prudentiae suae innititur, qui ea, quae sibi agenda vel dicenda videntur, Patrum decretis praeponit ». Sed ita fiet, nisi cognoscantur ss. canones seu Patrum decreta. Ergo eorum cognitio est necessaria.

Dicta in praec. quaestione non obstant quominus necessarium sit iuris canonici studium. Ait enim D. Th. [1]: « ignorantia importat scientiae privationem, dum scilicet alicui deest scientia eorum quae aptus natus est scire. Horum autem quaedam aliquis scire tenetur, illa scilicet sine quorum scientia non potest debitum actum recte exercere. Unde omnes tenentur scire communiter ea quae sunt fidei, et universalia iuris praecepta; (scilicet: etiam quae ex iure can. omnes fideles obligant, velut de observantia ieiuniorum et festorum, de sacramentorum communium susceptione, etc.); singuli autem ea quae ad eorum statum vel officium spectant... Manifestum est autem quod quicumque negligit habere vel facere id quod tenetur habere vel facere, peccat peccato omissionis. Unde propter negligentiam ignorantia eorum quae aliquis scire tenetur est peccatum; non autem imputatur homini ad negligentiam, si nesciat ea quae scire non potest... Ex quo patet « quod... ignorantia vincibilis est peccatum, si sit eorum quae aliquis scire tenetur, non autem si sit eorum quae quis scire non tenetur ». Unde sapienter dixit Coelestinus Papa [2]: « Nulli sacerdotum liceat canones ignorare, nec quidquam facere quod Patrum possit regulis obviare ». Multo magis (seu amplius) idipsum est urgendum, quoad parochos, beneficiarios, religiosos, et praelatos, de quorum obligationibus canones plures agunt, atque ipsis aptari possunt Leonis Papae verba [3]. « Si in Laicis vix tolerabilis videtur inscitia: quanto magis in iis, qui praesunt, nec excusatione digna est, nec venia ».

Ad 1^m^ dicendum [4] « quod lex nova (sc. novi Testamenti) in exterioribus illa solum praecipere debuit vel prohibere, per quae in gratiam introducimur, vel quae pertinent ad rectum gratiae usum ex necessitate. Et quia gratiam ex nobis consequi non possumus,

[1] 1. 2. q. LXXVI. a. 2 corp. — [2] Can. 4, Dist. XXXVIII. — [3] Dist. ead. can. 3. — [4] D. Th. 1. 2. q. CVIII. aa. 1 et 2. corp.

sed per Christum solum, ideo sacramenta, per quae gratiam consequimur, ipse Dominus instituit per seipsum ». De his vero Conc. Trid. [1] « declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire *iudicaret* ». « Rectus autem gratiae usus (iuxta D. Thomam) est per opera charitatis, quae quidem secundum quod sunt de necessitate virtutis, pertinent ad praecepta moralia, quae etiam in veteri lege tradebantur ».

Notandum vero cum eod. D. Th. in a. 1 quod « in his, quae ex instinctu gratiae producuntur, est quaedam differentia attendenda. Quaedam enim habent necessariam convenientiam vel contrarietatem ad interiorem gratiam, quae in fide per dilectionem operante consistit, et huiusmodi exteriora opera sunt praecepta vel prohibita in lege nova, sicut praecepta est confessio fidei, et prohibita negatio » (in art. 2). « Determinatio autem praedictorum operum in ordine ad cultum Dei pertinet ad praecepta caeremonialia legis (veteris); in ordine vero ad proximum ad iudicialia; et ideo quia istae determinationes non sunt secundum se de necessitate interioris gratiae, in qua lex (divina) consistit, idcirco non cadunt sub praecepto novae legis, sed relinquuntur humano arbitrio: quaedam quidem quantum ad subditos, quae scilicet pertinent singillatim ad unumquemque; quaedam vero ad praelatos temporales vel spirituales, quae scilicet pertinent ad utilitatem communem ». (ib. a. 1). « Alia vero sunt opera quae non habent necessariam contrarietatem vel convenientiam ad fidem per dilectionem operantem; et talia opera non sunt in nova lege praecepta vel prohibita ex prima legis institutione, sed relicta sunt a legislatore (scilicet Christo) unicuique, secundum quod aliquis alicuius curam gerere debet, et sic unicuique liberum est circa talia determinare quid sibi expediat facere vel vitare, et cuicumque praesidenti circa talia ordinare subditis, quid sit in talibus faciendum vel vitandum ». — Similiter (ib. a. 2. ad 2^m) « in sacris non datur aliqua gratia, puta in consecratione templi vel altaris, vel aliorum huiusmodi, aut etiam in ipsa celebritate solemnitatum. Et ideo, quia talia secundum seipsa

[1] Sess. XXI c. 2.

non pertinent ad necessitatem interioris gratiae, Dominus fidelibus instituenda reliquit pro suo arbitrio », vel praelatorum quoad utilitatem communem. In his omnibus tamen sufficienter ac plene provisum est saluti aeternae fidelium per divinam legem a qua provenit potestas ecclesiastica, cum sanctione ratihabitionis in caelo quorumlibet, quae ab ipsamet potestate fient in terris.

Ad 2^m dicendum cum Cano (Lib. VIII c. VI quod cum cap. VII plura continet utilia) in hac quaestione: « quemadmodum non est in Abbatem eligendus nisi qui ante fuerit in regula competenter instructus, *ut cap. Officii de Elect.* Innocentius tradit, ita ne cura quidem Ecclesiam gubernandi est ei committenda, qui ecclesiasticas regulas nescit. Theologus igitur, qui vel Episcopus vel parochus futurus est, nisi canones ante didicerit, quibus fideles debent in Christiana religione et Ecclesiae caeremoniis institui, non habebit profecto ad rem hanc publicam gerendam theologiae officinam satis instructam ». Et infra: « Nam quod Caietanus dixit (in summa: verb. confessori necessaria) poenitentes in excommunicationibus, suspensionibus, irregularitatibus aliisque eiusmodi poenis ad iurisperitos remittendos esse, ne confessor ipse alterius facultatis onere praegravetur, id ignoro prorsus quemadmodum sine magnis incommodis fieri queat.

Primum enim interdum in poenas iuris incurrunt foeminae, quas pro conscientiae remedio iurisperitorum adire domos (vel eos interrogando quaerere) absurdum erit, ac certe parum muliebri verecundiae consentaneum. Deinde etiam cum iurisperiti et scientiam et verba locare soleant, (sed hoc non extendendum ad eos est, qui iuris can. scientia in animarum ministerio utuntur), ad confessionis sacramentum non nisi prius data pecunia erit accessus. Adde, quod homines vel sacerdoti verentur sua peccata detegere. Quod si ad iurisperitos etiam relegentur, Sacramenti huius onus gravius efficietur, quam ut ferri ab imbecillis possit... Sed et *Summa* ipsa Caietani, si, quae ex iure canonico multa continet, demas, magna ex parte imperfecta reperietur ». Non ita sensisse dicendus est D. Thomas ab illo commentatus; in Summa enim theologica multa loca citari queunt et integri articuli, quibus Angelicus bene instructum in canonico iure seipsum exhibet.

Ad 3^m dicendum, quod etiamsi iuris canonici doctrinae utpote practicae applicetur quod (in 2. 2 Prolog.) ait D. Th. de morali

theologia: « Sermones morales universales minus sunt utiles, eo quod actiones in particularibus sunt », et [1] in genere: « Omnis scientia operativa tanto perfectior est, quanto magis particularia considerat in quibus est actus »; tamen illius obiectum sunt ss. canones, quibus convenit quod Iurisperitus dicit: [2] « iura constitui oportet in his quae saepius accidunt; [3] ex his autem quae forte uno casu accidere possunt, iura non constituuntur ». (ib. ad 2^m) « Si enim essent tot regulae vel mensurae, quot sunt mensurata vel regulata, cessaret utique utilitas regulae vel mensurae, quae est ut ex uno multa possint cognosci; et ita nulla esset utilitas legis, si non se extenderet, nisi ad unum singularem actum. Ad singulares enim actus dirigendos dantur singularia praecepta prudentum; sed lex est praeceptum commune ». Circa obiectionis partem quae in ss. canonum multitudine nititur, solutio patet ex dictis, non enim canones omnes a singulis sunt addiscendi.

17. **Munera in sacrorum canonum studio prosequenda** deprehendi possunt considerando: imprimis leges ecclesiasticas ob earum mutabilitatem vicissitudines subiisse, nec Codex iuris canonici illas omnes praecedentes abrogavit, ut patebit. Proinde vigens disciplina est eruenda non solum ex ss. canonum simplici studio, sed etiam ex praecedentium legum comparatione cum vigenti Codice, ut sic pateat, quid ex illis posterius sit aut revocatum aut mutatum, aut etiam quid fuerit servatum vel illis superadditum. Et ecce *munus* sacros canones vigentes *dignoscendi*. — Secundo quamvis iuxta Isidorum in Gratiani Decreto [4] « Erit autem lex... manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat », attamen nonnumquam in Codice iuris canonici propter alios ss. canones, vel propter humanae loquutionis infirmitatem, addita etiam Ecclesiae catholicitate, legum ecclesiasticarum sensus dubius offertur, et hinc opus est interpretatione.

Haec tamen oportet non sit arbitraria, sed prolata iuxta mentem S. Sedis, quae mens alias in iure canonico erit invenienda, vel ex ipso rite eruenda, vel a iuris can^{i}. peritis tradenda. Et en aliud *munus ss. canones interpretandi*. — Huic connectitur et subservit tertio *munus tradendi fundamenta* singularum legum, idest: motiva

[1] I P. q. XXII a. 3 ad 1^m. — [2] 1. 2. q. XCVI a. 1. Sed contra. — [3] Pomponius et Celsus. ll. 4 et 5 D. Lib. I tit. III. — [4] C. II Dist. IV.

tum iuridica seu rationis fideique, tum ex factis temporum aliarumque circumstantiarum, quae impulerunt ac duxerunt S. Pontificem vel Concilia in ferendis legibus; quae motiva multoties in ipsis legibus ecclesiasticis patefiunt atque rectam ipsarum interpretationem suppeditant.

Quarto denique ss. canones universaliter proponuntur, nec humanus legislator potest casus, qui in infinitum variari queunt, sua mente considerare atque ipsa lege exprimere. Immo etsi alicui hoc ipsum possibile foret, magna confusio in lege oriretur, si per hanc illis omnibus provideretur [1]. Hinc necesse est *iuris prudentiam acquirere*, ut legis applicatio casibus particularibus rite fiat, idest: secundum ius et aequum, et hoc est aliud *munus perfectionis* in ss. canonum doctrina, quod proprie *iurisprudentia* est appellanda [2]. -- Si vero quaesita proponantur non pro uno alterove casu ex circumstantiis plene determinato, sed quae generalem utilitatem habeant, et in legibus ecclesiasticis non sint expresse soluta; saepe huiusmodi quaesitorum solutio ex ss. canonum doctrina certo aut probabiliter deduci potest, et hoc est etiam *peritorum in iure munus* asserendum, iuxta illud: peritis in arte credendum est, eo quod mens disciplinâ praedita bene disponitur ad rectum iudicium in eâdem ferendum.

18. **Obiectum huius Commentarii** innuitur per inscriptionem, « Textus Codicis Iuris Canonici » nempe: illius Voluminis, quod in « Actis Apostolicae Sedis » ita inscriptum constituit Partem II Voluminis IX Actorum eorumdem.

Praemittitur in eodem Bulla Bened. PP. XV fel. regnantis « Providentissima » data in die festo Pentecostes anni 1917. Statim sequitur « Professio fidei catholicae », ac demum ipse « Codex iuris canonici » in quinque Libros digestus, cui accensentur Documenta octo, cum Indice totius Voluminis. — « Appendix » etiam officialis est, uti complens Partem illam « Actorum Aplcae. Sedis », et in I° tum fides datur mendarum quae irrepserunt, « quas Ssmus. corrigendas prout (ibidem) sequitur, praecepit »; II° tum stabilitati Codicis providetur Motu proprio Bened. PP. XV « Cum iuris canonici Codicem » sub die 15 Sep. 1917; tum III° « Index analytico-alpha-

[1] Vide D. Th. I.^{a} II.^{ae} quaest. XCVI, art. VI ad 3. — [2] De qua vide D. Th. loco cit. art. I ad 1^{m}.

beticus » claudit hanc partem pro more eiusdem Commentarii officialis.

19. **Commentarii huius scopus,** seu quem in hoc Commentario persequimur, est perfecte callere sacrorum canonum praescripta in illo Codice contenta. — Hinc consequens erit, ut magis demiremur supremae potestatis ecclesiasticae prudentiam regitivam, quae mirabiliter elucet in ordinatissima dispositione *domus Dei, quae*, teste D. Paulo [1], *est Ecclesia Dei vivi*; ita ut potiori ratione nobis accidat quod in III Regum X, 4 seq. legitur; nempe: « Videns autem Regina Saba omnem sapientiam Salomonis, et domum quam aedificaverat, et cibos mensae eius, et habitacula servorum, et ordines ministrantium, vestesque eorum, et pincernas et holocausta, quae offerebat in domo Domini, non habebat ultra spiritum. Dixitque ad regem: Verus est sermo, quem audivi in terra mea... maior est sapientia et opera tua, quam rumor, quem audivi.. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, et constituit te regem, ut faceres iudicium et iustitiam ».

20. **Methodus** adhibenda in Codicis Iuris Canonici textu explicando, nobis praestituta est a S. Congr. Seminariorum et Universitatum per sequens mandatum pro schola Textus canonici datum sub die 7 Aug. 1917, quod libenter amplectimur ac pro nostro modulo exsequemur. Videlicet: « in schola antehac *Textus* aptissime nuncupata, in qua ius canonicum penitus copioseque praelegitur, ita in posterum eiusmodi disciplina tradatur, ut alumni, non modo Codicis sententia synthetice proposita, sed accurata quoque uniuscuiusque canonis analysi, ad cognoscendum et intelligendum Codicem veluti manu ducantur: debent scilicet doctores iuri canonico tradendo, ipso Codicis ordine ac titulorum capitumque serie religiosissime servata, singulos canones diligenti explanatione interpretari » [2].

Propositum istud obsecundantes, connexionem canonum numquam praetermisimus, imo schemata inseruimus memoriae iuvandae causa. Insuper cum canones, etsi voluntate legislatoris positiva condantur, non sunt pro libitu orti, sed legibus divinae ac naturali innituntur, nec rationibus etiam eorum existentiae ab experientia petitis destituuntur; utrasque autem cognoscere erit absdubio in-

[1] I Ad Timoth. III, 15. — [2] CO. IX, 439.

trospicere canonum eximiam prudentiam, unde promanent existimatio eorum et amor. Ipsas non ex privatis doctoribus sed ex iuris fontibus duximus repetendas, in quibus Ecclesiae more sunt expressae. Hoc primum; secundas curas adhibuimus perpendendo congruentiam ac discrepantiam Codicis cum praeexistente iure, quod egimus duplici potissimum de causa. Iuris illius magis vel minus periti Codicem attente legentes quandoque praeiudicium ex praehabita cognitione incurrere possunt, eo quod leves mutationes nec ipsorum advertet diligentia; omnibus autem opus est tali collatione canonum Codicis ac praeteritorum, ad hoc ut discernant subtiliter in quibus interpretandis et qua mensura usui esse possint sapientes Canonistae, et in quibus aliis vel eorum particulis qua novis omnino, non antiquis scriptoribus deferendum, sed sua ipsorum sententia sit perpendenda.

Ultimo, studium praecipuum apposuimus ad hoc ut verba perspiceremus « secundum propriam eorum significationem in textu et contextu consideratam », clausulas singulas et coniunctim consideravimus diligenter, « ad locos Codicis parallelos recursum habuimus » ad normam can. 18, et quaecumque animadvertere potuimus « explicite vel implicite in Codice contineri » ac propterea « ex disciplinaribus legibus vim non amisisse » (can. 6, 6°), Codicis sententias evolvendo libenter notare voluimus animo pro posse simplici ac praeiudiciis vacuo. Ita existimavimus commentandos canones, ut non proprios sensus vel aliorum doctiorum traderemus, sed, prout veri est interpretis, mentem ac voluntatem legislatoris ecclesiastici panderemus.

V.

Iuris canonici Collectiones praecipuae.

21. **De Collectionibus iuris canonici** quemdam brevem conspectum proponere nunc videtur opportunum, antequam munus nobis propositum aggrediamur. Illarum sufficiens cognitio praetermitti nequit ab eo qui Codicem recte et apprime perscrutari vult. Desunt enim in eo canonum rationes seu fundamenta, quae in Collectionibus inveniendae sunt, atque valde conferunt ad ss. canonum solidam intelligentiam. Insuper Collectiones illae merito sunt vocatae

« fontes iuris cognoscendi », eo quod ex illis hauriri potest disciplina ecclesiastica decursu temporis vigens, et usque ad Codicem. Hic vero ex illis disciplinam ut plurimum retinuit, etiam quando dubia appareat eiusdem mutatio, atque multi canones ex parte tantum cum illa conveniunt. Has concordantias atque discrepantias scire omnium interest, praesertim hoc tempore transitus ad Codicis ius. In hunc autem finem non oportet totam Collectionum historiam texere, sed satis erit notas facere illas ex quibus Iuris canonici Corpus coalescit, nam disciplina Codicem praecedens ex illis tantum complete hauriebatur.

22. **Collectionum divisiones** traduntur diversis de causis. Ratione ambitus habentur collectiones *iuris universalis* et aliae *iuris particularis* prout leges in eis contentae obligarunt totam Ecclesiam, vel solum obligant quamdam regionem. — Ratione methodi sunt *chronologicae* illae collectiones sub quibus canones connectuntur iuxta eorum institutionis tempus, dum *systematicae* recte audiunt, quae ordinem canonum servant, attenta iuridica natura rerum de quibus canones praescribunt. — Ratione fidei ac integritatis documentorum dividuntur in *genuinas*, quae vere sunt illius auctoris, cui inscribuntur, ac praesertim iura referunt vera et integra saltem quoad substantiam. Si primum deficiat in collectione, haec vocatur *pseudoepigrapha*; dum *spuria seu apocripha* est collectio iuris ecclesiastici, quae fidem non meretur propter falsificationes et fictionem materiae principalis in eadem contentae, quamvis ordinarie sit quoque vocanda pseudoepigrapha. — Ultima divisio ac praecipua est ratione auctoritatis, qua collectio, ut talis pollet. Est namque *privata*, prout eius collectionis auctor in ea perficienda non usus est potestate ecclesiastica, qua forsan orbatus erat, nec eidem collectioni confirmatio auctoritatis ecclesiasticae accessit. Vocatur vero *publica* proprie, quando circa eam intervenit potestas ecclesiastica. Huiusmodi interventus quadruplex esse potest. Vel 1° collectionem privatim confectam permittit Sedes Apostolica uti collectionem imprimi ac divulgari. Per talem approbationem, quae aliorum librorum editionibus est communis, collectio illa non evadit publica collectio, nec documentis eiusdem accrescit documentorum fides historica et iuridica. — Vel 2° a publica Ecclesiae auctoritate aliqua collectionis editio ita curatur, ut textus ex officio definiatur, et detur privatis prohibitio variandi eum. Talis collectionis

editio publica dicenda est, quamvis eius partibus maior inde non concedatur vis, quam haberent documenta extra ipsam. — Vel 3° testimonio publicae auctoritatis declaratur documenta in aliqua collectione inserta genuina esse, atque in hoc casu collectio et publica est et authentica dici debet, vel melius « Decreta authentica »; sed haec vi insertionis in Collectione, quamvis reiici nequeant, manent intacta quoad eorum vim iuridicam. Denique 4° supremus in Ecclesia legislator potest collectionem aliquam ita publici iuris reddere, ut qua talis obtineat vim iuridicam legum. Quo in casu stricte authentica dicenda est, quatenus propter solam canonum insertionem in ea, hi leges ecclesiasticae fiunt, atque publica omnino erit collectio, quatenus fidem in Ecclesia facit de voluntate Sedis Apostolicae. Huiusmodi est Codex iuris canonici. Praecedentis collectionis exemplum adest in Actis Apostolicae Sedis seu in Commentario officiali.

23. **Corpus iuris canonici** exhibet in se pro diversis eiusdem Collectionibus, exempla quadruplicis interventus auctoritatis ecclesiasticae antea dicti, ut patebit. Ab his incipiemus, quia praecedentes ipsum Collectiones, si quod ius vigens prae se ferunt, in illo Corpore vel posterioribus collectionibus ante Codicem est contentum, unde utilitatem amiserunt, nisi quoad comparandam eruditionem et quoad primaevam iuris ecclesiastici historiam.

24. **Notio.** Considerata indole verborum « Corpus iuris » significat completam iurium seu legum collectionem. Illa verba prius adhibita in Iure Romano transierunt in usum iuris ecclesiastici. Attamen quoad collectiones appellatas decursu temporum « Corpus iuris canonici » diversimode assumpta fuerunt haec verba. Postquam enim Collectio « Anselmo dedicata » saeculo nono audiit « Corpus canonum », illis verbis appellatae fuerunt successive tum Decretum Gratiani, tum singulae quinque subsequentes compilationes, tum eadem Gregorii IX collectio. Tandem Gregorius XIII in const. « Cum pro munere » 1 Iulii 1580 enunciavit singillatim Decretum Gratiani, Decretales Greg. IX, Sextum Decretalium, Clementinas et Extravagantes, illasque collectiones simul sumptas primo vocavit « Iuris Canonici Corpus ». Et haec significatio usque ad nostram manavit aetatem. Huiusmodi opus emendatum prodiit in editione Romae facta anno 1582, ac subministrat textum Corporis Iuris Canonici publicum secundo modo prius explicato propter citatam Bullam,

utpote quod a Greg. XIII edictum est: « ut nihil addere, detrahere vel immutare aut invertere nullave interpretamenta adiungere » eidem liceat.

25. **Decretum Gratiani** est prima Corporis Iuris canonici collectio in se privata, eo quod eam confecit Gratianus monachus Bononiensis, inter annos 1139 et 1150, post celebrata Concilia Lateranensia I et II annis 1123 et 1139. Gratianus appellavit suam collectionem « Concordantia discordantium canonum », sic patefaciens eius intentum circa sacros canones, qui extra collectiones praecedentes circumferebantur. A DD. Rolando et Paucapalea fuit vocata « Decretum », sicut adhuc audit.

Gratianus eam in tres Partes divisit. Prima pars sub 20 prioribus Distinctionibus continet introductionem de iure generalem, quam ille initium vel principium nominat. Reliquae Distinctiones 81 vocantur ab eodem « tractatus ordinandorum » agens de personis ac muneribus ecclesiasticis. Secunda pars Decreti divisa est item a Gratiano in 36 « causas », singulae vero distinguuntur per « quaestiones », quibus respondet ille per sua « dicta » seu doctrinam, quam confirmat canonibus seu « capitibus », quibus praemittuntur summaria et inscriptiones. Hic modus servatur quoque ab eodem Gratiano, tam in Distinctionibus primae Partis, quam in quinque Distinctionibus per quas Paucapalea divisit Partem tertiam ius « de consecratione » seu de sacra Liturgia continentem, quae propterea Liber de sacramentis est quoque appellata.

Causae XXXIII quaestio tertia in secunda Decreti Parte agit de Poenitentia, prout a Gratiano est suo Decreto inserta. Illa vero nunc est divisa in 7 Distinctiones ad modum digestas similium sub aliis Decreti Partibus. In citationibus igitur hae discernuntur ab aliis addito verbo « De Poenitentia », sicuti adiungitur verbum « De Consecratione », quando citatio pertinet ad Tertiae Partis Distinctiones, dum ex Prima Parte citantur ex. gr. Dist. XX cap. 1. — Demum si textus citandus inveniatur extra Distinctiones, tunc designantur quoque Causa et Quaestio sic v. gr.: Causa VI q. II cap. 1 vel mutato ordine.

Diversa Decreti elementa diversum habent valorem iuridicum. Dicta sunt doctrina Gratiani, sicut et summaria, habentque vim auctoritatis privatae, ipsi autem canonum textus « tantum auctoritatis habent, quantum ex se habuissent, si numquam in Gratiani Decreto

inserta forent », ut optime concludit Bened. XIV. Imo haec capita seu canones quandoque sunt Decretales et Rescripta Romanorum Pontificum atque canones Oecumenicorum Conciliorum, sed multa inveniuntur vel ex S. Scriptura, vel ex Synodis particularibus, vel ex SS. Patribus ac ecclesiasticis scriptoribus vel ex saeculari iure. Nec obliviscendum est non ex fontibus genuinis fuisse a Gratiano hausta, sed ex collectionibus quae tunc temporis fuerunt in usu.

26. **Aliae quinque Compilationes** quae nunc antiquae appellantur prodierunt in tempore, quod est lapsum inter Decretum Gratiani et sequentem Corporis Iuris canonici collectionem. Illarum quinque compilationum 1ª et 2ª fuerunt collectiones privatae, ex tribus posterioribus 4ª iuxta sententiam sufficienter solidam aliaeque ex certa sententia fuerunt authenticae. Sed ad practicum iuris studium parum vel nihil conferunt.

27. **Decretalium Gregorii IX Compilatio** inscribitur secunda in Corpore Iuris Canonici Collectio, quae etiam audiit Liber Extravagantium, et in usu dicitur Decretales Gregorii IX, quia iussu eius facta fuit Compilatio haec a S. Raymundo de Pennafort Ord. Praed., et illius Pontificis multa capita continet, videlicet 195 in calce plurium Titulorum distributa, ac demum quia per dictum Summ. Pontificem fuit promulgata const. « Rex pacificus » sub die 5 Sept. 1234, cum qua misit illam ad florentissimas tunc Universitates Bononiensem ac Parisiensem. In dicta const. prius memoratur finis ac necessitas legum, dein proponuntur causae quae moverunt Rom. Pontificem ad opus perficiendum. Postea edicitur cuius opera sit usus in eadem adornanda Collectione, ac modus servatus. Ultimo autem praescribit: « Volentes igitur ut hac tantum compilatione universi utantur in iudiciis et in scholis, districtius prohibemus, ne quis praesumat aliam facere absque auctoritate Sedis Apostolicae speciali ». Ex his verbis optime eruitur: hanc Compilationem fuisse stricto sensu authenticam, et universam Ecclesiam obligasse quoad partem Decretalium dispositivam et quoad rubricas quae habebant perfectum sensum v. gr. « Ut lite pendente nihil innovetur » (L. II, tit. 16). Videlicet: ad normam Compilationum antiquarum fuit haec authentica in quinque libros distributa. Libri eiusdem in Titulos distincti sunt cum relativis inscriptionibus, quae rubricae dicebantur, et sub Titulis singulis disponuntur ordine chronologico ipsa capita. Rubricae illae quandoque perfectum sensum

habent, quandoque vero imperfectum, v. gr. « De praebendis et dignitatibus », atque hae tantummodo ad interpretationem deserviunt. Item citatis verbis compilationes praecedentes abrogantur atque antiquatae redditae sunt. Ratione distributionis fit opportune ipsius citatio per numeros cap^s. Tituli ac Libri: sic v. gr. cap. 2 tit. II Lib. I, X.

Demum in hac Compilatione singulis capitibus inveniuntur praefixa summaria cum inscriptionibus. Hae fuerunt positae per compilatorem unde quodcumque interpretationis argumentum praestant, illa sicut et Glossa, quibus editiones ornantur sunt adiecta tamquam interpretationes Doctorum in scholis receptae, quapropter utilitate non destituuntur.

28. **Liber Sextus Decretalium** est dicta tertia Corporis Iur. Can. collectio, secundum textum const. «Sacrosanctae» 3 Martii 1288, qua Bonif. VIII promulgavit illam, quam confici mandaverat deferens plurimorum voto illam desiderantium. Eiusdem collectionis distributio, additamenta, et vis partium sunt omnino eadem ac praec^s. Compilationis Gregorii IX. Maxima capitum pars *in 6*° Decretalium, (qua sigla distinguuntur huius ac praecedentis citationes) constat Decretalibus et Constitutionibus Bonif. VIII, a quo per suam Constitutionem abrogatae fuerunt omnes suorum Praedecessorum Decretales posteriores alteri Compilationi, nisi in Lib. 6° essent insertae aut specialiter exceptae.

Hic memoranda est quaestio utilis pro quibuscumque sacrorum canonum Collectionibus ad invicem comparandis saltem ante Codicem, nempe de antinomiis seu oppositionibus inter eos. Pertractatur ab Schmalzgrueber in Prooemio sui Operis « Ius Decretalium » num. 279-283.

29. **Clementinae** solet appellari Constitutionum Clem. V Collectio, cui praemittitur const. Ioannis XXII « Quoniam nulla » diei 25 Oct. 1317. Hic Pontifex postquam memorat suum Praedecessorem statuisse plura salubria tam in Conc. Viennensi quam extra ipsum, et illius consilium huiusmodi constitutiones in unum redactas mittere iuris studiosis, quod perficere non potuit morte praeventus, subiungit: « Nunc igitur (opportunitate captata) illas vobis sub Bulla nostra transmittimus Universitati vestrae per Aplca. scripta mandantes, quatenus eas prompto affectu suscipiatis, et studio alacri, eis sic vobis manifestatis et cognitis usuri de cetero in iudiciis et

in scholis ». Constat ergo illam Collectionem esse authenticam proprio sensu, sed nihil detrahere praecedentibus, nisi quantum Clementinae per seipsas iam detraxerant. Eiusdem distributio sicut partium diversarum vis iam explicata manet ex dictis quoad alias Collectiones. Citationes discernuntur verbo forsan abbreviato « in Clementinis ».

30. **Extravagantes** vocantur duae ultimae Corporis Iur. Can. Collectiones, quae ab invicem discernuntur per verba Ioannis XXII et communes, quia priores 20 numero sunt Constitutiones illius S. Pontificis, dum in altera Collectione diversis Pontificibus sunt adiudicandae Constitutiones. Omnes sunt authenticae, sed Collectiones ipsae sunt opus privatum Chapuis licentiati in iure ac correctoris in typographia Parisiensi.

31. **Regulae Cancellariae Apostolicae** constituunt singularem collectionem, quae orta est ex tempore Ioannis XXII, et quae vigebat solum vivente Romano Pontifice. Hinc variabilis erat per successores, qui post assumptionem suam illas publicabant. Ex declaratione Urb. VIII inceperunt illae obligare a crastina die post assumptionem Rom. Pont., quin nova indigerent publicatione, hinc « Regulas Cancellariae Aplcae. transiisse in edictum perpetuum iam » monuerat Riganti, qui saeculo XVIII optimum earum commentarium exaravit. Illae Regulae ante Codicem erant 72 Ordinationes Apostolicae, quibus una est adiuncta a Pio X bon. mem. Obiectum quarumdam erat expeditio litterarum Aplcarum., seu sunt regulae directivae quae praescribunt formam servandam in actis et negotiis Sedis Aplcae. per litteras expediendis et solius Cancellariae Apostolicae sunt propriae. Hae in aliqua parte sunt reformatae per Const. « Sapienti consilio » 29 Iulii 1908, et ex Motu proprio « Romanae Curiae » 8 Dec. 1910 [1] scimus « quod memorati PP. Cardinales (Cancellarius, Datarius et a Secretis Consistorialis) officii (eis impositi in Ordine servando dicasteriorum Curiae Romanae, Parte altera, Cap. IX, Art. I) partem expleverunt, et novas condiderunt formulas, quibus Cancellaria Aplca. uti debeat in conficiendis Bullis... de beneficiis consistorialibus aliisve actis adnexis ». Et Pius X illo Motu proprio edixit: « eae tantummodo, (loco antiquarum) a die 1 mensis Ian. 1911, ac deinceps, ab omnibus ad quos spectat re-

[1] CO. II, 939.

ligiose recipiantur et inviolate serventur ». Regulae aliae dicebantur beneficiales, quoad illorum praesertim reservationem. Denique extiterant regulae iudiciales, quibus definiebatur ordo iudicialis in appellationibus aliisque partibus processus iudicialis observandus. Cum ergo tam beneficiales quam iudiciales regulae constituerent ius commune servandum etiam extra Urbem, transire debuerunt in novum Codicem, iisdem abrogatis quoad ceteras earum praescriptiones.

32. **Acta Concilii Tridentini** in Decretis « de reformatione » nobis exhibent magna ex parte disciplinam hodiernam, quae videlicet superadditis mutationibus transiit in Codicem, et quae Decreta per quamplures successivas declarationes S. Congr^{e}. Concilii magis explicata offerunt adiumentum praestantissimum ad Codicis intelligentiam. Distributa sunt post Conc. Trid. in capita, unde citationes fiunt per capitis, ac sessionis numeros, additis verbis de Reformatione, ut secernantur a Decretis doctrinalibus quae inveniuntur apud easdem sessiones. Imo in sessionibus XXIV et XXV distinguenda sunt a Decretis de Ref. alia Decreta « de reformatione matrimonii » in sess. XXIV et « de Regularibus et monialibus » in sess. XXV. Huiusmodi Decreta disciplinaria vim consequuta sunt iuridicam ex confirmatione ac publicatione Pii IV per eius const. « Benedictus Deus » diei 26 Ian. 1564, excepto cap. « Tametsi » de cuius promulgatione aliter cautum in eo ipso fuit.

33. **Bullaria** sunt collectiones privatae, si excipiatur saltem 1us tomus Bullarii Bened. XIV, quatenus eius auctoritate est editus ac documenta ipsius authentica sunt. Illae collectiones continent Bullas et alias Epistolas Romanorum Pontificum. Bullarium Romanum auctum et continuatum fuit editum a Carolo Cocquelines saeculo XVIII annis 39-44 Romae et protenditur a Leone I usque ad Clem. XII inclusive. Alia editio Taurinensis facta est saeculo XIX cura collegii romani adlecti ex theologis ac canonistis. Tanquam illius Bullarii prosequutio censeri potest Bullarium Bened. XIV, cui subsequitur « Bullarii Romani Continuatio » a Clem. XIII usque ad Greg. XVI exclusive, quae Romae fuit edita 1835-54.

34. **Acta** Greg. XVI usque ad Pium X successive sunt edita cuius postremi Romani Pontificis memorandum est Decretum ex Secretaria Status [1] circa libros « Acta Pii PP. X » *de promulga-*

[1] 26 Dec. 1913.

tione quarumdam Pontificiarum Constitutionum ac legum [1], quo Decreto collectio harum fuit vere authentica. Quoad alia huius documenta sicut quoad cetera « Acta », etiamsi collectiones sint genuinae, non sunt nactae publicam auctoritatem.

35. **Collectiones SS. Romanarum Congregationum.** Sub illo respectu triplex harum classis distingui potest. S. Indicis Congregatio nunc suppressa edidit collectionem stricto sensu authenticam de obiecto suae competentiae. Leges eiusdem generales transierunt paulo immutatae in Titulum « de censura et prohibitione librorum » Libri III Codicis. Decreta vero circa singulares libros collecta sunt in libro qui inscribitur: « Index librorum prohibitorum... Pii PP. X iussu tertio editus » anno 1911.

Eodem sensu authentica in lucem prodiit *Raccolta* seu « Collectio precum piorumque operum, quibus recitandis seu peragendis Romani Pontifices Indulgentias adnexuerunt ». De hac in Dec. S. Congr^s^. Indulgentiarum... [2] legitur: « eaque proinde uti genuina et authentica Sylloge Indulgentiarum hactenus pro universis Christifidelibus et pro quibusdam eorum coetibus ibidem designatis concessarum ab omnibus est retinenda ». Appendices pariter authenticae accesserunt.

Collectiones publicas quoad Decretorum authenticitatem obtinuerunt S. Congr. Indulgentiarum nunc suppressa, et S. Congr. Rituum (quarum collectiones maximi sunt momenti practici, quatenus parum per Codicem sunt derogatae), et modo infra explicando S. Congr. Conc. suam habet Collectionem.

Collectio S. Congr^s^. Indulgentiarum pro titulo habet: « Decreta authentica S. Congr^s^. Indulgentiis sacrisque reliquiis praepositae ab a. 1668 ad a. 1882 edita iussu et auctoritate Ss.mi D. N. Leonis PP. XIII ». Ratisbonae, Neo-Eboraci et Cincinnatii 1883. De hac dicitur in Dec^o^. eiusdem S. Congr^s^. [3] Collectioni praefixo: quam Decretorum Syllogem... Leo PP. XIII « auctoritate sua Aplca. approbavit, et uti authenticam ab omnibus retinendam esse praecepit ».

Anno 1901 finis est impositus editioni Romae ab anno 1898 inceptae operis in quinque volumina digesti: « Decreta authentica S. Congr. Rituum, cui accessit Volumen VI seu Appendix a Pio X

[1] CO. V, 558. — [2] 23 Iul. 1898. — [3] 19 Aug. 1882.

declarata authentica eodem sensu, nempe quoad Decreta ibi contenta, etsi multa sint particularia ».

Ab anno 1739 inchoata est Collectio, quae dicitur: « Thesaurus resolutionum S. Congr. Conc. » atque huius decisiones continet de causis eidem propositis ab anno 1700 usque ad annum 1908 inclusive per volumina CLXVII. Cum hic Thesaurus ex officio publicaretur a Secretario eiusdem Congr[s]. publica est collectio quoad decisionum genuinitatem.

Denique adsunt collectiones privatae, tum ad usum S. Congr[s]. EE. et RR. nunc suppressae, atque opera eiusdem Secretarii Bizzarri adornata, tum alia quae inscribitur Ius Pontificium de Prop. Fide, et eiusdem S. Congr[s]. « Collectanea », quae in altera editione duo habet volumina, atque hanc prae se fert praerogativam, ut in ea inveniri queant plures Declarationes ac Instructiones S. Congr. S. Officii ac S. Poenitentiariae deficientes in publicis Collectionibus. Tam illud Ius quam haec Collectanea S. Congr[s]. de Prop. Fide ad eorum documenta quod attinet, haec sunt authentica ac proinde illa publica.

36. **Commentarium officiale** originem habuit ex const. « Promulgandi » Pii PP. X sub die 29 Septembris 1908 [1], in qua sic edixit: « ut ineunte... anno 1909, Commentarium officiale de Aplcae. Sedis actis edatur Vaticanis typis. Volumus autem Constitutiones, pontificias leges, decreta aliaque, tum Romanorum Pontificum tum SS. Congregationum et Officiorum scita, in eo Commentario de mandato Praelati a secretis aut maioris administri eius Congregationis vel Officii, a quo illa dimanent, inserta et in vulgus edita, hac una, eaque unica, ratione legitime promulgata haberi, quoties promulgatione sit opus, nec aliter fuerit a S. Sede provisum. (Quod ex can[s]. 9 iussu adhuc viget). Volumus praeterea in idem Commentarium cetera S. Sedis acta referri, quae ad communem cognitionem videantur utilia, quantum certe ipsorum natura sinat; eique rei perficiendae SS. Congregationum, Tribunalium et aliorum Officiorum moderatores opportune consulere ». Interest ergo studiosi ss. canonum ad parcendum tempori atque ad capiendam utilitatem canonicam, noscere illius Commentarii documenta nullo modo ab ipsomet praetereunda.

[1] CO .I, 5.

Ordo servandus in moderatione et administratione Commentarii officialis, de mandato speciali Sanctitatis suae per Status Secretariam publici iuris factus fuit, sub data 5 Ian. 1910 [1].

Tres partes fere in unoquoque ipsius fasciculo sunt distinctae, acta Romani Pontificis, eo quod ab eodem directe promanant, acta SS. RR. Congregationum, Tribunalium, aliorumque officiorum, nempe ut plurimum Secretariae Status, atque Commissionum sive de re biblica, sive ad Codicis canones auth. interpretandos; ac ultimo Diarium Romanae Curiae quod exprimit satis eiusdem contentum.

I. **Acta Summi Pontificis** actu regnantis primo inveniuntur in praefato Commentario sub varia forma; et sic appellantur: Constitutiones, Litterae encyclicae, Motu proprio, Litterae apostolicae, Epistolae, et quandoque Sermones vel Allocutiones Summi Pastoris inseruntur.

Constitutiones induunt formam Bullae, ac ut plurimum continent fundamentalia iura de aliqua re canonica, sed in eis iuxta morem praemittuntur doctrinales veritates ac circumstantiarum expositiones, quae valde sunt utiles; v. gr. Const. « Divino afflatu » « De nova Psalterii in Breviario Romano dispositione » [2]. Illae vero Constitutiones nonnumquam particulares sunt, v. gr. Const. « Apostolatus » De suburbicariis dioecesibus [3]. In Appendice quoque insertae inveniuntur Constitutiones ante dictum Commentarium editae sed ob aliquam rationem utiliter divulgandae aut servandae, v. gr. Const. « Romanos Pontifices » [4].

Litterae encyclicae, sic dictae, quia formam epistolarem induunt atque ad Archiep^{s} et Epos. mittuntur ex inscriptione, vel omnes vel alicuius regionis cum Sede Apostolica communionem habentes. Earum obiectum solet esse peculiare ac sunt ut plurimum doctrinales, continent tamen ordinationes seu voluntatem Rom. Pont^{s}. ad tempus saltem observandas; v. gr. Litt. encycl. « Spiritus Paraclitus » in natali MD S. Hieronymi Ecclesiae Doctoris [5] et aliae « Lacrimabili statu » de misera Indorum conditione sublevanda [6].

Motu proprio illa Romani Pontificis documenta vocantur, quorum in parte dispositiva (semper enim quidquam praescribunt, perpetuo vel ad tempus, forsitan in peculiari territorio servandum)

[1] CO. II, 37. — [2] 1 Nov. 1911. CO. III, 633. — [3] 15 Apr. 1910. CO. II, 277. — [4] 13 Maii 1881. CO. II, 254. — [5] 15 Sept. 1920. CO. XII, 385. — [6] 7 Iun. 1912. CO. IV, 521.

adhiberi solent verba illa: *motu proprio* statuimus, quamvis aliis suggerentibus prodeat illud, iuxta finem cap. « Si motu » 23 de Praebendis in 6°. « Motu quoque proprio tunc solum gratia fieri censeatur, cum hoc expresse cautum fuerit in eadem ». Quoad formam in eorum fine et quandoque in principio etiam nomen Summi Pontificis cum numero invenitur appositum. Quatuor exempla invenire licet in CO. V, pagg^s^. 5, 145, 449, 545.

Litterae apostolicae simpliciter dictae induunt Brevis formam, diriguntur ad personas in dignitate, aut officio constitutas, atque de particularibus negotiis tractant etsi quandoque in publicam utilitatem prodeuntibus. Raro sunt practicae utilitatis in iure canonico.

De Epistolis Summi Pontificis, quae propter formam a praecedentibus differunt, idem quoad obiectum earum dicatur, et ad diversas personas propter privatum quoque motivum dari queunt. Harum exempla sicut et praecedentium quolibet in Volumine perspici possunt.

Sermones sicut et Allocutiones sunt orationes, quas Summus Pontifex data occasione per se pronuntiat vel per alium dicit, tum ad coetum quemlibet personarum, quae eumdem adeunt, v. gr. « Ad concionatores quadragesimales et ad parochos almae Urbis » [1], tum ad Purpuratos Patres in Consistorio ut plurimum adunatos v. gr. [2] 22 Ian. et 6 Dec. 1915 [3]. Ex circumstantiis temporum, eventuum ac personarum desumunt illae orationes motivum, et rarissime canonistas attingunt, v. gr. Allocutio « Quandoquidem » de proxima promulgatione Codicis Iuris Canonici [4].

Demum inveniri possunt acta, quae denominantur: *Chirographum* veluti manu Romani Pontificis exaratum, *Apostolicae sub plumbo litterae* propter formam, *Decretum* quo aliquid breviter decernitur, *Hortatio* quae fit more paterno. Haec videas, si lubet in Commentario officiali [5].

II. **Acta SS. Rom. Congregationum** iuxta Commentarium officiale sic distribui possunt ratione formae: *a*) « Decretum », quando S. Congregatio vel Officium velut ex seipso statuit aliquid faciendum; *b*) « Rescriptum », quando respondet expresse ad interrogationes vel postulata; *c*) « Pagellae seu Summaria », quando re-

[1] 15 Febr. 1915. CO. VII, 92. — [2] 24 Dec. 1914. CO. VI. 694. — [3] CO. VII, 33, 509. — [4] 4 Dec. 1916. CO. VIII. 465. — [5] VI, 341, 501. VIII, 89, 92, 217. VII, 8, 378, 365.

censentur indulta, facultates, indulgentiae plures, quae conceduntur; *d*) « Instructiones », quando exarantur velut doctrinae practicae iuris; *e*) « Litterae », quando induunt epistolarem formam; *f*) « Monita », quando aliquod ius existens vel factum fit notum pro interesse habentibus.

Decreta quandoque noscuntur ex ipsa inscriptione: *Decretum; Urbis et Orbis;* dies mensis, sicut in S. Officio; sed aliquando eruitur solum ex forma illius. — Decreta sic distingui possunt: *a*) alia potestatis legislativae, quae continent leges canonicas, seu statuta, praescriptiones forsan particulares, iussionem seu praeceptum, declarationes iuris. — Alia *b*) sunt potestatis administrativae seu exequutionis legum, quae secumferunt nominationes Praelatorum, erectiones et immutationes dioecesum, vicariatuum seu praefecturarum, approbationes peculiares Congregationum religiosarum, constitutionum earum, commendationes alicuius praxis. — Alia *c*) potestatis iudicialis et continent dubiorum solutiones in causis beatificationis et canonizationis. — Alia *d*) iurisdictionis voluntariae elargientis gratias, v. gr. concessiones indulgentiarum, privilegiorum, facultatis, exemptionis seu indulti.

Tantummodo Decreta potestatis legislativae sub littera *a*) et iurisdictionis voluntariae sub littera *d*) intersunt canonistae, eo quod in eis inveniuntur quandoque statuta canonica generalia adeo ut ignorare ipsa non liceat.

Rescripta numquam sic appellantur in Comm. officiali; sed facillime cognosci possunt ex ipsa intrinseca forma, et quandoque inscribuntur: *Dubia*, *N. Dubia*, *N. et aliarum*, *Declarationes*.

Rescripta sic distribui queunt: — 1) aliquoties continent iuris declarationes in generali forma datas, quamvis ad quorumdam interrogationes; attamen dantur quoque per illa declarationes solum attingentes casum propositum, vel dicendo expresse *in casu* vel implicite; — 2) possunt esse responsa ad postulata SS. Congregationibus porrecta: — 3) etiam sub huiusmodi forma dantur resolutiones quaestionum, quae SS. Congregationibus subiiciuntur disciplinari ordine dirimendae; — ac demum 4) solvuntur sic tum multa *quaesita* doctrinalia a Commissione Biblica, tum alia de sensu sacrorum Codicis canonum a Commissione Pont. ad eos authentice interpretandos.

Priora et postrema rescripta scire canonistarum valde interest,

propter interpretationes, quas illa continent, sed cautelae non praetermittantur in discernendis quae pro casu tantum proposito datae fuerunt. — Rescripta sub numᵃ. 2 et 3 valde utilia sunt ad iurisprudentiam et canonicam scientiam adipiscendam, prout quilibet experiri potest, legens integre ipsa.

Pagellae seu Summaria, facile noscuntur ex eorumdem titulo, videlicet: *Indulta, Facultates, Summarium Indulgentiarum.* — Sunt secundariae utilitatis canonistae qua tali.

Instructiones tali vocabulo se pandunt et his aequipollent acta inscripta *Ordo servandus* seu *Normae.* — Earumdem instructionum notitia valde utilis est, immo quandoque necessaria; utpote quod in eis exponitur ius vigens in quo fundantur, et modi traduntur seu regulae illud applicandi ad praxim; atque servandas praescriptiones non raro continent.

Litterae statim notae fiunt ob earumdem initium. Ipsarum lectio utilitate non destituitur, si eae sint directae ad Ordinarios omnes, vel alicuius saltem regionis. Attamen praeter istas, quae possunt continere iussa, commendationes, instructiones, etc., aliae absdubio mittuntur huic vel alteri Superiori pro informatione et voto vel pro eorumdem privata utilitate.

Denique *Monita* si ius continent, certe sunt adnumeranda inter memoriae iuvamina.

Speciali mentione dignae sunt S. Romanae Rotae sententiae, quae Commentário inseruntur officiali. Hae siquidem iuridicam vim habent solum in casu, sed instructione canonica refertae, iurisprudentiam docent, et inducunt ex iteratis similibus sententiis iudicialibus stylum Curiae usumque forensem, qui vim legis habeat, ita ut eam inferiores iudices observare teneantur.

VI.

De Bulla promulgationis Codicis Iuris canonici.

37. **Animadversiones circa Bullam "Providentissima"** qua Codex promulgatus est. Iuxta praxim in promulgatione collectionum iuris canonici authenticarum servatam, inter quas Codex, ut perfectior undequaque, est connumeranda, Bulla promulgationis inscribitur iuxta mores nostros « catholicarum studiorum Universi-

tatum ac Seminariorum Doctoribus atque auditoribus », quorum usui est maximae utilitatis hic Codex, ac ex eorum studio in ipsum addiscendum cognitio et praxis desiderata in Dei populo est maxime spectanda. Sed perfectior fuit haec promulgatio, dum universae Ecclésiae ex Orientali atque Occidentali coalescenti Summus Pontifex adloquitur, quando Ordinariis omnibus Bullam direxit, qui plebem unicuique commissam repraesentant, etiam ut Romano Pontifici subiectam.

Exorditur per simplicem potestatis legiferae in Ecclesia assertionem, quam historia testatur ab illius initio non sine populorum utilitate multiplici.

Meminit quod fel. record. Pius X Motu proprio « Arduum sane » d. XVI Kal. Apr. an. 1904 edito sapienter advertit, et « quibus de causis consilium iniit universas Ecclésiae leges, ad haec usque tempora editas, lucido ordine digestas in unum colligendi; amotis inde quae abrogatae iam essent aut obsoletae; aliis, ubi opus esset, ad nostros praesentes mores opportunius accomodatis; aliis etiam, si quando necesse esse aut expedire videretur, ex novo constitutis ».

Qua prudentia in rem sane perarduam processerit bonae memoriae Pius X, paucis praelibare duxit atque laudare Summus Pontifex Codicis promulgator, qui testatur « novum totius canonici iuris Codicem... in omnes suas partes recognovimus, approbavimus, ratum habuimus ». Quae verba confirmationem in forma specifica indubiam patefaciunt.

38. **Pars dispositiva Bullae** dictum corroborat, sic prosequente Supremo Ecclesiae Pastore: « Itaque, invocato divinae gratiae auxilio, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum auctoritate confisi, motu proprio, certa scientia atque Apostolicae, qua aucti sumus, potestatis plenitudine, Constitutione hac Nostra, quam volumus perpetuo valituram (uti obiectum eius requirit), praesentem Codicem, (eo quod simul cum illa est publici iuris factus), sic ut digestus est, (non tantum Pii X tempore « antequam promulgaretur », sed in exemplari Bullae promulgationis adnexo; atque ut talis Codex cum divisione, multiplicibus inscriptionibus, ordine universo etiam quoad minima, et distinctionibus per §§^{os} sententias et commata) promulgamus, (quae promulgatio solemnior facta est die 28 Junii 1917, adstantibus coram Ss.mo S. R. E. Cardinalibus Com-

missionis Codicis, atque consultoribus eiusdem, dum singulis ad manum est traditum exemplar ex voluntate Pontificis illud quoque primo accipientis; ordinaria vero fuit perfecta per insertionem in « Actis Apostolicae Sedis », illiusque in vulgus editionem ad normam const. « Promulgandi » Pii X [1], cum « promulgatione fuerit opus, nec aliter a Sancta Sede provisum ».

Prosequitur Rom. Pontifex in Bulla: « praesentem Codicem... vim legis (quatenus a legislatore pendet, sed singulariter veluti unius « legis » quamplurimos simul statuentis canones, quorum proinde non est unus altero posterior quoad vigorem suum, nec unus altero oppositus, imo quilibet ex altero etiam secundum ordinem priore lumen interpretationis mutuare poterit), posthac (idest a promulgatione peracta) habere pro universa Ecclesia (quae tum ex diversis Ecclesiis pro eius natura conflatur, etiam orientalibus, tum constat Praelatis ac subditis ipso Romano Pontifice minime excluso, equidem quatenus illas et hos respiciat Codex in eius diversis canonibus, sicut ibidem reperietur) decernimus, iubemus (firma et omnino liquida voluntate, quod ut efficaciter obtineatur, est additum) vestraeque tradimus custodiae (quoad ipsos audientes ex Bullae inscriptione) ac vigilantiae (pro munere Pastorum) servandum ».

39. **Tempus ut exerceatur efficaciter vis Codicis.** — Cum dicta sufficerent, ut Codex vim legis habeat ex parte legislatoris, sicut scriptum est in c. 1 « de postulatione Praelatorum » (I. 5): « nec est necessarium, cum constitutio solemniter editur, aut publice promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum, vel litteras inculcare, sed id solum sufficit, ut ad eius observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam, aut publice promulgatam »..., nihilominus quia ex parte subditorum, quibus per promulgationem applicatur, verum est: « quod lex, seu constitutio, et mandatum nullos adstringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorumdem, aut nisi post tempus intra quod ignorare minime debuissent », ut edicitur in cap. Quia cunctis 1 « de concessione praebendae, etc. » in 6° (III. 7), et ex altera parte ob canonum Codicis multiplicitatem facile quaestiones ob ignorantiam exoriri possent, difficilius solvendae ob incertitudinem initii

[1] III Kal. Octobris 1908

obligationis in unoquoque; patet non defuisse providentiam valde necessariam in belli immanis circumstantiis, per verba Bullae sic prosequentis: « Ut autem omnes, ad quos pertinet (pro eiusdem Codicis diversis canonibus), probe perspecta habere possint (iuxta eorum obligationem addiscendi) huius Codicis praescripta antequam ad effectum adducantur, (cum ceteroquin per disciplinam usque tunc vigentem sufficienti Ecclesiae regimini fuerit provisum), edicimus ac iubemus (quin priori iussioni contradicamus), ut ea vim obligandi (quatenus a notitia subditorum necessaria pendet) habere non incipiant (etsi prius ab omnibus vel quibusdam plene cognoscantur), nisi a die Pentecostes anni proximi venturi (post annum liturgicum a promulgatione), idest a die decima nona (et cum illa) mensis Maii anni millesimi nongentesimi duodevicesimi ». Data utique laudanda, ut hi quorum sufficientia ex Deo est, tunc inciperent obligari, quando ex liturgiae praecepto universa Ecclesia Deum deprecatur, ut det Spiritum bonum petentibus se.

40. **Finis Documenti promulgationis** habet simplicem clausulam derogatoriam ex contextu omnino sufficientem. « Non obstantibus quibuslibet ordinationibus, (velut particularibus, vel quae leges non sint), constitutionibus, (legibus nempe ecclesiasticis supremae auctoritatis), privilegiis (atque ut cavillationes vitentur, simpliciter additur) etiam speciali (propter eorum clausulas salvatorias) atque individua (uniuscuiusque prout de iure necessarium esset) mentione dignis, necnon consuetudinibus (quae sub praecedentibus non venirent) etiam immemorabilibus (quae firmiores sunt) ceterisque contrariis quibusvis » si quae opponi possent.

« Datum fuit die Pentecostes », quia dignum fuit, ut eo die quo solemnis promulgatio Legis Novae commemoratur, Codex iuris canonici, quo illa iuxta hominum naturam completur, promulgaretur.

Ultimo [1] « de novis Aplcis. Constitutionibus edendis » post ea quae in Apost. Constitutione « Sapienti consilio » statuta sunt, « Pius X decernere dignatus est, ut Constitutionibus huiusmodi in posterum una subscribant Cardinalis S. R. E. Cancellarius, et Cardinalis qui officio praeest ad cuius competentiam res pertinet in eadem Constitutione pertractata », quae cum sit promulgatio Codicis pro universa Ecclesia, Card[s] a Secretis Status evidenter fuit unicus com-

[1] S. Congr. Consist. 15 Apr. 1910. CO. II, 287.

petens. Ergo iuxta regulam praedictam vigentem fuit Constitutio Codicis promulgatoria subscripta.

41. Exceptiones edicti in praefata Bulla. — « Episcopi aliive locorum Ordinarii complures demisse efflagitarunt ut, nulla interposita mora, vigere incipiant praescripta Codicis, i. e quae sequuntur: 1° Canonis 859, § 2 » de tempore intra quod « Paschalis communio fiat » ; « 2° Canonis 1108, § 3 », ad permittendam solemnem nuptiarum benedictionem, ex iusta causa etiam temporibus vetitis; « 3° Canonis 1247, § 1 quoad dies festos, qui sub praecepto in universa Ecclesia sunt; 4° Canonum 1250, 1251, 1252, 1253, 1254 » seu omnes Tituli XIV Lib. III « De abstinentia et ieiunio ». « Beatissimus Pater decrevit praescripta canonum, de quibus supra, ex hoc ipso die (19 Aug. 1917) vim habere ».

Item, « Motu proprio concessit, ut S. R. E. Cardinales iam tunc omnibus ac singulis fruerentur privilegiis quae can. 239 § 1 » illis omnibus communia ibidem declarata, « 240 » de iuribus illorum in suis ecclesiis, titulis ac diaconiis, « 600, n. 3° » de ingressu intra monialium clausuram, « 1189 » quoad « oratoria S. R. E. Cardinalium », « 1401 eiusdem Codicis describuntur ». Nempe: quod « ecclesiastica librorum prohibitione non adstringuntur » [1].

Demum circa canones « de sacris concionibus » [2] quatenus eorum praescripta continentur in Normis « de sacra predicatione », quas Emi Patres S. Congr. Consistoriali praepositi sancivere, dicendum est ut ibidem, etiam ipsa « Beatissimus Pater statim exsequutioni mandanda praecepit » [3].

VII.

De professione fidei catholicae.

42. Professio catholicae fidei, quia « unus Deus, una fides, unum baptisma », est « actus ore confitendi (secundum formulam auctoritate Romani Pontificis saltem approbatam) cum assensu cogitationis veritates praecipuas a Deo revelatas et qua tales ab Ecclesia propositas ». Illa formula quandoque vocatur Symbolum, veluti signum

[1] Ex Secretaria Status, 20 agosto 1917; CO. IX-I, 475 — [2] Cap. II tit. XX Lib. III — [3] 28 Jun. 1917, CO. IX-I, 328

externum quo fideles ab infidelibus secernuntur, ac melius tanquam succincta recensio ad modum professionis illarum veritatum, nam « ab huiusmodi sententiarum fidei collectione nomen symboli est acceptum » ait D. Thomas. [1]

Formula Piana propter auctorem a Doctoribus vocatur, quam, pro more authenticarum collectionum ab initio ponentium Tit^m « De Sancta Trinitate et fide catholica », opportunius praemiserunt Summi Pontifices Codici Iuris canonici, sic innuentes illius vim altius repetendam quam ex humana potestate, atque illam praeviam esse potestati legislativae in Ecclesia exercendae. Etenim illa formula continet immutabilem ipsius societatis ecclesiasticae constitutionem in utraque hierarchiae ratione ac in Romani Pontificis primatu, media ipsius propria, nempe: sacramenta cum indulgentiis, divinum cultum. infallibile magisterium, atque finem supernaturalem ipsius Ecclesiae; quae simul cum testimonio Sacrarum Scripturarum ac divinarum traditionum, complete quamvis generaliter plenam ipsius iuris divini oeconomiam praesefert.

43. **Editio huius formulae.** — Singulis authenticis collectionibus formulae professionis fidei speciales praeinsertae sunt in Conciliis ultimo editae; scilicet: cap. « Firmiter » 1 « De Summa Trinitate et Fide catholica » (I, 1) ex Conc. Generali sub Innoc. III, cap. « Fideli » 1 eod. tit. in 6° ex Conc. Lugdun. II sub Greg. X, et cap. « Fidei catholicae » 1 eod. tit. in Clem. ex Conc. Viennensi sub Clemente V. Eodem modo « Professio fidei catholicae » Codici Iuris Canonici praefixa fuit edita a Pio IV in const. « Iniunctum » et « In sacrosancta » [2], qui « ad hoc, ut unius eiusdem fidei professio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque et certa illius forma cunctis innotescat, et ubique gentium, per eos, ad quos ex decretis ipsius Concilii spectat recipi et observari, iuxta hanc et non aliam formam, professionem praedictam solemniter fieri, districte praecepit ». Huic additiones praescriptae sunt fieri per Dec. « Quod a priscis » S. Congr. Conc. [3] a Pio IX, « ut in fidei professione dogmaticis quoque Vaticani Concilii definitionibus, prout corde, ita et ore publica solemnisque fieri deberet adhaesio ».

44. **An aliae quoque vigeant obligatorio usu, et quaenam sint.** — Huius professionis praescriptum non hic imponitur,

[1] II-II q. I a. 9, c. — [2] 13 Nov. 1564 — [3] 20 Ian. 1877, A. S. S. X, 71.

sed ob formulae connexionem cum Codice indigitatur, hanc esse formulam de qua loquitur can. 1406 in Tit. « De Fidei professione » XXIV Lib. III. Sed can. 2314 decernit, quod « praevia abiuratione iuridice peracta, delictum apostasiae, haeresis vel schismatis, ad forum externum » quod attinet, « Ordinarius absolvere potest; ex can. 2 « omnes liturgicae leges vim suam retinent, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur »; ac demum iuxta can. 1 « Codex unam respicit Latinam Ecclesiam ». Ex his infertur, quod Symbola praecipua et formulae professionis fidei ac iurisiurandi) quae in Ecclesiae usu vigent, sunt sequentes: [1]

Primum omnium est Symbolum Apostolorum sic dictum, vel quia ab Apostolis conflatum velut fidei breve compendium ac facile pro omnibus fidelibus, ut quibusdam fuit acceptum, quod nunc reiicitur, vel saltem uti continens Apostolorum fidei doctrinam fundamentalem, atque usitatam a remotissima Ecclesiae antiquitate, fideliterque servatam in Ecclesia Dei, praesertim apud Romanam. Est illud etiam nunc commune inter fideles.

2° Symbolum quod dici potest Niceno Costantinopolitanum, et quod in Missa iuxta rubricas recitatur. Constat Symbolo Apostolorum, interiectis explicationibus tum Conc. Niceni I contra Arium de Filii Dei consubstantialitate atque divinitate, tum Conc. Constantinopolitani I contra Macedonium de Spiritus S. divinitate atque simultanea cum Filio ac Patre adoratione. Huic Symbolo intextum est posterius, verbum « Filioque » sc. a Conc. Toletano I in Hispania (a 405), et postea in Ecclesia Romana admissum a Benedicto PP. VIII ad preces S. Henrici; et in Synodis oecumenicis Lugd. II. et Florentina a latinis simul et graecis admissum est.

3° Symbolum Athanasianum, quod iuxta hodiernam criticam denegatur Sancto cuius nomine designatur, quin tamen de vero auctore constet. Quod tamen nihil refert, huius enim Symboli auctoritas provenit ex universa Ecclesiae acceptatione, quia per modum doctrinae fundamentales fidei veritates continet.

4° Symbolum S. Leonis IX, quod constat explicationibus Symbolo Niceno-Constantinopolitano interiectis, et adduntur fidei veri-

[1] Vid. Denzinger. Enchiridion... num. 6, 86, 39. 343. 994-1000, 1083-1085, 1459-1473, Edit. decima. — [2] In Conc. Plen. Baltimorensi II, aut apud Cappello: De Curia Romana, pag. 86.

tates contra Manichaeum et Pelagianos. Fere totum invenitur in Pont. Romano per interrogationes ad electum in Episcopum directas.

3° Adsunt praeterea duae aliae fidei professiones, quarum una Gregorii XIII est Graecis praescripta et altera a Benedicto XIV Patriarchae Maronitarum iussa in Litteris « Nuper ad Nos » 16 Mart. 1743. Illa Symbolo Niceno-Constantinopolitano adiungit Conc.[i] Florentini definitiones ex Dec.[o] unionis Graecorum. Ista vero post praedictum Symbolum recenset, tum Generalia Concilia in Oriente celebrata eorumque dogmaticas definitiones, cum Concilia pariter Oecumenica Florentinum ac Tridentinum cum eorum definitionibus dogmatum.

6° Pro recipiendis haereticis neo-conversis invenitur specialis formula professionis fidei in S. Officii Instructione 20 Jul. 1859[2].

Denique in praxi utilitatem habent, sive formulae abiurationis contentae in Pontificali Rom., de quibus infra, sive duplex iusiurandum a Pio PP. X praescriptum in M. pr. « Illibatae » 29 Jul 1910 et in alio « Sacrorum Antistitum » 1 Sept. 1910.

45. **Quinam in Ecclesia Latina et quando fidem profiteri formula non Piana tenentur.** — R. Illi quì, ut plurimum in sacra liturgia vel in quorumdam Sacramentorum susceptione fidem publice profitentur, unde: 1° Baptizandi, iuxta ritum de Baptismo administrando in Rituali Rom. contentum, sicut exponam in Titulo « de Baptismo » Lib. III.

2° Schismatici ac haeretici ad Christi Ecclesiam conversi proprios errores abiurare tenentur, fidemque confiteri. Sed diversimode, nam in Pontificali Romano extant speciales formulae in (Ordine ad reconciliandum apostatam, schismaticum vel haereticum) quando agitur de « praecipuo et notabili fautore schismatis et de haeresiarca, seu praecipuo auctore alicuius haeresis », atque pro haereticis primo ad Ecclesiam venientibus est proposita specialis formula in S. Officii Instructione [1]. — Porro hic memorandum est eiusdem Congregationis responsum [2]: « Abiuratio potest fieri coram quopiam ab Episcopo delegato ut notario, et aliquibus personis ut testibus; et detur Instructio 8 Aprilis 1766 ad Episcopum Limericensem ». Si agatur de haereticorum puellis parentum in haeresi permanentium, consulendae normae Congreg.[s] S. Officii diei 21 Iulii 1880.

[1] 20 Iul. 1859 — [2] 28 Martii 1900.

3° Presbyteri iuxta ritum ordinationis Symbolum apostolicum solemniter profitentur antequam Spiritum Sanctum ad remittenda peccata recipiant.

4° Similiter in Episcopos consecrandi in ipsius ritus initio iuxta S. Leonis IX Symbolum per modum examinis reddunt rationem fidei, sicut in Pontificali Romano praescribitur. Et priusquam sacrum viaticum recipiant, secundum Caeremonialis Episcoporum rubricam fidem profitentur.

5° Denique omnibus notum est, quod in sacra liturgia romana pluries sit recitandum Apostolorum Symbolum in horis canonicis, item in Missa semper illud atque Niceno-Constantinopolitanum quandoque, ac demum « Symbolum Athanasianum... ad Primam in festo Sſmae Trinitatis et in Dominicis, tantummodo post Epiphaniam et Pentecosten quando de eis persolvendum est officium, salva exceptione »[1].

46. **An professionis fidei praescriptiones canonicae sint undequaque sapiens statutum.** — Rationes in contrarium viderentur sequentes. Nam, sicut Apostolus dicit (Eph. IV. 5), *una est fides*. Sed Symbolum est professio fidei. Ergo inconvenienter traditur multiplex symbolum ac in canonibus praescribitur (D. Th. loco citando).

Praeterea; si dicatur in Symbolis non contineri diversam fidem, inconvenienter iussum est diversis symbolis utendum in diversis casibus, et adeo necessario, ut legi canonicae non satisfiat, nisi per determinatam formulam.

Praeterea; iniuriosum videtur profitenti fidem, quod ab eo exigatur iuramentum quod talem fidem mente retineat, ac si mendacium adeo perniciosum vellet proferre.

Praeterea; superflue videtur additam formulae professionis fidei promissionem de fide retinenda ac in subiectis custodienda, et quidem sub iuramento, quando in c. 3 « de cohabitatione clericorum ac mulierum » vetat Ecclesia, ne a clericis concubinariis exigatur abiuratio concubinarum.

In contrarium nobis sufficit Ecclesiae auctoritas, de qua legitur dictum a Domino: « Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit » (Luc. c. 20 v. 16).

[1] Novae Rubricae ad normam Const. « Divino afflatu » Tit. VII. 3. 4. CO. III, 639.

Respondeo dicendum ss. canones de fidei professione sapiens statutum continere. Sapientis quidem est omnia ordinate peragere, ac disponere ut eorum, quae principaliora sunt ac fundamentalia, firmitati ac custodiae magis provideatur. In Ecclesia vero catholica principium ac fundamentum est fides, ut apparet in Petri confessione, et quia « sine fide impossibile est placere Deo » (Heb. XI. 6) et « Qui non crediderit, condemnabitur » (Marc. XVI. 16). Ecclesia ergo debuit suprema cura fidei securitati ac stabilitati prospicere. — Nunc vero considerandum est triplicem personarum conditionem quoad hoc inveniri posse. Imprimis omnibus dicitur: « corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem » (ad Rom. X. 10). Quoties vero urgeat in vita hoc divinum praeceptum, non constat. Unde ab Ecclesia id fuit determinandum: in officio divino, quod nomine fidelium persolvitur, et in Missa cui fideles intersunt. Et *frequenter* iussit recitandum, ut radices figat tam necessaria virtus, secundum illud « iustus autem ex fide vivit » (ad Rom. c. 1 v. 17), atque ut Deo mentis debitum obsequium aliquantulum praestetur, Apostolo aiente: « et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi » (II ad Corinth. X. 5). — Nec sine ratione laudabili est quod Symbolum unum vel alterum adhibeatur, in quibusdam solum horis vel missis, submissa aut elata voce (sicut v. gr. videri potest in D. Th. 2. 2. q. I a 9 ad 6^{m} et 3. P. q. LXXXIII a 4 in corp.).

Aliae personae sunt, quae Ecclesiam ingredi petunt per baptismi regenerationem. Quoad has, memorans Ecclesia scriptum esse: « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit » (Marc. XVI. 16) et (Haebr. XI. 6.) « accedentem ad Deum oportet credere », fidei professionem per Apostolorum Symbolum exigit, antequam fidei sacramentum conferatur. Cum vero quidam adulti erroribus antea decepti ad Ecclesiam convertuntur, eis praescribit determinatam formulam, qua non solum fidem profiteantur, sed adversus errores prius habitos directe insurgant, eos abiurando. Et quia semel fit ingressus, semel hac de causa fides profitetur.

Demum in S. Theologia demonstratur, (D. Th. 2. 2. q. II a. 6.) quod « plura tenentur explicite credere maiores, qui habent officium alios instruendi, quam alii »; et magis roborata et illuminata fide indigent homines, qui non solum seipsos, sed alios infirmiores in ea sustentare debent, quam simplices, quibus fides

necessaria est ut ipsi vivant per dilectionem operantes. Propterea ergo, quicumque aliis praeponuntur scientia, ministerio, aut pascendi officio, ad formulam fidei magis explicitam obligantur, et providens Ecclesia eorum firmitati in fide retinenda, eos adigit pro subditorum bono ad promissionem dandam et iuramento fulcitam de ipsius fidei retentione ac de eiusdem in subditis custodia, ut novae obligationis vinculo ac religionis reverentia in recta via contineantur. Eo magis conditiones huius professionis sunt probandae, quod semel tantum in gradus officiive susceptione illa est facienda, et haereses a maioribus in minores efficacius descendunt. Sic patet ss. canonum sapientia de fidei professionis instituto.

Ad 1^m ergo dicendum cum D. Th. (2. 2. q. I. a. IX ad 2^m); « quod in omnibus symbolis eadem fidei docetur veritas; sed ibi oportet populum diligentius instrui de fidei veritate, ubi errores insurgunt, ne fides simplicium per haereticos corrumpatur. Et haec fuit causa, quare necesse fuit edere plura symbola, quae in nullo differunt, nisi quod in uno plenius explicantur quae in alio continentur implicite, secundum quod exigebat haereticorum instantia ».

Ad 2^m patet responsio ex dictis in corp. art.

Ad 3^m dicendum, quod Ecclesia non exigit praedictum iuramentum, velut dubitans de fide profitentis, quam prius humano modo perspectam habet, sed ut ostendat non satisfieri cultu Dei tantum externo, sicut colebant illi de quibus est scriptum: « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me » Matth. XV, 8., et insuper ob rei gravitatem, quia « homo videt ea quae parent, Deus autem intuetur cor » (1 Reg. XVI. 7), exigit internae fidei probationem sc. Dei testimonium, secundum illud: « ad confirmationem est iuramentum ». Nec ulla iniuria quoad hoc deprehendi potest, eo quod praeterea haec formula adhibetur pro capessendis gradibus et officiis, quae accipientibus necessaria non sunt: dispensans ergo ea, iure suo utitur in conditionibus apponendis.

- Liber I. Normae generales —
  - Codicis respectu ad —
    - Ecclesiam orientalem — Can. 1
    - liturgicas leges — » 2
    - iura —
      - per publicas conventiones statuta — » 3
      - privatorum quaesita, privilegia et indulta — » 4
    - ius praecedens —
      - consuetudinarium — » 5
      - scriptum — » 6
    - quorumdam significationem verborum — » 7
  - quoad ipsum Codicem ac subsequens ius —
    - scriptum. De legibus ecclesiasticis — Tit. I
    - non scriptum. De consuetudine — » II
    - interpretandum. De temporis supputatione — » III
    - vel
    - exequendum. De rescriptis — » IV
    - vel
    - relaxatum —
      - habitualiter. De privilegiis — » V
      - ad quosdam actus. De dispensatione — » VI

CODEX IURIS CANONICI

LIBER PRIMUS

NORMAE GENERALES

Can. 1. - Licet in Codice iuris canonici Ecclesiae quoque Orientalis disciplina saepe referatur, ipse tamen unam respicit Latinam Ecclesiam, neque Orientalem obligat, nisi de iis agatur, quae ex ipsa rei natura etiam Orientalem afficiunt.

Can. 2. - Codex, plerumque, nihil decernit de ritibus et caeremoniis quas liturgici libri, ab Ecclesia Latina probati, servandas praecipiunt in celebratione sacrosancti Missae sacrificii, in administratione Sacramentorum et Sacramentalium aliisque sacris peragendis. Quare omnes liturgicae leges vim suam retinent, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur.

Can. 3. - Codicis canones initas ab Apostolica Sede cum variis Nationibus conventiones nullatenus abrogant aut iis aliquid obrogant; eae idcirco perinde ac in praesens vigere pergent, contrariis huius Codicis praescriptis minime obstantibus.

Can. 4. - Iura aliis quaesita, itemque privilegia atque indulta quae, ab Apostolica Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive moralibus concessa, in usu adhuc sunt nec revocata, integra manent, nisi huius Codicis canonibus expresse revocentur.

Can. 5. - Vigentes in praesens contra horum statuta canonum consuetudines sive universales sive particulares, si quidem ipsis canonibus expresse *reprobentur*, tanquam iuris corruptelae corrigantur, licet sint immemorabiles, neve sinantur in posterum reviviscere; aliae, quae quidem centenariae sint et immemorabiles, tolerari poterunt, si Ordinarii pro locorum ac personarum adiunctis existiment eas prudenter submoveri non posse; ceterae suppressae habeantur, nisi expresse Codex aliud caveat.

Can. 6. - Codex vigentem huc usque disciplinam plerumque retinet, licet opportunas immutationes afferat. Itaque:

1.° Leges quaelibet, sive universales sive particulares, praescriptis huius Codicis oppositae, abrogantur, nisi de particularibus legibus aliud expresse caveatur;

2.° Canones qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sunt aestimandi;

3.° Canones qui ex parte tantum cum veteri iure congruunt, qua congruunt, ex iure antiquo aestimandi sunt; qua discrepant, sunt ex sua ipsorum sententia diiudicandi;

4.° In dubio num aliquod canonum praescriptum cum veteri iure discrepet, a veteri iure non est recedendum;

5.° Quod ad poenas attinet, quarum in Codice nulla fit mentio, spirituales sint vel temporales, medicinales vel, ut vocant, vindicativae, latae vel ferendae sententiae, eae tanquam abrogatae habeantur;

6.° Si qua ex ceteris disciplinaribus legibus, quae usque adhuc viguerunt, nec explicite nec implicite in Codice contineatur, ea vim omnem amisisse dicenda est, nisi in probatis liturgicis libris reperiatur, aut lex sit iuris divini sive positivi sive naturalis.

Can. 7. - Nomine Sedis Apostolicae vel Sanctae Sedis in hoc Codice veniunt non solum Romanus Pontifex, sed etiam, nisi ex rei natura vel sermonis contextu aliud appareat, Congregationes, Tribunalia, Officia, per quae idem Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet.

Codex iuris canonici.

47. Sicut in iure Romano Codex appellatur collectio decisionum seu Constitutionum Imperatoris, et in hodierno usu iuridico Codices nominantur collectiones legum, quae a suprema potestate societatum civilium pro his sunt saltem confirmatae; ita hoc Volumen, cuius commentarium in nomine Domini incipimus, proprie dictum fuit *Codex*, utpote breviter colligens ac logico ordine illas leges, quae a suprema potestate sunt saltem confirmatae pro universa Ecclesia; proindeque ad aliorum Codicum distinctionem additum est *iuris canonici*, quod verbum, ut supra dictum est, proprie ac in usu reservatur iuri scripto Ecclesiae universalis.

48. **Codicis divisio.** — Quemadmodum in Dec.º Gratiani priores XX Distinctiones generalia iuris praesertim positivi principia tradunt, ac ceterae collectiones authenticae priores titulos eidem materiae assignarunt, ita Codex noster fecit; sed laude dignior in primum librum introductorium digessit ea, quae generalia sunt canonum principia quatenus eadem per potestatem humanam legislatoris determinantur, nam generalia iuris principia ut a ratione vel ex revelatione percepta sunt praevia Codici potius quam eiusdem partes, nisi considerentur, prout ad complementum et integram perfectionem illius conferunt. Hinc *Liber primus* inscribitur: *Normae*, ceu ab humano legislatore positae regulae, *generales* tum respectu aliorum canonum, qui de singulis institutis iuridicis agunt, cum in ordine ad ipsum Codicem iuris canonici qua talem. Has distributas inveniemus in septem canones praeliminares, illas in subsequentes titulos huius Libri.

Quoad ceteros libros, fuit derelicta traditionalis collectionum divisio et ordini logico ac iuridico fuit in hac parte delatum, qui non ignotus fuit antiquitati classicae et iuris canonici Doctoribus, quoad personas et res; fuit vero perpolitus quoad actiones in ampliorem librum de processibus, et completus libro de delictis et poenis. — Porro ad peculiarem Ecclesiae naturam quod attinet, ut logica sit canonum plena distributio, plura successive considerare oportet. Primo finem ad quem ordinatur potestas a Iesu Domino Divo Petro data, qui est corporis Christi aedificatio, dicente Apostolo [1]:

[1] Ad Eph. IV, 11, 22.

« Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos,... alios autem pastores... in aedificationem corporis Christi », in quo sunt quidem diversa membra, quae « non eumdem actum habent » [1], « sed pro invicem sollicita sint membra » [2]. — Illorum perpulchra varietas consurgit in Ecclesia per ordinatam multitudinem personarum, quae obtinent gradus ac officia, quibus constat utraque hierarchia ordinis et iurisdictionis, simul ac per utriusque sexus multiplices familias religiosas, quae una cum saecularium sodalitiis ac singulis ceteris fidelibus, confirmant Davidicum versum: (112, 9.) « qui inhabitare facit sterilem in domo matrem filiorum laetantem ». — Mutua vero sollicitudo membrorum Ecclesiae Christi adhibetur iurium ac obligationum exercitio quae, tum illis gradibus officiisve, tum his familiis religiosis, sodalitiis, et singulis fidelibus tributa sunt. Sacros ergo canones, qui huiusmodi Ecclesiae constitutionem respiciunt, primo cognoscere oportet, et hinc *Liber II* est inscriptus *De personis*. — Deinde opus est memorari Apostolicum dictum: [3] « Deus secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis,... ut iustificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitae aeternae ». Ex quibus verbis et aliis locis S. Scripturae datur intelligi in quo Ecclesiae aedificatio consistat, nempe in iustificatione animarum per gratiam vel in *sanctificatione*, « sine qua nemo videbit Deum » [4]. Iuxta D. Thomam [5] « Sanctitas dicitur per quam mens hominis seipsam et suos actus applicat Deo... Oportet autem quod mens ab inferioribus rebus abstrahatur, ad hoc quod supremae rei (scl. Deo) possit coniungi ». Huiusmodi abstractio seu cordis purificatio est effectus fidei, ex testimonio D. Petri: « fide purificans corda eorum » [6]. Eadem vero purificatio simul ac mentis eiusque actuum ad Deum applicatio perficitur charitate, iuxta illud: [7] « qui manet in charitate in Deo manet et Deus in eo », et Iesus de seipso ac de Patre ait: « Si quis diligit me.... mansionem apud eum faciemus » [8]. Sollicita ergo debet esse potestas ecclesiastica de stabiliendis omnium, praecipue christianorum animis in fide atque charitate, adhibendo ad hoc media eidem tradita a Domino, quae discere licet ex verbis Christi: « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos....., et docentes eos servare

[1] Ad Rom. XII, 4. — [2] 1 ad Cor. XII, 25. — [3] Ad Titum, III, 5, 7. — [4] Ad Haeb. XII, 14. — [5] 2ª. 2.ae q. LXXXI, a. 8, c. — [6] D. Th. 2.ª 2.ae q. VII, a. 2. — [7] I Ioann. IV, 16. — [8] Ioann. XIV, 23.

omnia quaecumque mandavi vobis »[1]. — Sacri ergo canones quoad media sanctificationis obtinendae, vel 1° disponunt de his quae fidem gignere, roborare ac tueri possunt, (et hi recensentur sub titulis de praedicatione verbi Dei, de seminariis, de censura et prohibitione librorum); vel 2° disciplinam statuunt servandam in sacramentis, quae gratiam simul cum charitate non ponentibus obicem conferunt, (quorum studio vacandum erit in titulis de baptismo et in aliis cum tractatu de matrimonio); et haec quidem quoad fidem gratiamque acquirendam et conservandam. Sed per bona etiam opera sunt fides et gratia servandae et augendae, unde 3° ss. cann. decernunt quaecumque ad divinum pertinent cultum, ut ipse per quodcumque fidei absonum deturpari nequeat, quin potius indeficiens fons permaneat auxiliorum, quibus homines divina praecepta adimpleant, (et hi locum expostulant in titulis de locis sacris eorumque benedictione, de sacrificio missae, de cultu Divino); vel denique sacri canones iubent ipsos actus virtutum, quaedam superaddendo Dei ac naturae legibus, velut sacri auditionem, ieiuniorum observationem (et ista praecepta fidelibus communia post dictos canones opportune edicenda fuerunt), quae ceteroquin non tam multa sunt, cum S. Augustini monitum Ecclesia sequatur, qui dicit: « in his moderationem attendendam, ne conversatio fidelium onerosa reddatur » (2ª 2ªᵉ q. CVII, a. 4. c.). — Quomodo vero titulos de sacramentis et ceteros de rebus Ecclesiae propriis ad invicem coordinari oporteat ob rationes valde practicas, alibi enuntiandum veniet. Et sic videtur nihil fore praetermissum de canonica legislatione quoad media Ecclesiae propria, quibus salutem animarum consequatur.

Ultimo, de ipsa Ecclesia legimus dictum[2]: « In novissimo dierum erit mons domus Domini, praeparatus in vertice montium, et sublimis super colles: et fluent ad eum populi ». Hinc consequitur evidenter istud regnum Dei quamvis spirituale, debere esse omnino visibile ac externum, proindeque indigere bonis temporalibus, sicuti caetera regna inter homines constituta. Hinc quamvis[3] « non sit aequum », potestatem ecclesiasticam « derelinquere verbum Dei » seu propria media « et ministrare mensis », debet « *aliquos constituere super hoc opus* », ac leges statuere circa bona tempo-

[1] Matth. XXVIII, 19. 20. — [2] Mich. IV, 1. — [3] Act. VI, 2, 3.

ralia, ut in Ecclesia « omnia honeste et secundum ordinem fiant » : quod praestitit Codex in titulis de beneficiis ecclesiasticis, de aliis institutis ecclesiasticis non collegialibus, de bonis ecclesiasticis administrandis, ac de piis fundationibus.

Ius canonicum his concluderetur limitibus si opus non esset quod leges humanae secundum ius et aequum applicentur casibus multoties dubiis, unde controversiae oriri solent inter fideles, atque si pravi homines, qui Ecclesiae ordinationi resistunt, non cogerent, ut sacri canones efficaci muniantur sanctione. His necessitatibus prospexit Ecclesia per sacras leges, quibus potestas publica ordinate exerceatur in illis controversiis definiendis ac in poenis applicandis, sive iudicialiter illud fiat, sive extraiudicialiter, quapropter conveniens fuit mutatio inscriptionis Libri IV, ut sit « De processibus » loco alterius Decretalium « de iudiciis ». Imo ex propria Ecclesiae natura fuit sub eodem Libro pars quaedam reservata processibus stricte iudicialibus, quos Ecclesia servare consuevit ob magnum negotiorum momentum, quando agitur de decernendis Beatificatione et Canonizatione Servorum Dei. — Delicta vero determinare, quae animarum saluti magis obstant pro Ecclesiae fine peculiari, ac poenas tum proprias illius tum communes aliis societatibus decernere, fuit reservatum Lib. V « De delictis et poenis ».

19. **Canonum praeliminarium coordinatio.** Cum Codex superveniat iuri iam undequaque constituto, in eius limine fuit determinanda digerentis illum intentio; nempe: qua mensura fuit ad praxim deductum « consilium (quod Pius X) iniit, universas Ecclesiae leges, ad haec usque tempora editas, lucido ordine digestas in unum colligendi », et an e contra necessitas vel prudentia suaserit quasdam extra illum relinquere. Principium ergo iuridicum de legum applicatione Orientalibus ecclesiis salvum mansit in can. 1, et liturgicae leges, quae ob multitudinem constituere peculiarem Codicem valent, ad normam can. 2 pro maxima earum parte extra Codicem manent. Disciplina quarumdam regionum, quae nequit sola Rom. Pontificis voluntate mutari ob interpositam Sedis Aplcae. fidem, intacta fuit ex can. 3, dum can. 4 edicit, qua mensura non tangantur iuris varietates ob peculiaria Sanctae Sedis documenta, quamvis possent revocari. Hisque limitibus circumscriptus Codex consideratur uti relatus ad praecedens ius pro duplici ipsius fonte in can. 5 et 6, nempe: prout a consuetudine fuit ortum vel scripto

conditum, subsequente can. 7 de « nomine Sedis Apostolicae vel Sanctae Sedis », quod frequentissime in Codice inveniri licet.

50. **Codex relate ad universam Ecclesiam.** Teste Bened. XIV in ep. encycl. « Allatae sunt » [1], post discussionem in praestantium virorum conventu habito die 4 Iul. anno 1631 in aedibus Card[s]. Pamphilii, qui ad Summum Pontificatum evectus, Innoc. X nomen assumpsit, haec prodiit resolutio: « Subditi quatuor Patriarcharum Orientis non ligantur novis Pontificiis Constitutionibus, nisi in tribus casibus: primo in materia Dogmatum Fidei; secundo, si Papa explicite in suis constitutionibus faciat mentionem, et disponat de praedictis; tertio, si implicite in iisdem Constitutionibus de eis disponat, ut in casibus appellationum ad futurum Concilium ». Hanc adoptavit in tres partes distributus *can. 1. Licet in Codice iuris canonici*, ut illum pervolventi patebit, *Ecclesiae quoque Orientalis*, quatenus haec contradistinguitur Ecclesiae Occidentali propter loca, ubi existit respectu Romanae. Sed hoc in canone designatur illa propter linguam, qua in sacra utitur liturgia, et consequenter peculiares leges ecclesiasticas observat, ubicumque huiusmodi fideles degant.

« Licet » ergo... illius *disciplina*, seu normae obligatoriae actionum externarum eius fidelium rite conditae, *saepe referatur*, sive hoc fiat explicite praescribendo, v. gr. in can. 98 §§ 3-5, sive implicite quando utriusque Ecclesiae disciplina concordat, v. gr. canones « de Missarum eleemosynis seu stipendiis » inquantum referunt praescripta dec[1]. « Vigilanti » S. C. C.[2] extensi « ad clerum et fideles ritus orientalis » per Dec. S. C. de Prop. Fide [3], et haec pars canonis est ad instructionem, cui subsequitur norma generalis: *ipse tamen* Codex, qua talis ex intentione principali Sedis Apostolicae a) *unam respicit* (*Latinam Ecclesiam*, nempe: in cuius sacra liturgia haec lingua est in usu praeceptivo) sive in absolutis membrorum eius actionibus, sive in agendo respectu orientalium v. gr. in matrimoniis contrahendis, b) *neque Orientalem obligat* quoad diversos Codicis canones; secundario autem seu multoties tamquam per exceptionem Codex obligationem ipsis imponit, addente hoc canone: *nisi de iis agatur, quae ex ipsa rei natura,* tum ob materiam, quam continet canon, scilicet: iuris divini praeceptum vel huius

[1] 26 Iul. 1755, § 44. — [2] 25 Maii 1893, Collect. S. C. de P. F. n. 1832. — [3] 18 Aug. 1893, Collect. cit. n. 1847.

authenticam declarationem v. gr. can. 802, 864, tum ob dispositionem iuris quoque ecclesiastici ad membra Orientalis Ecclesiae expresse saltem propter ritum directam, v. gr. can. 866, tum implicite praesertim iuxta praecedentes Aplcae. Sedis declarationes, eo quod norma positiva iuris adeo intime connexa est cum iure divino, ut diversitas disciplinae non fuerit admittenda, sicut constat ex sequentibus. Ergo Codicis canones, sive ob materiam, sive propter eorum dispositum expresse aut implicite ut infra, *etiam Orientalem* « Ecclesiam » *afficiunt*. — Etenim Bened. XIV in const. « Etsi pastoralis » [1] ait: « singulae Romanorum Pontificum Constitutiones contra Sollicitantes praesertim in Confessione editae, in singulas Nationes universim vires suas extendunt, ac Latinos aeque ac Graecos sua amplitudine comprehendunt », seu ut ait Congr. S. Officii [2]: « Le Costituzioni pontificie emanate *contra sollicitantes* comprendono tutte le nazioni, ed in conseguenza così obbligano i greci come gli armeni ». Et hae constitutiones continentur in can. 904 et 2368. — In Litt^{a}. encycl^{a}. S. C. de Prop. fide [3] legitur: « 2. Rituum Orientalium fideles subiici omnibus censuris ab Aplca. Sede latis in materia dogmatum et in Constitutionibus in quibus implicite de iis disponitur, nempe ubi materia ipsa demonstrat eos comprehendi, quatenus non de lege mere ecclesiastica agitur, sed ius naturale et divinum declaratur ». Ac demum Praelatos memorari desiderat: « illos fideles subiici nominatim nedum censuris, sed etiam Apostolicis reservationibus latis in const. Bened. XIV « Sacramentum Poenitentiae », et in Constitutionibus contra sectae massonicae aliisque similibus addictos », quae nunc inveniuntur, hae in can. 2335, illae in can. 2314, 2317. — Ex dictis erit curandum adnotare illos canones, qui *a*) ius divinum continent, *b*) aut implicite Orientalem Ecclesiam afficiunt; nam alios expresse in eam extensos cognoscere facillimum erit. His tamen interpretandis recte deserviet norma generalis supra dicta huius canonis.

51. **Codex in respectu ad liturgicas leges.** Incipit asserens *can. 2. Codex* simpliciter dictus ob praec. can. in quo fuit distinctus ab aliis, *plerumque*, idest: pro maxima canonum parte, *nihil decernit de ritibus et caeremoniis*, quae verba praecipue denotant formulas recitandas et actiones peragendas in cultu Ecclesiae

[1] 26 Maii 1742, § IX n. V. — [2] 13 Iunii 1710, Collect. S. C. de P. F. n. 279. — [3] 6 Aug. 1885, Collect. S. C. de P. F. n. 1640.

publico, sed etiam comprehendunt sacras vestes ac utensilia pro eodem exercendo, *quas liturgici* propter eorum obiectum, quod sacra liturgia vocatur, *libri* quocumque nomine discernantur, *ab Ecclesia latina* pro eius cultus varietate rituum, romani, monastici, dominicanorum, etc., saltem usu longaevo vel positivo Sedis Apostolicae actu *probati*, *servandas* praecipue ab Ecclesiae ministris, vel aliis personis, *praecipiunt* v. gr. per rubricas praeceptivas, per diversa decreta, et constitutiones pontificias, a) *in celebratione* tum sollemni, tum privata *sacrosancti Missae sacrificii*, quod est praecipuus sacrae liturgiae actus, b) *in administratione* singulorum septem *Sacramentorum*, quae consistunt in actionibus, *aliisque sacris* sive rebus sacramentalibus sive functionibus *peragendis*. — Praemonstrata norma, secundum quam digestus est Codex sub hoc respectu, concludit statuens canon : *Quare omnes liturgicae* qua tales, videlicet proprie de sacra liturgia disponentes *leges* vigentes, quandocumque sint editae, sive in Codice inserantur, sive maneant extra eum, premendo sub silentio consuetudines, *vim suam* intactam *retinent*, uti regula generalis, proindeque erunt opportune in Commentario memorandae cum parsimonia, adnotando applicationes sequentis exceptionis : *nisi earum aliqua in Codice* per aliquem canonem vel vi aliquorum *expresse corrigatur*, statuente, sive explicite contrarium illi saltem partialiter, sive quidquam cum lege liturgica incompossibile.

Quinam sint libri liturgici Ecclesiae romanae, singulorumque vis iuridica exposcunt brevem tractationem in Appendice huius Libri I.

32. **Codex cum relatione ad publicas conventiones.** Leo XIII in encycl. « Immortale Dei » docet : « Itaque inter utramque potestatem (ecclesiasticam et civilem) quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio... Qualis autem et quanta ea sit, aliter iudicari non potest, nisi respiciendo ad utriusque naturam, habendaque ratione excellentiae et nobilitatis causarum ». Unde ex ratione recta constare potest illa colligatio. « Incidunt autem quandoque tempora, cum alius quoque concordiae modus ad tranquillam libertatem valet, nimirum si qui principes rerum publicarum et Pontifex romanus de re aliqua separata in idem placitum consenserint ». Hinc vim nominis « concordati seu conventionis » ad modum quidem pactorum internationalium in civilibus. Has conventiones observare cogit interposita saltem fides. Quapropter cum propter eas

bonum Ecclesiae promanans ex Codificatione non esset procrastinandum, nec opportune Concordata mutari vel rescindi propter disciplinae uniformitatem possent, quam nec Codicis scopus exigebat, conditus est *can. 3. Codicis canones* omnes ac singuli *initos* ante ipsius vigorem *ab Apostolica Sede*, nam Romanus Pontifex nomine suo ac successorum contraxit, ratione igitur illius, *cum variis*, ut ex historia patet, *Nationibus*, eo quod cum principibus rerum publicarum qua talibus, ac proinde uti cum formali elemento ipsarum pepigit Apostolica Sedes *conventiones*, sic dictas iuxta earum substantialem formam contrahendi, manente inter Doctores quaestione implexa de illarum natura pro diversis earum articulis, *nullatenus*, nempe : quoad hos singulos *abrogant*, vim eorum detrahendo, *aut iis* conventionibus *aliquid obrogant*, scilicet : articulos substituunt canonum praescripta ; et hoc est principium iuridicum publice hic recognitum. — Imo sic confirmantur : *eae* « conventiones » praedictae *idcirco perinde ac in praesens* tempus promulgationis ac initii vigoris Codicis, non magis vel minus nec aliter *vigere pergent*, quin accipiant vigorem quae obligare desierunt quacumque ex causa etiam iniusta, *contrariis* pro qualibet earum parte *huius Codicis praescriptis minime obstantibus*, etiam supposita promulgationis Bulla, cum diversis eius vel canonum clausulis, quod adnotare iuvat pro eorum aliquorum interpretatione. Constituunt ergo conventiones exceptionem Codicis veluti particulares locorum leges ecclesiasticae.

53. **Codex in ordine ad privatorum iura.** Post Codicis limitationes, ratione Orientalis Ecclesiae quoad personas illi subiectas, ratione obiecti legislationis, quae extra Codicem remansit, ratione particularis legislationis quoad nationes ex conventionibus ortae, ultima Codicis circumscriptio designatur per *can. 4. Iura* subiectiva *aliis*, quam hi quibus per Codicis canones attribuuntur, *quaesita*, seu iam obtenta quolibet ex factis, quae, supposito legis alicuius praescripto, illa producunt, *itemque* a) *privilegia* proprie dicta, quae secundum, praeter aut contra ius in antecessum vigent, *atque* b) *indulta* quaelibet, ut distinctio est supra posita, sed tamquam gratiosae concessiones ad privilegii naturam non pertingentes, *quae*, distributive singula, a) *ab Apostolica Sede* ad normam infra explicandi can. 7, (non iam ab aliis Ordinariis concessa), quae Codicis canonibus contraria sint, b) *ad haec usque tempora*, nam futura erunt aliter ponderanda circa eorum vim, c) *personis* seu iu-

rium subiectis *sive physicis*, idest: singularibus, *sive moralibus* idest: aut collectivis aut iure conditis, *concessa* vere quolibet modo legitimo, vel illis aequiparata, non tantum praesumpta, d) *in usu adhuc sunt*, non obsoleta per non usum aut ob legitimam contrariam praescriptionem, e) *nec revocata* cum effectu, *integra manent*, quin augeantur, minuantur vel mutentur, *nisi huius Codicis canonibus* non solum opponantur, sed illis singulis *expresse revocentur*, quae revocatio, cum positivum actum supponat, explicite apponenda erit.

Hoc in loco referre placet animadversionem cl. Secretarii S. C. C. I. Mori in c. Cuneen. et Utinen. Praecedentiae [1], quia illa mirifice illustrat praesentem canonem. « Praeterea, can. 4 de non sublatis per Codicem iuribus quaesitis, in eo habet fundamentum, quod lex, per se, non agit retrorsum, seu non habet vim retroactivam ut dici solet, quum « respiciat futura, non praeterita » pronti habet can. 10. Id tamen non significat generatim legem non posse in futurum supprimere ius quod quis habet dum illa promulgatur, sed tantum non posse eam tollere in futurum ius quod quis, dum lex promulgatur, habet *dependenter a facto praeterito*, dum bene potest tale ius tollere in futurum, si sit *independens* ab aliquo facto praeterito. Ita v. gr. *diaconus* qui ante Codicem accepit collationem paroeciae, habet ex facto praeterito collationis ius quaesitum in paroeciam: quamobrem lex can. 453 exigens ad officium parochi *sacerdotium* et auferens diaconis capacitatem ad tale officium, profecto nequit auferre tali diacono capacitatem: eo ipso quia nequit agere retrorsum, nequit ius quaesitum tollere, dum ageret retrorsum tolleretque ius quaesitum, si auferre praetenderet capacitatem dependentem omnino a facto praeterito. E contrario vir constitutus in XV aetatis anno in vigilia Pentecostes anni 1918 habilis erat ad contrahendum matrimonium, quam habilitatem sustulit profecto insequenti die Codicis can. 1067 exigens XVI aetatis annum. Agebatur enim de supprimendo in futurum, ius *nullo modo dependens a facto praeterito,* ideoque lex illam habilitatem tollens, nequaquam egit retrorsum nec substulit quaesitum ius. Ratio namque cur iuvenis XV annorum sit inhabilis ad matrimonium est *eius praesens aetas,* non factum praeteritum, quia nullo unquam tempore

[1] 17 Maii 1919. CO. XI, 531.

quispiam ius habuit quaesitum ad matrimonium ante aetatem *a lege ipsa* permissam ».

Ob tenorem huius canonis 4 patet, quam necessarium fuit Dec. S. Congr^s. Consist^s. « Proxima sacra », ut cessarent « indulta quae... vel in Brevi dicto 25 annorum, vel in formulis typis impressis ad decennium, ad quinquennium aut etiam ad triennium valituris continentur, (quia) supervacanea evadere videntur; quin imo confusionem haud levem ingerere, eo quod a novis Canonici iuris ordinationibus in pluribus discrepant.

Hisce itaque de causis... Ssmus. D. N. Bened. PP. XV... statuit et sanxit: 1) exceptis locis Sacrae Congr. de Prop. Fide subiectis,... alibi, in universis scilicet dioecesibus iuri communi obnoxiis, facultates omnes pro foro externo Ordinariis concessae, (ut supra), a die 18 maii huius anni (1918) cessabunt, neque amplius in usu esse poterunt; — 2) in locis tamen remotioribus aliisque ad quae, sive praesentis belli causa, sive alia qualibet ratione, praesentis decreti notitia utili tempore non pervenerit, dispensationes et ordinationes vi veterum facultatum ab Ordinariis forte concessas Ssmus. Dominus ratas habet, firmo tamen ut ipsi ab acceptae notitiae die, si res adhuc sit integra, huic decreto se conforment; — 3) facultates pro foro interno a S. Poenitentiaria datae, aliaeque ratione praesentis belli concessae, aut peculiaribus de causis ab Ordinariis obtentae, sub huius decreti dispositione non comprehenduntur, et ideo abolitae non sunt ».

Immo quia postea « quaesitum est a nonnullis Episcopis, utrum decretum (hoc) ... comprehenderet etiam indulta quaedam circa missas in favorem Seminarii applicandas nonnullis dioecesibus concessa. — Huic dubio, de mandato Ssmi. D. N., S. Congregatio respondit: memorata indulta non fuisse comprehensa, ideoque in suo robore manere » [1].

Memorari oportet quoque simile eiusdem S. Congr^s. Concist^s. « Decretum de cessatione quarumdam facultatum quae sacerdotibus durante bello concessae sunt » [2].

54. **Codex erga ius non scriptum**. Legitur in Gratiani Decreto [3]: « Ius generale nomen est, lex autem iuris est species. Omne autem ius legibus et moribus constat ». Et [4]: « Mos est longa con-

[1] 1 Iul. 1918. CO. X, 325. — [2] 22 Febr. 1919. CO. XI, 74. — [3] Dist. II. cap. 2. — [4] Ib. cap. 4.

suetudo de moribus tantummodo tracta ». Utrisque ergo tempore Codicis vigentibus fuit ille comparandus, ad determinandum illius iuris cum Codice relationes. Quod facit legislator in duabus diversis normis. Prima est *Can. 5. Vigentes* proprie ob iuridicam vim, a fortiori ergo de facto tantum existentes, *in praesens* quando Codex incepit habere vim, *contra horum statuta canonum*, relictis quoad vigorem, quae sint secundum aut praeter eadem « statuta » *consuetudines*, quae sic vocantur, « quia in communi sunt usu » [1], *sive universales* proprie secundum leges praecedentes, ac melius interpretatur verbum « universales » magis vel minus, *sive particulares*, nempe: « locorum specialium et personarum singularium », necessario exprimendas, quia « cum sunt facti, et in facto consistant, (Romanus Pontifex) potest probabiliter ignorare : et ipsis, dum tamen sint rationabiles, per constitutionem a se noviter editam (nisi expresse caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare » uti edixit Bonif. VIII [2]. — Declaratas ergo tali modo consuetudines tripliciter dispescit praescribens canon: primo quaenam non « sint rationabilia » sic edixit : a) *si quidem ipsis* (contra quorum statuta illae vigebant) *canonibus expresse reprobentur* hoc quidem vocabulo, quapropter fuit cursivis litteris impressum, *tamquam iuris*, quod « est dictum. quia iustum est » [3], *corruptelae*, tunc uti ratio postulat, praecipit canon omnibus sed praecipue Praelatis, *corrigantur*, ab his quidem iuxta servandam pastoris prudentiam; qui autem servant illas peccant contra hoc canonis praescriptum, additurque : *licet sint immemorabiles*, eo quod initium earum nec ex scriptis cognoscatur, proindeque exprimendae tanquam privilegiatae. Sed illa reprobationis clausula effectum quoque futurum obtinet, quod sic statuitur: *neve sinantur* ab Ordinariis *in posterum* fortassis iam correctas *reviviscere*, ac potiori ratione de novo induci. — Praeter reprobatas consuetudines, sic reliquae distinguuntur: *aliae,* b) *quae quidem centenariae sint,* seu a 100 annis observatae, *et immemorabiles*, quorum initium excedit hominum memoriam etiam ex aliorum relatione, *tolerari poterunt*, ita ut interim qui observent illas non peccent, sed haec tolerantia non est Praelatorum arbitrio relicta, sic prosequente canone: *si Ordinarii*, etiam « pro suis vero subditis Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis » (can. 198, § 1), *pro locorum ac personarum*

[1] Dist. cit. cap. 5. — [2] Cap. 1 de constitutionibus Tit. II Lib. I in 6°. — [3] Dist. II cap. 2.

adiunctis tempore quo incepit vigere Codex, sed quia solum « tolerari poterunt », intelligendum est : usquequo pro illis adiunctis *existiment* proprio iudicio, sed ex prudentium virorum opinione fulcito, *eas* consuetudines praedictas *prudenter* idest : iuxta rectam agendi rationem, quae maiora mala vitat, tempusque opportunum expectat, *submoveri non posse* ; demum c) *ceterae,* quae videlicet : non sint ad minus centenariae, *suppressae* ipsius vi Codicis *habeantur*, ita ut « statuta canonum contraria » sint in conscientia et in foro externo servanda, *nisi expresse Codex* in aliquo canone *aliud* huic praescripto dissimile *caveat,* quod positivum cum sit, explicitum sit oportet.

55. **Codex, ad praecedentes leges ecclesiasticas quod attinet.** *Can. 6. Codex* in eius praescriptis *vigentem huc usque*, non iam revocatam, vel insuetam, *disciplinam* scilicet : normas consuetudine ortas vel scripto latas, tum circa actiones externas Ecclesiae in diversis iuridicis institutis, personarumque coetibus, gradibus, diversitatibus, tum quoad rerum seu mediorum species ad illius finem, *plerumque retinet* secundum Codicis scopum, qui fuit « in unum colligendi Ecclesiae leges », proinde a suprema potestate latas, quas declaravi, normas, legesque particulares pontificias quae illorum institutorum varietates contineant, quacumque sub forma tales normae sint editae, v. gr. ut Constitutiones, ut Decreta Conciliorum Oecumenicorum vel SS. Romanarum Congregationum, ut harum Instructiones, Summorum Pontificum Decretalia, etc. ; minime vero huiusmodi praeceptiva documenta, tum pro aliqua religione qua tali v. gr. pro Praedicatorum Ordine, vel dioecesi, v. gr. Dec. S. C. C. « de disciplina chori in Urbe servanda », ut declaravit Commissio pontificia ad Cod. canones authentice interpretandos [1], tum pro morali persona ; et adhuc minus talia documenta praeceptiva etiam communia, quae non sint proprie leges, utpote transitoriae ob circumstantias ordinationes equidem obligatoriae. — Animadvertatur vero quoad supra declaratam disciplinam, quod admonet canon, *licet* in ea disciplina *opportunas immutationes* per additionem, derogationem, ac obrogationem *afferat* Codex. Hoc sic declarato principio digerendi Codicem, sequitur. *Itaque :*

[1] 16 Oct. 1919. CO. XI, 476. — « 1. Utrum praescripta Dec. S. C. C. diei 30 Nov. 1910 « Decorem domus Dei » de chori disciplina in Urbe servanda, I-VIII adhuc vigeant. — Resp. : Affirmative ».

1° *Leges quaelibet,* sed proprie tales ceu perpetuae, ac scripto vel datae vi iurisdictionis ecclesiasticae vel per hanc approbatae, *sive universales* a suprema potestate sine territorii designatione, *sive particulares* tum pro quodam territorio ex potestate suprema conditae seu confirmatae, tum ab inferiore potestate ecclesiastica rite constitutae, *praescriptis* quibuslibet *huius Codicis oppositae, abrogantur* hoc canone, *nisi de particularibus legibus* declaratis *aliud,* nempe: ipsas esse salvas, *expresse* canonum verbis *caveatur* saltem implicite. Quoad particulares leges fuit necesse hoc praescriptum edicere propter Decretalem Urbani VIII [1]: « Licet Romanus Pontifex (qui iura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere). constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat revocare noscatur: quia tamen locorum specialium et personarum singularium... statuta, (cum sunt facti et in facto consistant, potest probabiliter ignorare), ipsis, dum tamen sint rationabilia, per constitutionem a se noviter editam (nisi expresse caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare ». — Imo quod de legibus particularibus praescribit canon, de aliis statutis personarum singularium, intelligendum potiori ratione erit.

Sequuntur de interpretatione canonum Codicis tres normae ob respectum ad praecedentem disciplinam.

2° *Canones qui ius vetus,* vel consuetudinarium vel praecipue scriptum ac huc usque vigens, *ex integro* eisdem vel aequipollentibus verbis quoad omnia *referunt, ex veteris iuris* declarati *auctoritate* in illis prosequente, *atque ideo* scilicet: ut explicati quoad sensus vim *ex receptis* authenticis vel doctrinalibus *apud probatos* ob recognitum communiter valorem *auctores* librorum *interpretationibus,* sunt aestimandi. Quae in casu plene valent ad usum commentarii, ac proinde illi auctores utiliter consuli queunt. Talem ergo congruentiam cum antiquo iure adnotare curabimus, ut oportet. Nec est iussum auctores citare, quamvis laudabiliter hoc fiat, servata moderatione.

3° *Canones qui ex parte tantum cum veteri iure* in num. praec. declarato *congruunt,* eo quod aliquid vel aliquam circumstantiam in eo praescriptam omittunt vel mutant, forsitan aliud vel aliam addentes, *qua congruunt, ex iure antiquo aestimandi sunt,* ut supra,

[1] Cap. 1 de constitutionibus tit. II Lib. I in 6°.

« atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus », sicut explicatum est: *qua discrepant*, non ad praecedentes auctores quantumvis doctos est recurrendum, sed « canones sunt » *ex sua ipsorum sententia diiudicandi* quoad verborum ac sententiae vim, seu ad normam can. 18 et 19, non despecto quoad hos auctorum adiumento probatorum, eorum prasertim qui post Codicem scripserunt.

4° *In dubio*, quod facile accidere potest, ac bene fundato *num aliquod canonum* singulorum etsi partiale *praescriptum* iubens aut vetans *cum veteri iure* in num. 2° declarato *discrepet, a veteri iure non est recedendum*, iuxta illud: « ab eo quod a longo tempore aequum visum est, non est temere recedendum » [1].

De disciplina in Codice omissa sunt duo seq.[s] num.[i], incipiendo ab eo quod est generalius statutum:

5° *Quod ad poenas attinet*, « disciplinae » normis initio canonis declaratis insertas, *quarum in Codice nulla fit mentio*, unde nec aliis verbis expressae fuerunt saltem breviori modo, atque absque ulla limitatione aut discretione, dicitur enim: *spirituales sint vel temporales* iuxta bonum quo privant, *medicinales* ad emendationem *vel, ut vocant, vindicativae* idest; editae praecipue in punitionem delicti, *latae vel ferendae sententiae* quoad modum eas incurrendi, *eae* omissae ut supra, *tanquam abrogatae habeantur* ex huius canonis edicto de voluntate digerentis ac promulgantis Codicem. Sed iuxta explicationem initio datam quoad verbum « disciplinam » sequitur, quemadmodum declaravit Pius IX de censuris latae sententiae per const. « Aplcae. Sedis » [2], poenas praedictas decretas etiam suprema Ecclesiae auctoritate « sive pro interno regimine quorumcumque ordinum et institutorum regularium, necnon quorumcumque collegiorum, congregationum, coetuum locorumque piorum cuiuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere ».

6° *Si qua ex ceteris* (seu non qua poenalibus, nec quibus saltem dubio congruant canones) *disciplinaribus*, quatenus ab his supra declaratis mere morales, quae actus internos dirigunt, distinguuntur, *legibus*, scripto datis in perpetuum, a suprema Ecclesiae potestate vim accipientibus, et non mere particularibus; non enim hae in hoc num.° exprimuntur, nec de his cura fuit digerenti Codicem,

[1] l. 2 D. tit. IV, L. I. — [2] 12 Oct. 1869.

uti ad verbum « disciplinam » declaratum est, illae igitur sic declaratae leges, *quae usque adhuc* idest: « usque ad » Codicis obligationem plenam *viguerunt* qua tales, *nec explicite* nempe: verbis illas forsitan in plures canones dispertitas exprimentibus vel per extensum, vel succinte per initium Const.[s] antiquae, *nec implicite* scilicet: quae deducatur ex unius canonis vel plurium canonum praescripto tanquam necessaria conclusio, vel in tali praescripto praesupponatur certo, vel in eo contineatur, tanquam species in genere, pars in toto, id quod minus in eo quod maius est, *in Codice* etiam ex plurium canonum collatione *contineatur*, *ea* lex sic determinata *vim omnem*, ad Ecclesiam latinam quod attinet, *amisisse* per exclusionem a Codice nunc continente Ecclesiae Latinae totam disciplinam ut supra, *dicenda est*, sic pandita legislatoris voluntate, *nisi* a) *in probatis libris liturgicis* declaratis in can. 2 *reperiatur*, prout ibidem « vim suam retinere » explicatum est, non autem si solum « reperiatur » relata ex aliis fontibus, quin « ritus ac caeremonias publici cultus praescribat », *aut* b) *lex sit iuris divini*, hoc est: a Deo supernaturaliter promulgati, *sive positivi* idest: libera quoque conditi voluntate, *sive naturalis* hoc est: ex hominis natura provenientis, ac ratione cogniti, nam « lex naturalis nihil aliud est quam participatio legis aeternae in rationali creatura » ut ait D. Th. [1]. Haec divisio explicatur ab eod. Angelico Praec. [2]: « ius divinum dicitur quod divinitus promulgatur; et hoc quidem partim est de his quae sunt naturaliter iusta, sed tamen eorum iustitia homines latet; partim de his quae fiunt iusta institutione divina. Unde etiam ius divinum per haec duo (naturale et positivum) distingui potest, sicut et ius humanum. Sunt enim in lege divina quaedam praecepta, quia bona; et prohibita, quia mala; quaedam vero bona, quia praecepta; et mala, quia prohibita ». Quaenam vero sint haec in dubio, constare potest ex authentica Ecclesiae declaratione.

Hic referre oportet ob servandam praxim Decretum S. Congr. S. Officii « circa consilia a vigilantia et iuramentum antimodernisticum ». Videlicet; « inspecto Codicis ipsius can. 6, n. 6, propositum est dubium: *An praescriptiones ad duo supra memorata capita spectantes, post dictum diem festum Pentecostes* (anni 1918), *in vigore manere pergant an non?...* Emmi. ac Rdmi. DD. Cardi-

[1] I-II q. XCI a. 2 c. – [2] II-II q. LVII a. 2 ad 3m.

nales... die 20 Martii 1918, expresse declarandum decreverunt: « Praescriptiones praedictas, ob serpentes in praesenti modernisticos errores latas, natura quidem sua, temporarias esse ac transitorias, ideoque in Codicem Iuris Canonici referri non potuisse; aliunde tamen, cum virus Modernismi diffundi minime cessaverit, eas in pleno suo robore manere debere usquedum hac super re Apostolica Sedes aliter statuerit » [1]. Praescriptiones illae inveniri possunt in Motu pr. « Sacrorum Antistitum » Pii X s. m. 1 Sept. 1910 edito [2].

56. **Significatio verborum in quamplurimis Codicis locis usitatorum.** S. Congr. S. Officii interrogata « 2. Utrum per acta a S. Sede Apostolica profecta designentur tantum acta quae immediate a S. Pontifice proficiscuntur, an etiam quae mediate a SS. RR. Congregationibus proveniunt? respondit [3] ad 2. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam ». Huic concordat ampliori modo inscriptio Commentarii officialis Romanae Curiae. Congruenter igitur his, et quidem rationabiliter, ut patebit, edicit *can.* 7. *Nomine Sedis* metaphorice ob publicam fixam auctoritatem in Ecclesia, *Apostolicae* antonomastice, eo quod solum Petri successores in ea consequuntur omnes potestates illius Apostolatus, *vel Sanctae Sedis* ex usu propter illibatam fidei ac morum doctrinam inde prodeuntem, et ob Spiritus Sancti assistentiam peculiarem, *in hoc Codice veniunt* ex illum digerentis ac promulgantis voluntate *non solum Romanus* ob ecclesiam cuius est *Pontifex, sed etiam,* ut regula generalis cum exceptione duplici: *nisi* a) *ex rei natura* forsan incommunicabili v. gr. can. 100 § 1, b) *vel sermonis contextu* personam ipsius designante *aliud appareat*, nec dubium sufficit, *Congregationes,* de quibus sunt can. 246-257, *Tribunalia* tria in can. 258, 259 designata, *Officia* sex moderata per can. 260-264, *per quae* velut organa diversimode, hoc est: consultatione, decisione, mera exequutione; ac proinde cum supremae auctoritatis communicatione *idem Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae* scilicet « eorum, qui undique, sive studio religionis ac pietatis, sive iuris persequendi, sive gratiae impetrandae, aliisve de causis ad Summum Pontificem confugiunt » [4] *expedire solet,* quamvis nonnulla quandoque propria manu vel vivae vocis oraculo expediat.

[1] Comm. offic. X, 136 — [2] Comm. offic. II. 664, 669. — [3] 13 Ian. 1892, Collect. S. Congr.s de P. F. n. 1777. — [4] Const. « Sapienti consilio » Pii X. 29 Iunii 1904, initio.

57. **Libri distributio in Titulos.** Etiam in Codice retinentur Decreti Gratiani principia [1]: « Omne autem ius legibus et moribus constat. Lex est constitutio scripta. Consuetudo autem est ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex ». Propterea Tituli priores Decretalium, de constitutionibus in alium mutatus, nempe: *Tit. I. De legibus ecclesiasticis,* et *Tit. III. De consuetudine,* in hoc Libro I.° inveniuntur, interiecto *Tit. II. De temporis supputatione,* quia Codicis canones multoties tempus designant servandum in praescripti adimplemento, cuius initium ac finis cognitu necessaria fuerunt per has normas generales determinanda. — Semel constituto iure. oportet illud in praxim deducere interveniente administratione Superiorum ecclesiasticorum, qui, cum sint etiam legislatores, authenticas legum declarationes proferre debent, imo et facultates praeter ius vel dispensationes quoque contra ius concedere. Omnia haec peragunt documentis, de quibus ut in Decretalium titulo etiam inscribitur *Tit. IV. De rescriptis,* huic succedentibus duobus aliis, qui sunt *Tit. V. De privilegiis,* quae facultates tum praeter tum contra ius continent, ac *Tit. VI. De dispensatione,* quae contraria est semper alicui normae obligatoriae. Hic titulus quoad inscriptionem novus est, praecedens autem ex Lib. V Decretalium est huc convenienter translatus.

TITULUS I.

De legibus ecclesiasticis.

CAN. 8. - § 1. Leges instituuntur, cum promulgantur.

§ 2. Lex non praesumitur personalis, sed territorialis, nisi aliud constet.

CAN. 9. - Leges ab Apostolica Sede latae promulgantur per editionem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali,* nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus; et vim suam exserunt tantum expletis tribus mensibus a die qui *Actorum* numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta.

CAN. 10. - Leges respiciunt futura, non praeterita, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur.

CAN. 11. - Irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus aut actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse vel aequivalenter statuitur.

CAN. 12. - Legibus mere ecclesiasticis non tenentur qui baptismum non receperunt, nec baptizati qui sufficienti rationis usu non gaudent, nec qui, licet rationis usum assecuti, septimum aetatis annum nondum expleverunt. nisi aliud iure expresse caveatur.

[1] Dist. I cap. 2, 3, 5.

Can. 13. - § 1. Legibus generalibus tenentur ubique terrarum omnes pro quibus latae sunt.

§ 2. Legibus conditis pro peculiari territorio ii subiiciuntur pro quibus latae sunt quique ibidem domicilium vel quasi-domicilium habent et simul actu commorantur, firmo praescripto can. 14.

Can. 14. - § 1. Peregrini:

1.º Non adstringuntur legibus particularibus sui territorii quandiu ab eo absunt, nisi aut earum transgressio in proprio territorio noceat, aut leges sint personales;

2.º Neque legibus territorii in quo versantur, iis exceptis quae ordini publico consulunt, vel actuum sollemnia determinant;

3.º At legibus generalibus tenentur, etiamsi hae suo in territorio non vigeant, minime vero si in loco in quo versantur non obligent.

§ 2. Vagi obligantur legibus tam generalibus quam particularibus quae vigent in loco in quo versantur.

Can. 15. - Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent; in dubio autem facti potest Ordinarius in eis dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus Romanus Pontifex dispensare solet.

Can. 16. - § 1. Nulla ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium ab eisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur.

§ 2. Ignorantia vel error circa legem aut poenam aut circa factum proprium aut circa factum alienum notorium generatim non praesumitur; circa factum alienum non notorium praesumitur, donec contrarium probetur.

Can. 17. - § 1. Leges authentice interpretatur legislator eiusve successor et is cui potestas interpretandi fuerit ab eisdem commissa.

§ 2. Interpretatio authentica, per modum legis exhibita, eandem vim habet ac lex ipsa; et si verba legis in se certa declaret tantum, promulgatione non eget et valet retrorsum; si legem coarctet vel extendat aut dubiam explicet, non retrotrahitur et debet promulgari.

§ 3. Data autem per modum sententiae iudicialis aut rescripti in re peculiari, vim legis non habet et ligat tantum personas atque afficit res pro quibus data est.

Can. 18. - Leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam; quae si dubia et obscura manserit, ad locos Codicis parallelos, si qui sint, ad legis finem ac circumstantias et ad mentem legislatoris est recurrendum.

Can. 19. - Leges quae poenam statuunt, aut liberum iurium exercitium coarctant, aut exceptionem a lege continent, strictae subsunt interpretationi.

Can. 20. - Si certa de re desit expressum praescriptum legis sive generalis sive particularis, norma sumenda est, nisi agatur de poenis applicandis, a legibus latis in similibus; a generalibus iuris principiis cum aequitate canonica servatis; a stylo et praxi Curiae Romanae; a communi constantique sententia doctorum.

Can. 21. - Leges latae ad praecavendum periculum generale, urgent, etiamsi in casu peculiari periculum non adsit.

Can. 22. - Lex posterior, a competenti auctoritate lata, obrogat priori, si id expresse edicat, aut sit illi directe contraria, aut totam de integro ordinet legis prioris materiam; sed, firmo praescripto can. 6, n. 1, lex generalis nullatenus derogat locorum specialium et personarum singularium statutis, nisi aliud in ipsa expresse caveatur.

Can. 23. - In dubio revocatio legis praeexsistentis non praesumitur, sed leges posteriores ad priores trahendae sunt et his, quantum fieri possit, conciliandae.

Can. 24. - Praecepta, singulis data, eos quibus dantur, ubique urgent, sed iudicialiter urgeri nequeunt et cessant resoluto iure praecipientis, nisi per legitimum documentum aut coram duobus testibus imposita fuerint.

58. **Inscriptionis tituli definitio.** Omnino fundamentalis in Codice est *Titulus I. De legibus ecclesiasticis*, quae sunt « ordinationes rationis ad bonum Ecclesiae commune ab eo, qui iurisdictione

curam ipsius habet, promulgatae ». Talis est definitio legis in genere a D. Thoma data [1] et ecclesiasticae legi accomodata.

Ex hac definitione facile eruuntur qualitates, quibus fulgere debet lex ecclesiastica. Dicitur 1° « ordinatio rationis » non quaecumque, etsi enim « propositio universalis rationis practicae ordinata ad actiones habeat rationem legis », et huiusmodi consilia inveniantur in Codice ad imitationem iuris divini, lex proprie loquendo est « ordinatio rationis » imperativa, eo quod « lex quaedam regula est et mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur. Dicitur enim lex a ligando, quia (in conscientia) obligat ad agendum » [2]. — Dicitur 2° « ad bonum commune Ecclesiae », sive universalis, sive particularis; nam quandocumque leges proprie dictae dantur societatibus minoribus in Ecclesia, hae similitudinem habent cum dioecesibus, sive delimitatione territoriali, sive coadunatione personarum. Item lex est regula communitatis perfectae vel subiectorum quatenus membra illius sunt. Cum ergo « omnis pars ordinetur ad totum, sicut imperfectum ad perfectum, necesse est quod lex proprie respiciat ordinem ad felicitatem communem [3], communitate causae finalis » socialiter prosequendae. « Etenim sicut Iesus Christus in terras venit ut homines " vitam habeant et abundantius habeant „ [4], eodem modo Ecclesia propositum habet, tamquam finem, salutem animarum sempiternam », ut ait Leo XIII in encycl. « Immortale Dei » [5]. « Ideoque lex (ecclesiastica) proditur, ut appetitus noxius sub iuris regula limitetur, per quam genus humanum, ut honeste vivat, alterum non laedat, ius suum unicuique tribuat, informatur » in ordine quoque supernaturali [6]. — Dicitur 3° « ab eo qui iurisdictione curam ipsius habet », nam « ordinare aliquid in bonum commune (declaratum) est gerentis vicem ipsius multitudinis (ob eiusdem curam). Et ideo condere legem (ecclesiasticam) pertinet ad personam publicam (seu iurisdictione praeditam), quae totius multitudinis (scilicet: Ecclesiae ut supra) curam habet [7]; quia et in omnibus aliis ordinare in finem est eius, cuius est proprius ille finis ». — Item « persona privata non potest inducere efficaciter ad virtutem; potest enim solum monere: sed si sua monitio non recipiatur, non

[1] I-II q. XC a. 4 c. — [2] D. Th. loc cit. a. 1 c. — [3] Loc. cit. a. 2 c. — [4] Io. X, 10. — [5] 1 Nov. 1885. — [6] Greg. IX in const. « Rex pacificus » 5 Sept. 1234. — [7] D. Th. loc. cit. a. 3 c.

habet vim coactivam, quam debet habere lex, ad hoc quod efficaciter inducat ad virtutem, ut Philosophus dicit [1]. Hanc autem virtutem coactivam habet persona publica (ut supra), et ideo solius eius est leges facere » [2]. — Demum dicitur 4° « promulgata », quod intelligatur secundarie, quando lex ecclesiastica declarat vel docet ius divinum, « quod divinitus promulgatur » primo per revelationem, vel naturale quoque per rationem; sed primario ab Ecclesia « promulgata » erit lex per ipsam etiam condita. Distinguitur autem promulgatio a notitia per divulgationem sequuta; illa enim est actus ex legislatoris voluntate respicitque directe societatem qua talem, haec nascitur in individuis et aliquando ex privatorum testimonio fide digno.

59. **Differentia legem inter et praeceptum ac statuta** ex dictis patebit. « Statutum » est verbum, quod vi usus habet iuridicam significationem universaliorem vocabulis « praeceptum » ac « lex ecclesiastica ». — Statutum enim idem sonat ac ordinatio quaedam rationis practicae sequenda, praescindendo a natura potestatis ob quam fertur; ideoque applicatur et ss. canonibus, quando dicitur « statuta ss. canonum », et religiosorum regulis, quae sine difficultate appellantur proprie « statuta eorum », et dispositionibus pro interno regimine alicuius capituli vel confraternitatis latis absque iurisdictione vel auctoritate praecipiendi publica aut privata. — « Praeceptum » est quidem ordinatio rationis, datum tamen non a quocumque, sed ab eo tantum qui vere Superior sit illius, cui praeceptum iniungitur. Servandum est igitur in conscientia, ut non peccetur ex inobedientia. Auctoritas vero praecipiendi, qua pollet Superior, non est quoad eius originem determinata, nec quoad finem ob quem est constituta. Potest ergo immediate oriri, aut ex contractu, sicut in societate herili, aut ex natura, velut in parentibus erga filios, aut ex voto, sicut in religiosis, aut ex divina institutione, sicut in Ecclesia. Sic pariter finis auctoritatis praecipiendi potest esse commodum seu utilitas privata, sicut in potestate domestica vel vi voti, forsitan non exclusa utilitate communitatis seu societatis non perfectae, vel e contra ipso iure constituta est illa auctoritas primario in bonum membrorum societatis perfectae commune, quod evenit in qualibet publica auctoritate,

[1] Ethic. lib. X cap. ult. — [2] Ib. ad 2^{m}.

quamvis non excludatur forsitan directa quoque sociorum utilitas propter specialem societatis naturam, quod absdubio asserendum est de iurisdictione ipsius Ecclesiae ob peculiarem ipsius finem, qui est salus animarum in singulis fidelibus promovenda directe, sive illa potestas exerceatur socialiter sive privatim. — « Lex vero ecclesiastica », si loqui proprie velimus, est quidem ordinatio rationis, seu statutum. Item secundum Digestum [1]. « Lex est commune praeceptum », quod a vero Superiore promanat, sed habet sibi omnino proprium, quod procedit ab Ecclesiae iurisdictione seu publica regiminis potestate, ac directe in bonum commune ipsi societati praefixum ab eiusdem Divino Conditore.

60. **Statuta, leges ac praecepta stricto sensu.** Hinc sequitur, quod « statuta » stricto sensu sunt ordinationes, quae a capitulis fiunt vel a confraternitatibus absque ulla superioritate vel iurisdictione, quamvis forsitan ex conventione, vel oeconomica utilitate. Econtra leges ecclesiasticae requirunt *a*) in eas ferente spiritualem iurisdictionem fori externi, et hinc leges non erunt, quae vi voti religiosis congregationum etiam communiter iniungantur. Item *b*) necesse est respiciant directe bonum ipsius Ecclesiae, quod resultat ex plurium actibus, iuxta illud Digesti [2] « Iura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur ». Et cum hoc bonum, utpote Ecclesiae quae semper durat, conservari perpetuo oporteat, lex ecclesiastica *c*) ex natura sua fertur in perpetuum. Imo, ut legitur in Digesto [3]: « Ex his quae forte uno aliquo casu accidere possunt, iura non constituuntur ». « Nam ad ea potius debet aptari ius, quae et frequenter et facile, quam quae perraro eveniunt ». — Quandocumque ergo aliquod horum deficiat requisitum, ordinatio rationis practicae poterit vocari statutum, vel etiam praeceptum, si ex auctoritate quamvis publica iniungatur, sed deficiet plus minusve a propria legis ecclesiasticae natura.

61. **Canonum distinctio**. Leges ecclesiasticae possunt esse *a*) generales, hoc est sine directa restrictione ad territorii limitationem, proindeque a suprema Ecclesiae potestate, *b*) particulares vero pro determinato territorio, sive a suprema sive ab inferiore dentur potestate. Illae tantum in Codice vocantur « canones » proprie. Nam [4] « Canon graece, latine regula nuncupatur » et « Regula dicta est,

[1] Lib. I tit. 3 l. 1. D. — [2] Loc. cit. l. 8. — [3] Lib. I tit. 3 ll. 4 et 5. D. — [4] Dec. Gratiani, Dist. III, cap. 1 et 2.

eo quod recte ducit, nec aliquando aliorsum trahit. Alii dixerunt regulam dictam, vel quod regat, vel quod normam recte vivendi praebeat, quod distortum pravumque corrigat ». Et hoc stabiliter evenit in legibus, quae a Summo Pontifice vel Conciliis Oecumenicis feruntur, propter assistentiam Spiritus Sancti eisdem usque ad consummationem saeculi a Iesu Christo promissam. — Inter « canones », quidam sunt continentes « legem credendi » supernaturaliter veritates sive speculativas, sive practicas, v. gr. can. 108. § 3, can. 218, § 1, et vocantur « canones dogmatici », alii recte dicuntur « canones morales », qui nempe moderantur voluntatem, seu « agendi legem » continent in illius actibus, sive interne consummatis sive ad externum pertingentibus, v. gr. can. 1323, § 1, et can. 901, demum alii proprie sunt « canones disciplinares », qui « legem dant actionum externarum » equidem cum libera voluntate, quae videlicet Ecclesiae iurisdictioni publicae subiiciuntur, et huiusmodi sunt pro maxima Codicis parte, imo canones tam dogmaticos, quam morales rite admisit ille in ordine ad gubernationem Ecclesiae externam pro ipsius Codicis perfectione.

62. **Constitutiones, decreta, decretales.** Rubrica relativi Tituli Decretalium mutata fuit in inscriptionem facilioris intelligentiae « De legibus ecclesiasticis », ac proprie, cum in hoc titulo considerentur etiam leges particulares forsitan a singulari legislatore conditae, dum « Constitutio » vi vocis significat aliquid statuere cum aliis, unde potest applicari, sicut in Decretalium rubrica, Capituli Universitatisque statutis, necnon actibus civilis potestatis. Imo etsi leges Conciliorum ac Synodorum, ut ait Bened. XIV, Constitutiones dici queant in iure canonico, et nomine « Synodalium constitutionum » utatur can. 362, attamen in Gratiani Decreto scriptum est [1]: « Constitutio vel edictum est, quod Rex vel Imperator constituit vel edicit », unde Constitutiones pontificiae vocantur proprie, quas Supremus Pastor sive in Concilio Oecumenico, sive extra illud, consultis S. R. E. Cardinalibus, promulgat. — Aliud verbum in usu, quo leges ecclesiasticae designantur, est « decreta », et quamvis ordinarie huiusmodi sint per SS. Romanas Congregationes edita, in Codice sic appellantur sive leges Oecumenicorum Conciliorum (can. 227) ad exemplum Conc. Trid[1]., sive leges Concilii plenarii et pro-

[1] D. II, cap. 4

vincialis (can. 291, § 2). — Demum documenta, quae vim legum universalium in eorum parte dispositiva consequuta sunt eo quod inserta fuerunt in Greg. IX Compilationem, denominantur Decretales. Aliae denominationes legum ecclesiasticarum v. gr. interdicta, sanctiones, mandata, sunt antiquatae.

Titulus I. De legibus ecclesiasticis —	— promulgandis —	— cum quo effectu		Can. 8
		— quo modo, et vis illarum initium		» 9
	— circa actus —	— futuros vel praeteritos		» 10
		— quandonam reddant eos invalidos		» 11
	— quoad subditos —	— earum mere ecclesiasticarum		» 12
		— legum generalium et particularium		» 13
		— peregrinos et vagos		» 14
	— quoad obligationem —	— in dubio tum iuris tum facti		» 15
		— ob ignorantiam vel errorem		» 16
	— interpretandis —	— authentice ac cum diversa vi		» 17
		— doctrinaliter —	— quaecumque illae sint	» 18
			— iuxta earum diversitatem	» 19
	— supplendis			» 20
	— quo in casu etiam urgent			21
	— revocatis vel non —	— per legem posteriorem		» 22
		— quoad huiusmodi dubium		» 23
	— quoad praeceptorum vim, quae singulis dantur			» 24

63. **Canonum coordinatio**. Supponit Codex in hoc titulo doctrinam in philosophia et Sacra Theologia tradendam de legibus, ac pro suo scopo ea discernit, statuens, quae a legislatoris voluntate pendent in praecidendis Doctorum controversiis. De promulgatione itaque legum dantur can. 8 et 9; obiectum earum ac vim edicunt can. 10 et 11, quinam diversis legibus ecclesiasticis teneantur in can. 12-14 edocetur, de dubio ac ignorantia legum can. 15, 16 tractant, de ipsarum interpretatione normae sunt can. 17-19, quo modo supplenda sit legis deficientia determinatur in can. 20, de

cessatione legum can. 21-23 decernunt, ac de praeceptis ultimus can. 24 datur.

64. **Promulgationis legum effectus.** Dictum Gratiani ad cap. 3 dist. IV adoptat *Can. 8. § 1. Leges* quaecumque, sed iuxta inscriptionem « ecclesiasticae » *instituuntur* scilicet: in suo esse stabili ponuntur, ad legislatorem quod attinet, ita ut « lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis ». *cum promulgantur,* idest: auctoritate legislatoris societati seu Ecclesiae denuntiantur sic, ut in notitiam subditorum venire possint. Ratio ex D. Thoma [1]: « lex imponitur aliis per modum regulae et mensurae. Regula autem et mensura imponitur per hoc quod applicatur his quae regulantur et mensurantur. Unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. Unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc quod lex habeat suam virtutem ». Post hoc, ita Gratianus complet suum dictum, « leges firmantur, cum moribus utentium approbantur ».

Cum ex una parte iurisdictio ecclesiastica in Ecclesiae Pastoribus circumscribatur territorio, ex altera vero leges vi illius datae a personis subditis servari debeant, nonnumquam dubitari poterit an huic vel alteri legi aptanda sit decisio Bonif. VIII [2]: « Statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint. excommunicationis sententia promulgatur: subditi eius furtum extra ipsius dioecesim committentes, minime ligari noscuntur: Cum extra territorium ius dicenti non pareatur impune ». Opportunus igitur fuit § *2. Lex,* ut plurimum particularis, sed quandoque §us applicatur legi generali, ut infra, *non praesumitur,* ac « praesumptio est rei incertae probabilis coniectura » (can. 1825), et praesens est « iuris, quae ab ipsa lege statuitur », ac est tum negativa, quantum ad hoc quod « lex » sit *personalis,* scilicet ut a subditis ubique servanda sit, tum positiva: *sed* « praesumitur » *territorialis* ad normam citatae Decretalis, *nisi aliud* scilicet: personalem esse *constet,* seu « praesumptio haec est « iuris simpliciter » contra quam admittitur probatio tum directa, tum indirecta » (can. 1826).

65. **Canonica legum promulgatio et vacatio.** Pius X in-

[1] I-II q. XC a. 4 c. — [2] Cap. II de constitutionibus tit. II. Lib. I.

quit in sua Const.: « Promulgandi pontificias Constitutiones ac leges non idem semper decursu temporis in Ecclesia catholica fuit modus; a pluribus tamen saeculis consuetudo invaluit, ut earum exemplaria publice proponerentur frequentioribus quibusdam Urbis affixa locis, praesertim ad Vaticanae ac Lateranensis Basilicae valvas. Quae autem Romae, tamquam in christianae reipublicae centro et communi patria fidelium. promulgarentur, ea ubique gentium promulgata censebantur, vimque legis plenissime obtinebant: verum cum promulgandae legis ratio et modus a legislatoris voluntate pendeat, cui integrum est constitutas innovare ac moderari formas, aliasque pro temporum ac locorum opportunitate sufficere; idcirco factum est, ut, anteactis temporibus, non omnes Apostolicae Sedis leges ac Constitutiones, memorata forma, hoc est consuetis Urbis affixae locis promulgarentur. Recentius, sacrarum praesertim Congregationum opera, quibus Romani Pontifices, ad leges iam latas declarandas aut ad novas constituendas, utebantur, id fere in consuetudinem venit, ut acta S. Sedis eiusque decreta, in Officio a secretis a quo edita essent legitima auctoritate vulgata, hoc ipso promulgata haberentur. Publici sic iuris effecta, dubitari quidem nequit, quin acta ipsa rata firmaque essent, tum quod plerumque munita clausulis. contrariis quibusvis derogantibus, tum quod id genus promulgatio esset vel expresse vel tacite approbata a Pontifice Maximo. Huic tamen promulgandi rationi etsi plena vis esset, solemnitas illa deerat, quam par est supremae auctoritatis actis accedere. Ea de causa, complures Episcopi flagitarunt, ut a suprema Ecclesiae auctoritate Commentarium proponeretur, in quo novae promulgarentur ecclesiasticae leges, et Apostolicae Sedis acta vulgarentur.

Harum litterarum vi edixit (Summus Pontifex) ut ineunte anno 1909 Commentarium officiale de Apostolicae Sedis actis ederetur Vaticanis typis »[1].

Propterea dicit *can. 9. Leges,* sive generales sive particulares, et sub qualibet Documenti forma v. gr. « Constitutiones pontificiae, Decreta, aliaque scita » *ab Apostolica Sede* (can. 7) nempe: « tum Romanorum Pontificum tum Sacrarum Congregationum et Officiorum » *promulgantur* illius praescripto constitutionis *per editionem* scilicet: « de mandato Praelati a secretis, aut maioris administri

[1] 29 Sept. 1908. CO. I. 5.

eius Congregationis vel Officii, a quo illa dimanent, inserta et in vulgus edita » *in Actorum* etiam « quae ad communem cognitionem videantur utilia, quantum certe ipsorum natura sinat » *Apostolicae Sedis* ad normam can. 7 *commentario officiali*, qualem praesefert titulum, *nisi in casibus particularibus* singularium legum *alius promulgandi modus* equidem « a Sancta Sede » *fuerit praescriptus*, in quibus « casibus » haberetur exceptio in Constitutione « Promulgandi » expressa. — Novum sequitur in canone praescriptum ad quaestionem Doctorum decidendam, et in administrationis Ecclesiae profectum; nempe: *et* leges iuxta normam promulgatae *vim suam* obligandi promulgatione obtentam *exserunt* ad subditos quod spectat, *tantum expletis tribus mensibus*, qui « sumantur prout sunt in calendario » (can. 34, § 3. 1°) *a die* « ad explendam numerationem computando » (ib. 2°) *qui Actorum numero* in parte superiori primae pag^{ae}. *appositus est*, non a Documenti data. Duplex tamen sequitur exceptio: *nisi* a) *ex natura rei* v. gr. si « authentice declaretur quandonam ius divinum matrimonium impediat vel dirimat » (can. 1038, § 1), « interpretatio authentica, per modum legis exhibita, si legem coarctet vel extendat aut dubiam explicet » (can. 17, § 2), *illico ligent* habita promulgationis notitia, b) *aut in ipsa lege* singulari *brevior vel longior* « tribus mensibus » *vacatio* scilicet: dilatio efficacis obligationis post factam promulgationem, vel tempus elabendum inter promulgationem eiusque adimplendae obligationis initium, *specialiter* pro tali lege *et expresse* idest: explicitis verbis *fuerit statuta* per legislatorem, quin opus sit huius normae derogatione, cum sit iuxta eiusdem declaratam exceptionem.

66. **Legum effectus extensive.** Alia legum divisio est in « praeceptivas aut prohibitivas », prout solummodo iubent aut vetant respective aliquos actus, vel disponunt circa res positivo aut negativo modo, « poenales », quae adnexam ferunt expressam sanctionem poenae adversus earum transgressores, et denique « irritantes aut inhabilitantes » quando actus in contrarium positos reddunt nullius valoris iuridici, non aliter ac si positi non fuissent, et hoc statuunt directe ipsum actum respicientes aut indirecte per inhabilitatem personae iuridice statutam.

De poenalibus legibus iustam rationem afferens, inquit Gre-

gorius [1]: « Rem quae culpa caret, in damnum vocari non convenit. Quoties vero novum quid statuitur, ita solet futuris formam imponere, ut dispendiis praeterita non commendet: ne detrimentum ante prohibitionem possint ignorantes incurrere, quod eos postmodum dignum est vetitos sustinere ». Id ipsum, ac de legibus aliis praefatis intelligens, ait Gregorius IX [2]: « Cum leges et constitutiones futuris certum sit dare formam negotiis, non ad praeterita facta trahi, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur ». Namque lex proprie dicta, praecipiens vel prohibens, imo irritans vel inhabilitans, datur ad modum regulae, qua actus informentur. Utraque igitur supponit esse possibile diverso modo illud de quo fertur. Atqui praeteritum qua tale, est impossibile mutari, quia neque infectum fieri potest amplius illo in tempore, neque alio modo fieri potest quam eo quo factum sit. Ergo iustum omnino est praescriptum iuris antiqui omnino integrum in *can. 10*. *Leges* quaelibet ecclesiasticae, qua tales *respiciunt futura* facienda, sive actiones sint, sive processus, sive contractus, sive res, *non praeterita* iam facta, *nisi nominatim* seu expresse *in eis* legibus singulis *de praeteritis*, prout haec vel « adhuc pendentia negotia sint » extraiudicialia quatenus actu uno non complentur [3], vel sunt « praesentia » quatenus « adhuc per appellationem pendentia » [4] aut propter primae instantiae disceptationem, vel quod eorum actuum praeteritorum effectus iuris sunt a legislatoris auctoritate mutabiles, et haec omnia vel aliqua intelliguntur iuxta tenorem verborum per quae « de praeteritis » *caveatur*.

Explicant hunc canonem per eiusdem applicationem ad sacramenti matrimonii canones, duae sequentes declarationes Commiss. Pont. ad Cod. canones auth. interpretandos [5]: « 6. Vis novi Codicis estne retroactiva in his, quae modificantur circa sponsalia et impedimenta tam impedientia quam dirimentia matrimonium, ita ut quodlibet ius acquisitum vigore sponsalium validorum, nullimode possit reclamari, nisi in quantum novus Codex concedit, et contracta impedimenta modificata a novo Codice, nulla dispensatione indigeant? (Cann. 4, 10). — Resp.: Codici, etiam quoad sponsalia et impedimenta, non esse vim retroactivam; sponsalia autem et ma-

[1] Cap. « Cognoscentes » 2 de constitutionibus tit. II. Lib. I. — [2] Loc. cit. cap. 13 in fine. — [3] Cap. 4 de officio Legati I, 15 in 6°. — [4] Cap. 2 de iudiciis I, 1 in Clem. — [5] 2-3 Iunii 1918. CO. X, 346.

trimonia regi iure vigenti quando contracta sunt vel contrahentur, salvo tamen, quoad actionem ex sponsalibus, can. 1017, § 3.

7. Quid dicendum de matrimoniis, si quae nulla sint ex capite impedimentorum a novo Codice abrogatorum: fiuntne matrimonia illa valida ipsa promulgatione novi Codicis, vel etiam post dictam promulgationem indigent dispensatione, sanatione, etc.? (Cann. 4, 10). Resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ».

67. **Legum effectus intensive.** « Leges positae humanitus vel sunt iustae vel iniustae. Si quidem iustae sint, habent vim obligandi in foro conscientiae a lege aeterna, a qua derivantur, secundum illud [1]: " Per me reges regnant, et legum conditores iusta decernunt "; et sicut Apostolus dicit [2], *omnis potestas* humana *a Deo est*; et ideo *qui potestati resistit* (in his quae ad potestatis ordinem pertinent), *Dei ordinationi resistit*: et secundum hoc efficitur reus quantum ad conscientiam. Dicuntur autem leges iustae, et ex fine, quando scilicet ordinantur ad bonum commune; et ex auctore, quando scilicet lex lata non excedit potestatem ferentis; et ex forma, quando scilicet secundum aequalitatem proportionis imponuntur subditis onera in ordine ad bonum commune ». Quandonam « iniustae leges per contrarietatem ad bonum humanum e contrario praedictis » obligent per accidens in foro conscientiae, et quod « iniustae per contrarietatem ad bonum divinum nullo modo licet observare » potest videri apud probatos theologos, aut apud D. Thomam [3]. — Doctrina de legis obligatione valet, non solum de legibus tantum praeceptivis aut prohibitivis sed de poenalibus, sive absolute, quae nempe supponunt delictum in earum praevaricatore, sive disiunctive, quae ab Auctoribus mere poenales audiunt, quando aliquid facere, omittere vel poenam secus sustinere statuunt: obligatur enim in conscientia ad illud vel ad poenam sustinendam debito modo inflictam. — Demum leges irritantes aut inhabilitantes obligant in conscientia, ne actus sustineatur tanquam validus, neque habeatur tanquam fons emolumentorum et iurium. Imo huiusmodi actus esset in conscientia omittendus ob legis saltem implicitam prohibitionem. Nam pro certo habendum est actum iure canonico irritum forsitan ob personae inhabilitatem nullos effectus etiam iuris

[1] Proverb. VIII, 15. — [2] Rom. XIII, 1. — [3] I-II q. XCVI a. 4 c.

naturalis producere, quamvis lex canonica hos expresse non auferat. Alias sequeretur, quod lex huiusmodi irritans aut inhabilitans, non per accidens ob legislationis humanae deficientiam. sed necessario et semper oppositionem statueret inter forum externum et conscientiae, quinimo per iudicis declarationem obligaret ad hanc oppositionem, quae, utpote animarum sanctificationi contraria, non cadit sub legislativa potestate Ecclesiae.

In iure canonico praecedenti, ut norma generalis vigebat, secus ac in Romano iure, « multa fieri prohibentur, quae, si facta fuerint, obtinent róboris firmitatem » [1], seu canones ut plurimum habent solum praecepti vim aut prohibitionis. Non deerant vero, ut omnibus notum est, canones irritantes atque inhabilitantes, de quibus conflata est reg. iuris 64 in 6°. « Quae contra ius fiunt, debent pro infectis haberi ». Amplitudo ergo huius regulae sortitur terminos per *can. 11. Irritantes aut inhabilitantes* definitae initio commentarii ad praec. can^{m}. *eae tantum leges* « ecclesiasticae » *habendae sunt* secundum expressam Sedis Apostolicae etiam pro futuris voluntatem, *quibus* singulis a) *aut actum* ibi expressum vel adversus canonis praescriptum *esse nullum,* hoc verbo quoad sensum, vel ex eo quod praescripta forma sit ad actus validitatem necessaria, b) *aut inhabilem* idest : facultate iuridica privatam *esse personam,* qua iurium subiectum, *expresse* unum alterumve dicendo *vel aequivalenter* idest : quoad verborum manifestum eundem sensum *statuatur* indubitabili modo ad normam can. 15. — Ad huius declarationem conferunt verba Reiffenstuel [2] : « Irritatio actus alia est *implicita,* alia *explicita.* Et quidem irritatio explicita dicitur, quae fit verbis claris et expressis, ut si lex dicit : " si secus fiat, omni careat robore firmitatis ", cap. Decet, § fin. De immunitate Eccl., in Sext., aut " irritum sit et inane ". Clem. 2, De rebus Eccl. non alienandis. — Irritatio *implicita* est, quae fit per verba aequipollentia, ut fit quando *certa forma praescribitur* actui sive contractui. Nam quia forma dat esse rei, consequenter ea deficiente corruit actus ».

Reg. iuris 35 in 6°. est : « Plus semper in se continet quod est minus », unde potestas irritandi actus in omnibus subditis per leges, quae provenit ob necessitatem efficaciter providendi bono

[1] Cap. 16 de regularibus tit. XXXI, Lib. III. — [2] Tit. II, de Constitutionibus n. 243.

communi societatis, extenditur quoque ad actuum irritationem pro singulis subditis. Hanc potestatem exercet legislator, quando iubet vel saltem permittit, actus contra canonem vel aliam legem positos rescindi posse seu annullari, personam inhabilem fieri aut declarandam esse. His in casibus actus illi vel ab huiusmodi persona sunt validi, usquequo interveniente Ordinario vel iudice ad canonis normam, lex illa iubens vel permittens effectum sortiatur, secundum illud Innoc. III [1]: « Cum multa per patientiam tolerentur, quae si deducta fuerint in iudicium, exigente iustitia non debeant tolerari ». — Sed ob regulam citatam sequitur canonem 11 aptandum esse quoque legibus circa actus rescindibiles vel circa inhabilitandas personas, prouti hae leges sub irritantibus aut inhabilitantibus implicite continentur.

68. **Quinam in genere subsunt Ecclesiae legibus,** eruendum est partim ex iure divino, partim ex humani legislatoris voluntate. Ex illo iure ita fundata est Ecclesia, ut eiusdem ingressus pateat volentibus baptismum recipere, quod sacramentum ianua est huius domus Dei: eis vero qui nullo modo receperunt baptisma vel non valide, aptanda sunt Apostoli verba: « Quid mihi de iis qui foris sunt iudicare? » [2] idest: ad me non attinet. Cum vero iudicium exerceri possit in ea societate, quae leges fert, sequitur Ecclesiam non gaudere legislativa potestate in eos, qui extra eam inveniuntur. Quod asseritur etiam ab Innoc. III in cap. « Gaudemus » 8 de divortiis (IV, 19): « qui (pagani) constitutionibus canonicis non arctantur (quid enim ad nos, secundum Apostolum eundem, de his, quae foris sunt, iudicare?) ». Idque de catechumenis adhuc valet. — Propterea sic incipit loquens negative *can. 12. Legibus* quibuslibet *mere ecclesiasticis*, idest: in quantum obligandi vim ex sola ecclesiastica potestate derivant directe, aliter enim est asserendum de obligatione, quae ex iure altiori dimanat iuxta distinctionem canonum sub inscriptione positam, *non tenentur* obligati *qui* a) *baptismum* de facto aut valide *non receperunt;* quoad ius vero divinum positivum cum sit a Deo pro omnibus promulgatum, noscentes sufficienter illud obligantur, propter quod sequens aptatur clausula non minus iuri divino quam legibus ecclesiasticis, quibus *nec* valide *baptizati* « tenentur » *qui sufficienti rationis usu* ad

[1] Cap « Cum iam dudum » 18 de praebendis et dignitatibus, tit. V, Lib. III. — [2] I ad Corinth. V, 12.

earum habendam cognitionem *non gaudent,* cuiuslibet sint aetatis, et hoc ex natura illarum legum. Hi enim nequeunt praeceptum positivum percipere, nec eis est insitum a natura. — Ius autem naturale eis est inditum cum mente, iuxta illud: « signatum est super nos lumen vultus tui, Domine (Ps. IV, 6), quasi lumen rationis naturalis, quo discernimus quid sit bonum et quid malum, quod pertinet ad naturalem legem, nihil aliud sit quam impressio luminis divini in nobis » [1]; hinc posito rationis usu homines quilibet ius illud, prout norunt, servare obligantur. — De legibus autem ecclesiasticis sequens Codex doctrinam auctorum communem, sic regulariter statuit: *nec* illis « tenentur » *qui, licet rationis usum assecuti*, ac posito quod eas noscerent, *septimum aetatis annum* ad normam can. 34, § 3, 1°. 3°. *nondum expleverunt*, videlicet: « expleto ultimo die eiusdem numeri » ac mensis, in quibus nativitas accidit. Consideravit igitur canon quandonam usus rationis frequentius consequatur, sed exceptionem adiecit: *nisi aliud iure* scripto quoad unam vel plures leges *expresse caveatur;* uti solet fieri de iuris divini determinationibus.

Positivus canonis sensus est: cuiuslibet legis ecclesiasticae qua talis subiectum est persona *a*) valide baptizata, *b*) usum rationis assecuta, *c*) post septimum aetatis annum, quod valet de ss. canonibus ac de legibus particularibus. Ultima conditio pro quibusdam legibus non est necessaria, nempe: quando sic expressit competens legislator. Ceteroquin tres illae conditiones non semper sufficiunt.

69. **Quinam diversis legibus tenentur.** Cum iurisdictio Ecclesiae utpote catholicae nullis coarctetur territorii limitibus, ss. canones vere universales obligant baptizatos ubique terrarum degentes. Sic legimus in cap. 1 « de constitutionibus » (I, 2): « Canonum statuta custodiantur ab omnibus. Et nemo in actionibus vel iudiciis ecclesiasticis suo sensu, sed eorum auctoritate ducatur », et in Conc. Trid. actis [2] invenimus scriptum: « sciant universi, sacratissimos canones exacte ab omnibus, et quoad eius fieri poterit, indistincte observandos ». Accuratius loquitur *can. 13, § 1. Legibus generalibus*, (ut sunt quamplures Codicis canones), videlicet vel conditae absque circumscriptione territorii, proindeque latae a Romano Pon-

[1] D. Th. I-II, q. XCI, a. 2 c. — [2] Sess. XXV cap. 18 de ref.

tifice, a Concilio Oecumenico, vel ab illis SS. Romanis Congregationibus quibus, « pro suae competentiae negotiis, nulli sint constituti territorii limites », ut explicatum est in Commentario textus ante can. 251, vel quae sunt leges personales, *tenentur*, considerata illarum conditione, *ubique terrarum* qualitercumque degant *omnes* indistincte inter valide baptizatos ex can. 12, *pro quibus* iuxta illarum tenorem *latae sunt* singulae.

Quandoque enim lex utitur verbo « omnes fideles » v. gr. can. 119, « cuivis fidelis » ut in can. 905, « nemini » ut incipit can. 857, ac tunc, nisi per canonis verba, vel alterius canonis praescripto restringendus sit legis sensus, est lata lex pro illis qui « septimum aetatis annum expleverunt » (can. 12); quandoque canon v. gr. 859, § 1, 906, addit verbis « omnis utriusque sexus fidelis » alia « postquam ad usum rationis pervenerit », ac tunc lex amplior est, quia est lata pro his quoque, qui « septimum aetatis annum nondum expleverunt »; demum quandoque canon exprimit « coniuges » v. gr. 1128 « coniux innocens » v. gr. 1130, « parentes » v. gr. 1113, « parochus » v. gr. 470, « Ordinarius loci » can. 472, « Episcopi residentiales » v. gr. 334, « Cardinales » v. gr. 238, etc., ac singuli sub illa denominatione expressi, ac forsitan non omnes ob restrictiva subsequentia verba, illis singulis canonibus « tenentur ».

Hinc patet quasdam interpretationis regulas vigere in hoc canone implicitas. Prima sit brochardica seu doctrinalis iuri antiquo innixa et in eo quoad sensum generalem contenta: « Verba generalia generaliter i. e. sine distinctione sunt intelligenda, nisi propter aliam legem distinguatur ». Continetur in cap. « Quia circa » 22 « de privilegiis » (V, 33), additurque ibidem ratio: « cum nihil exceperit, et potuerit excepisse ». Quoad exceptionem adest reg. 34. Iuris in 6°: « Generi per speciem derogatur », prout v. gr. lex generaliter loquens limitatur per aliam specialiter loquentem, vel una lex distinguit limitando aliam indistincte statuentem, ut fit in cap. « Statutum » 23 de electione (I, 6) in 6°. — Secunda sit: « indefinita loquutio aequipollet universali ». Est communis, et fundatur sicut praecedens. Intelligenda vero, quando subest eadem ratio pro omnibus individuis sub indefinita locutione comprehensis. Et differentia recolenda inter loquutionem universalem cum particula *omnis* et indefinitam loquutionem est, quod illa comprehen-

dit singularia vi vocabuli, nisi motivum adsit interpretationem huiusmodi restringendi, indefinita vero loquutio est universalis non vi vocis, sed ex rationabili benignaque interpretatione.

§ 2. *Legibus conditis*, sive ab inferiori sive a suprema Ecclesiae potestate, *pro peculiari territorio*, cuiuslibet amplitudinis illud sit, exclusis ergo personalibus legibus, *ii subiiciuntur* inter valide baptizatos ad normam can. 12, *a*) *pro quibus latae sunt* iuxta declarationem huius clausulae in praec. §°, *b*) *quique ibidem* intra territorii praefati limites *domicilium vel quasi domicilium* sive « paroeciale » sive « dioecesanum » (can. 92, § 3) *habent*, idest: acquisierunt ad normam can. 92, §§. 1, 2, vel « necessario retinent » (can. 93, § 1) atque necdum amiserunt ad normam can. 95, *c*) *et simul* tempore urgentis legis *actu commorantur*, etiam brevi tempore, « ibidem » ut supra, *firmo* uti exceptione huius §[i] *praescripto can. 14* statim exponendo de peregrinis obligatis, vel absque tertia conditione (§ 1, n. 1°) vel absque secunda (§ 1, 2°), et de vagis obligatis quamvis secunda desit conditio (ib. § 2).

70. **Utrum legislatores ecclesiastici subiiciantur legibus a se indistincte latis, et quomodo.** Si potestas Ecclesiae legislativa exercetur a collegio quodam, singula huius membra, utpote vere subditi integro collegio, obligantur legibus ab ipso latis sine distinctione, aut omisso verbo quod eos comprehendat, dum excipiatur unus Romanus Pontifex in Concilio Oecumenico; ipse enim, cum eandem habeat potestatem ac ipsum Concilium, legibus conciliaribus non est subiectus magis quam propriis Constitutionibus. — Si Supremus Pastor aliique singulares legislatores v. gr. Episcopi leges promulgant pro omnibus, et quoad huiusmodi leges a suis praedecessoribus, nemo sibiipsi inferre vim potest, sed ii subduntur legibus propria voluntate servandis, quoad earum praeceptum aut vetitum. Teneri ergo sic ex levi saltem obligatione ad servandas praedictas leges etiam a suis praedecessoribus latas, rationabiliter respondetur cum D. Thoma [1] eo quod « Iurisperitus (Ulpianus) dicit [2] « princeps solutus est a legibus » quantum ad vim coactivam legis, nullus enim proprie cogitur a seipso; lex autem non habet vim coactivam nisi ex principis (seu legislatoris) potestate. Sic igitur princeps dicitur esse solutus a lege, quia nullus

[1] 1-11 q. XCVI ar. 5 ad 3m. — [2] Lib. 1 ff. tit. 3 de legibus et senatuscons.

in ipsum potest iudicium condemnationis ferre, si contra legem agat (« Prima Sedes a nemine iudicatur » Can. 1556). Sed quantum ad vim directivam legis princeps (et legislator ecclesiasticus) subditur legi propria voluntate, secundum quod scriptum est in Decretalibus: [1] « Quod quisque iuris in alterum statuit, ipse eodem iure uti debet ». Et Sapientis dicit auctoritas: « Patere legem, quam tu ipse tuleris ». Theodosius et Valentinianus impp. Volusiano Praefecto scribunt: [2] « Digna vox est maiestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri; adeo de auctoritate iuris nostra pendet auctoritas. Et revera maius imperio est subiicere legibus principatum ». Improperantur etiam a Domino ii *qui dicunt, et non faciunt,* et qui *aliis onera gravia imponunt et ipsi nec digito volunt ea movere,* ut dicitur (Matth. XXIII). Unde quantum ad Dei iudicium princeps (ac ecclesiasticus legislator) non est solutus a lege quantum ad vim directivam eius, sed debet voluntarius, non coactus legem implere. — Est etiam princeps (seu ecclesiasticus legislator) supra legem, inquantum, si expediens fuerit, potest legem mutare, et in ea dispensare pro loco et tempore » ad normam can. 81, 82.

De cetero huius modi doctrinae concordat Gelasius Papa aiens in epistola ad Episcopos Dardaniae [3]: « Confidimus, quod nullus iam veraciter Christianus ignoret, uniuscuiusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiae probavit assensus, nullam magis exsequi sedem prae ceteris oportere, quam primam: quae et unamquamque synodum sua auctoritate confirmat, et continuata moderatione custodit ». — Citatos canones ac iuris principia putamus esse implicite in can. 13 contenta sub illis verbis « omnes pro quibus latae sunt » intelligendis « secundum propriam verborum significationem » (can. 18), pro legibus initio determinatis, atque ad normam can. 13, 14 excludentem quarumdam earum legum observantiam.

71. **Quid iuris de peregrinorum et vagorum subiectione legibus.** Ex principiis in can. 13 admissis facile deducuntur per logicam illationem, quamvis opposita illis videantur, praescripta *can 14. § 1. Peregrini,* nempe: qui ad tempus infra maiorem anni partem. aut obiter et quasi praetereuntes pro aliquo negotio vel

[1] Cap. 6 de constitutionibus tit. II Lib. I. — [2] Lib. IV. C. De legibus et constitut. — [3] Cap. 1 caus. XXV, q. I.

commodo « versantur extra domicilium et quasi-domicilium quod adhuc retinent » (can. 91):

1°. *Non adstringuntur* obligationis conscientiae vinculo *legibus particularibus sui territorii,* scilicet: « conditis pro territorio » (can. 13, § 2) domicilii et quasi-domicilii eorum, *quamdiu ab eo absunt,* idest: ab egressu e limitibus territorii ubi illae vigent, eo quod « ibidem actu non commorantur » (can. 13 § 2) iuxta decisionem Bonif. VIII [1] ampliantis principium: « Extra territorium ius dicenti non paretur impune ». — Duae sequuntur exceptiones, videlicet: *nisi a*) *earum* « particularium legum » *transgressio* tempore absentiae patrata sit vere talis, ut *in proprio territorio noceat,* tunc enim ex effectu putatur ille moraliter praesens in loco, *b*) *aut leges sint personales,* quia generalium legum naturam induunt, prout in can. 13 § 1 declaratum est.

2° *Neque* « adstringuntur » ut in n.° 1° *legibus* equidem « particularibus », nam dicitur: *territorii in quo versantur* « peregrini », seu absque quasi-domicilio, propter defectum secundae conditionis can. 13, § 2, congruenter iuri praecedenti [2] seu Decretali Clem^s. III: « A nobis fuit ex parte tua quaesitum, utrum si quis ita pronuntiaverit: Quisquis furtum fecerit, excommunicatus sit, haec generalis clausula ad ipsius excommunicatoris subditos referatur, an generaliter extendatur ad omnes, qui non sunt de iurisdictione illius? Ad quod dicimus, quod hac sententia non nisi subditi obligantur; nisi forte plus contulerit maior et largior auctoritas delegantis ». Ex iure enim Codicis « sive per domicilium, sive per quasidomicilium suum quisque... Ordinarium sortitur » (can. 94, § 1). — Etiam hic duae subnectuntur limitationes: iis supradictis « legibus » *exceptis*, nempe: his « adstringuntur peregrini », *quae* a) *ordini publico consulunt,* sive per iusti determinationem v. gr. quoad taxas, sive propter scandalum, quod ex transgressione orietur, sive illud constet iudicio legislatoris in lege expresso aut consuetudine, *b*) *vel actuum* in iudicio vel extra illud legitimorum *sollemnia* vulgo formalitates *determinant,* iuxta principium: « Locus regit actum ». Hae quidem exceptiones iustae sub principiis can.^s 13 non veniunt.

3° *At legibus generalibus* declaratis in can. 13, § 1, equidem

[1] Cap. 2 de constitutionibus tit. II, Lib. I in 6°. — [2] Cap. 21 de sent. excommunicationis tit. XXXIX Lib. V.

« mere ecclesiasticis » ob ea quae sequuntur, *tenentur*, prout in cit.° §° fuit edictum, sed hoc in loco iteratur utiliter admonitio: *a*) *etiamsi hae* « generales » iuxta earum promulgationem *suo in territorio* domicilii et quasi domicilii *non vigeant*, ob exemptionem tum in lege positam tum circumstantiarum territorii, propter indultum, aut legitimam consuetudinem in contrarium, *b*) *minime vero* praefatis « legibus » tenentur, *si in loco in quo versantur* tanquam « peregrini » *non obligent* una ex causis, ut supra. Breviter post declarationem: « Peregrini legibus generalibus tenentur solummodo, quando vigent in loco in quo versantur ». — Quoad modum has leges servandi, qui sit diversus ex legibus vel usibus particularibus, sequitur ex huius canonis praescriptis validas esse normas, quae sic exprimuntur de lege Concilii Quebecensis quoad diversas regionis Canadensis dioeceses. S. Congr. Consistorialis ita declaravit [1]: « 2. Clericum a propria dioecesi in aliam migrantem posse ibi vestem dioecesis suae retinere, quamvis diversam ab ea quae in loco est praescripta, dummodo sit una ex duabus a Patribus Quebecensibus probata: idque usquedum domicilium vel quasi-domicilium ibidem non ineat. — 3. Sicut in ieiunii et abstinentiae lege aliisque similibus fas est peregrinis loci usum sequi, ita pariter salvam esse cuilibet clerico potestatem se conformandi usibus loci ad quem transmigrat, quin ab Ordinario suo hac una de causa reprehendi vel puniri valeat ».

§ 2. *Vagi*, nempe: qui « nullibi domicilium habeant, vel quasi domicilium » (can. 91), hac de causa *obligantur legibus*, quae pro ipsis qua personis in Ecclesia « latae sunt », *a*) *tam generalibus* ob can. 13, § 1, *quam b*) *particularibus, quae vigent* seu actuali obligandi vi pollent *in loco in quo versantur*. Etenim quoad generales, pariter ac peregrini « minime tenentur, si in loco praefato non obligent », idest: gaudent locali excusatione; quoad particulares autem obligantur congruenter normae can. 13, § 2, eo quod secunda conditio ibi requisita domicilii vel quasi-domicilii, faciens subditum Ordinarii illius territorii congruenter can.ⁱ 94 §° 1ᵃᵉ, verificatur aequipollenter in vago dum in loco « actu commoratur » ad normam cit.ⁱ can.ⁱ § 2.

72. **Diversi casus legis dubiae.** Ad sanam interpretatio-

[1] 31 Mart. 1916, CO. VIII, 150.

nem seq.[s] canonis praemittere quaedam opus est. Dubium est « mentis suspensio assensus alterutri propositionum contradictoriarum tanquam verae ». Si propositiones sint de re speculativa, dubium est speculativum, si de actionibus hominum est proprie dubium practicum, quod ultimum potest respicere actionum moralitatem, ac erit proprie dubium morale, vel artes, industriam, commercium, etc. vel demum leges, quibus regitur societas, et tunc vocabitur proprie dubium iuridicum. — Hoc ultimum potest contingere vel ex defectu rationum pro et contra, vocaturque negativum; vel ob rationes quae militantes pro et contra mentis statum illum causant, et est dubium positivum. — Denique hae rationes quandoque fundantur in ipsa lege, quoad promulgationem, quoad sensum illius in se vel collatae cum aliis legibus iurisque principiis, quoad eiusdem revocationem, ac erit dubium iuris; quandoque autem ex humanorum actuum circumstantiis motiva dubitandi oriuntur, ac vocatur dubium facti. — Dubium designat quid subiectivum; sed si contingat secundum mentem instructam iuris ac facti cognitione debita, erit dubium obiectivum, quia se habebit ex parte ipsius propositionis; si pendeat ex defectu debitae cognitionis, erit tantum subiectivum, quod propterea excuti debet.

De morali dubio regulas edocere ad Theologiam moralem spectat. Manente igitur quaestione ac systematum diversitate quoad eius in praxi solutionem, idemque dicatur de lege divina, quatenus hominum mores dirigit; sic statuit pro legibus, quae ab Ecclesiae auctoritate sola vim habent, *can. 15. Leges* « ecclesiasticae » propter inscriptionem Tituli ac secundum illius explicationem, ast proprie tales, videlicet: vere promulgatae (tunc enim « instituuntur » can. 8, § 1), indeque notae certo communitati seu obiective, ac nondum certo revocatae, nam « in dubio circa revocationem legis » adest can. 23. Hinc iam consequitur non extendi canonem ad leges iuris divini, quia earum dubium vel recidit in ipsarum dubiam promulgationem, atque circa canones dogmaticos sequenda norma can. 1323, § 3, vel aliter ob dubium essent servandae propter certum quod incurreretur periculum, eo magis quod addit canon: *etiam irritantes* contrarium actum quoad ipsius effectus ex respectivo iure transgresso provenientes, *et inhabilitantes* personas in eodem iure ad efficaces actus. — « Leges » igitur declaratae *a*) *in dubio iuris* de verborum, clausularum significatione, vel

ad quosdam actus legis extensione, *non urgent* ad earum in dubia parte observationem, nec quoad vim earum irritandi vel inhabilitandi, quam sic limitat legislatoris voluntas iuxta reg. iuris 57 in 6°: « Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda », ut vitentur incommoda ex incertitudine quoad actuum validitatem oriunda in Ecclesia: *b*) *in dubio autem* quocumque *facti* redundantis in dubiam legis obligationem, non iam dicitur « declarare » quid faciendum, quod potest Summus Pontifex circa ius divinum, sicut dicitur v. gr. in can. 1038, § 1: « Supremae tantum auctoritatis ecclesiasticae est authentice declarare quandonam ius divinum matrimonium impediat vel dirimat », sed in praefato sub *b*) dubio *potest Ordinarius*, etiam « pro suis subditis Superior maior in religionibus clericalibus exemptis » ad normam can. 198, § 1, *in eis* legibus etiam irritantibus et inhabilitantibus, pro casu cum « dubio facti » *dispensare* proprie, idest: « legem tunc relaxare » (can. 80) ad cautelam, num ista comprehendat casum, sub conditione limitante: *dummodo agatur de legibus in quibus Romanus Pontifex,* non solum potest, ut supponitur secundum explicationem, sed per se aut per SS. Congregationes Officiave *dispensare solet* iuxta stylum Curiae Romanae vel fortassis morem ipsius S. Pontificis tempore dispensationis elargiendae. Atque huiusmodi « potestas iurisdictionis est ordinaria ». Animadvertatur vero quod dicemus ad can. 80 et 199.

73. **De ignorantia et errore in ordine ad leges.** Sicut in can. praec. servata est implicite regula iuris 57 in 6° ad illius normam, ita sensus regulae iuris 13 in 6°: « Ignorantia facti, non iuris excusat » exponitur partialiter in *can. 16,* qui est circa leges certas, quia de dubiis qualitercumque tractatum est in can. praec.

Ignorantia proprie dicta est: « carentia cognitionis in subiecto de aliqua re, quam potest ac debet scire ». Si eam ignorantiam excutere nequeat physice hic et nunc vel moraliter, vocatur *invincibilis*; si adsit possibilitas eam discutiendi mediis in subiecti manu positis, dicitur *vincibilis*, quae propterea est *culpabilis* magis, vel minus, pro maiori vel minori negligentia discutiendi eam. *Negligentia gravis* potest accidere, quia subiectum incumbit occupationibus graviter impedientibus debitum studium, atque ignorantia est *gravis* simpliciter; quod si negligit studium ex incuria, pigritia, dicitur proprie *ignorantia crassa* et *supina*, quae tamen inter Doc-

tores designat notabiliorem inter graves studii negligentiam, demum *affectata* proprie vocatur volita directe ignorantia, fortassis ut sine remorsu transgrediatur legem vel propter voluntatem ipsius transgressionis. Denique ignorantia distingui potest secundum diversas res de quibus contingit.

His praesuppositis statuit § *1. Nulla* ex dictis, etiam invincibilis *ignorantia* proprie dicta, quia omnes in Ecclesia pro diverso statu, gradu et officio in conscientia debent scire leges pro eisdem latas, *legum* ecclesiasticarum, sed praecise *irritantium aut inhabilitantium*, quatenus hanc irritandi vel inhabilitandi vim continent ad can. 11 declaratam, vel etiam omnino, *ab eisdem* sustinendis cum effectu *excusat*, ita ut actus contra eas positi nullius effectus sint ex iure, sic proveniendo unice ex legislatoris voluntate ob necessitatem boni communis, quocirca subsequitur: *nisi aliud*, scilicet: aliquam excusare ignorantiam, *expresse* verbis alicuius canonis *dicatur*, quod asseri nequit de legibus, quae ultra ecclesiasticam auctoritatem sunt constitutae. Legum poenalium ignorantia circa ipsas poenas plene inspicitur in can. 2229. De ignorantia vero quarumcumque legum ecclesiasticarum circa earum praescriptum, nihil fuit iure canonico addendum iis, quae natura constant: cum lex ignota servari nequeat.

Cum autem ignorantia diversimode influat in obligationum adimplementum, et influxus ille secum effectus inducat coram Ecclesia, determinandus fuit modus (cum illa per se intra hominem lateat) rationabiliter coniecturandi eam. De hoc invenimus normam generalem sub § *2. Ignorantia* proprie quaelibet, *vel error,* qui proprie est « iudicium falsum de aliqua re ». et in hoc canone: *a*) *circa legem*, quae subiectum ignorans respiciat, ac proinde ab eodem scienda, *b*) *aut poenam*, legi non ignorandae, ut supra, et transgressae adnexam, vel legitime cum eiusdem intimatione inflictam; et quia iuxta reg. iuris 45 in 6°: « Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit », additur: *c*) *aut circa factum proprium* eo quod a seipso positum, vel quod ipsius notabiliter interest, *d*) *aut circa factum alienum*, etiam quod nostrum non intersit, sed *notorium*, quod ex loco parallelo can. 2197, 2° et 3° potest esse vel « notorium notorietate iuris, post sententiam iudicis competentis quae in rem iudicatam transierit aut post confessionem in iudicio factam ad normam can. 1750 », vel « notorietate facti, si publice notum sit et in talibus adiunctis

positum, ut nulla tergiversatione celari possit ». Quaelibet huiusmodi « ignorantia vel error » *generatim* ob adductas rationes *non praesumitur;* « nam praesumptio est rei incertae probabilis coniectura » (can. 1825, § 1). E converso « ignorantia vel error » *circa factum alienum*, seu non ab ignorante seu errante positum, atque *non notorium* nec notorietate iuris nec notorietate facti supra declaratis, iuxta reg. iuris 47: « *praesumitur* ignorantia, ubi scientia non probatur », seu ut ait canon: *donec contrarium probetur.* Hinc praesumptio « est iuris » utpote « quae ab ipsa lege statuitur » (can. 1825, § 1), atque « iuris simpliciter » eo quod « admittitur probatio tum directa tum indirecta » contra illam (can. 1826).

74. **Interpretatio legum authentica.** — In (Cap. 2 dist. IV) Gratiani Decreto inter legis qualitates refertur: « Erit autem lex... manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat ». Non autem id perfecte consequitur saltem quoad plures subditos, hinc necessitas interpretationis, ne lex efficaci utilitate frustretur, praesertim ad normam can. 15, si certa non sit. — Interpretatio definitur communiter « manifestatio sensus praescripti ab initio in lege contenti, sed aliquatenus obscuri vel ambigui ». Diximus « aliquatenus » congruenter cap. Exiit 3 de verborum significatione (V, 12) in 6°: « Super ipsa constitutione glossae non fiant (nisi forsan per quas verbum, vel verbi sensus, seu constructio, vel ipsa constructio quasi grammaticaliter ad litteram vel intelligibilius exponatur) », quamvis huiusmodi Glossae ab aliquibus verbo declarationum significentur. Si consideretur multiplex interpretationis auctor, haec vocatur *authentica*, quae prodit a persona ad hoc publica auctoritate praedita, *doctrinalis*, « quae a Doctoribus in iure canonico vel saltem a personis in hoc peritis docetur secundum interpretationis sanae regulas saltem fundatas in iure ». Huiusmodi interpretatio valorem sortitur intrinsecum secundum rationum pondus maius vel minus, cui accedere potest meritum ex auctoritate, quam interpres gaudet ob doctrinam iuris. Demum interpretatio vocatur *usualis* « quae ex consuetudine legem determinato sensu servantium infertur » et cuius vis pendet ab statu illius consuetudinis. De hac loquemur iterum in Tit. de consuetudine. De aliis duabus per extensum in hoc canone et seqq.

§ *1. Leges* iuxta inscriptionem qua « ecclesiasticas » *authentice*, velut signis veritatis muniendo, atque consequenter cum ne-

cessitate iuris sequendi *interpretatur,* seu earum indubium sensum intrinsece idest: praecisione facta ponderis rationum, ob propriam auctoritatem tradit a) *legislator*, « ut unde ius prodiit, interpretatio quoque procedat » [1], ut inquit Innoc. III doctoribus decretorum Bonon. seu « unde constitutionis revocatoriae processit editio. interpretatio eius quoque procedat », sicut ait Bonif. VIII, [2] non exclusis Conciliorum Oecumenicorum decretis iuxta illud Paschalis Panormitano Archiep°: « cum omnia Concilia per Romanae Ecclesiae auctoritatem et facta sint, et robur acceperint ». Ratio liquet: nullus enim potest melius quam ipse propriam cognoscere mentem ac voluntatem lege promulgatam. Item ratione potestatis b) *eiusve successor* iuxta reg. Iuris 46 in 6°: « Is, qui in ius succedit alterius, eo iure quo ille, uti debebit », atque ut ait Innoc. III: « qui (Alexander III) successoribus suis, nullum potuit in hac parte (iurisdictionis circa leges) praeiudicium generare, pari post eum, imo eadem potestate functuris, cum non habeat imperium par in parem ». Sequitur c) *et is cui* (personae vel coetui personarum) *potestas interpretandi*, quae iurisdictioni circa leges colligata est, *fuerit ab eisdem* uno aut altero *commissa* iure vel actu delegandi habitualiter vel pro aliqua lege; eo magis quod talis persona vel coetus poterit ob iuris peritiam veriorem dare interpretationem, idest: iuri canonico iam constituto aptiorem.

Commissiones huiusmodi factae sunt: I° quoad Codicis canones Motu proprio « Cum iuris canonici » Bened. PP. XV [3] « Consilium seu *Commissionem*, uti vocant, constituit, cui uni ius erit Codicis canones authentice interpretandi »; II° quoad « omnes liturgicas leges quae vim suam retinent, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur » (can. 2), quocirca fortassis cum limitatione de huiusmodi legibus sic correctis, viget Dec. S. R. C. in Romana [4]: « 1. Quum ex declaratione S. R. C. lata die 23 Maii 1846 in una Ord. Praedicatorum, sancitum fuerit Decreta et Responsiones ab ipsa emanata, dummodo scripto formiter edita fuerint, eamdem auctoritatem habere ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent; quaeritur: An per verba *dummodo formiter scripto edita fuerint*, sufficiat quod sint subscripta a S. R. C. Praefecto et Secretario, ac

[1] Cap. 31 de sententia excommunicationis, tit. XXXIX Lib. V — [2] Cap. 8 de concessione prebendae, tit. VII Lib. III in 6°. — [3] 15 Sept. 1917. CO. Vol. IX, Pars II, pag. 529. — [4] 8 Apr. 1854, n. 3023.

eiusdem sigillo munita; vel potius requiratur, ut sint vel Romae vel ab Episcopis in suis Dioecesibus promulgata? 2. Et quatenus affirm. ad 1m partem, neg. ad 2m: An tamquam *formiter edita* habenda sint Decreta et Responsiones in authentica Collectione insertae?», qualis est etiam Commentarium officiale. — « Et S. Rit. C... respondere rata est: Ad 1. affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam. Ad 2. Affirmative; uti patet ex adiecta Declaratione». III° quoad Decreta, Instructiones, etc. quae generales ordinationes continent, sive in exequutionem ss. canonum, sive in maiorem determinationem eorum, adhuc manent, quin Motu proprio citato revocatae sint in hac parte, dubiorum solutiones, quas edicere censuerunt Emi Patres S. Congrs. Consist.s [1]: « 2.° an facultas authentice interpretandi Conc. Trid. decreta aliasque leges ecclesiasticas vi const. *Sapienti Consilio* sit singulis Sacris Congregationibus commissa secundum propriam cuiusque competentiam, salva Rom. Pontificis approbatione; 3.° an eadem potestas competat sacris tribunalibus Romanae Rotae et Signaturae Apostolicae. Ad III negative; ad II affirmative».

Interpretationes secundum earum formam possunt esse *a*) generales ac directe de ipso canone, decreto, lege ecclesiastica, etiamsi dentur per rescriptum ad alicuius quaesitum vel consultationem, atque *b*) *particulares* tum in casu peculiari, tum implicitae in sententia iudiciali vel decisione in via disciplinari. De utrisque successive praescripta sequuntur.

§ 2. *Interpretatio authentica* supra definita *per modum legis* seu generaliter *exhibita* sub quacumque Documenti forma, *eandem vim habet* propter eius auctorem *ac lex ipsa* in qua sensus declaratus est contentus ex interpretationis natura, proindeque ab omnibus, pro quibus lex lata est, servanda erit interpretatio. Quocirca duo circa leges praescripta determinantur in canone statim quoad interpretationem ob eius distinctionem, sic: α) *et si verba legis* singula et in eius complexu *in se certa* quoad illius sensum, etsi quidam dubitent, vel ob rationes parum probabiles, aut ad rem non facientes, vel ob inadvertentiam alicuius verbi aut clausulae, vel ob inconsiderationem alterius canonis regulaeve interpretationis, *declaret tantum*, prout hae interpretationes vocari solent, ut supra

[1] 11 Feb. 1911, CO. III, 99.

dictum est, *a*) *promulgatione* necessaria ut novae leges instituantur *non eget*, utpote sufficienter facta cum lege ipsa, *b*) *et valet retrorsum*, ac si lex cum hac interpretatione prodiisset, sed quoad effectus, qui nunc a iuris potestate pendent: β) *si legem* quam respicit *coarctet* in eius propria significatione, excludendo aliquos casus, personas, etc., a praescripti obligatione, *vel extendat* obligationem ultra propriam verborum significationem, *aut dubiam* propter obscuritatem in constructione, ambiguitatem multiplicis sensus, indeterminationem illius, *explicet* sensum praescripti sequendum, *a*) *non retrotrahitur*, veluti ac sub littera legis non esset inclusa, *b*) *et* consequenter tanquam instituenda nova lex *debet promulgari* ad normam can. 9 ob analogiam cum legibus, ad hoc ut obliget subditos.

§ *3*. *Data autem*, supple « interpretatio authentica » ex connexione cum §° 2°, eo quod S. Congr. Consist.ª in Romana [1] ad dubium « 4° an iisdem sacris tribunalibus (Romanae Rotae et Signaturae Apostolicae) competat saltem facultas decreta Conc. Trid. aliasque leges ecclesiasticas interpretandi iuridice in casibus particularibus, ita nempe ut ius faciant inter partes in causa. Emi Patres... respondendum censuerunt: Ad IV affirmative ». Quae responsio implicita est in canone aiente de illa interpretatione *per modum a*) *sententiae iudicialis*, et quia SS. Congr. Romanae quaestiones omnes unarumquarumque competentiae in via disciplinari dirimunt, et dubia solvunt in casu ad exequutionem ss. canonum, additum est; *b*) *aut rescripti in re peculiari*, quae facultas interpretandi salva manet Motui proprio citato non opposita, sed inde sequuta interpretatio *vim legis non habet* qua talis, etiamsi pluries repetitae constituant vel auctoritatem rerum similiter indicatarum, cui se conformare debeant inferiora tribunalia, vel stylum ac praxim Curiae Romanae, sed vis propria illius interpretationis atque praefata clausula sic exponitur: *a*) *et ligat tantum personas b*) *atque afficit res pro quibus* utrisque *data est*. Ergo negotium singulare attingit relate ad legem tali interpretatione cum potestate publica applicatam.

75. **Regulae interpretationis privatae seu doctrinalis** in hoc canone summarie attinguntur ac in sequenti. In Decreto

[1] 11 Feb. 1911 CO. III, 99.

Gratiani cap. 1 caus. XXII q. V sic incipit: « Humanae aures verba nostra talia iudicant, qualia foris sonant. Divina vero iudicia. talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur ». Consequens est quod « lex humana non obligat, nec operatur ultra intentionem legislatoris verbis expressam », ut habetur in Instr. S. Congr. de Prop. Fide [1]. Optime igitur edicit *can. 18. Leges ecclesiasticae,* quatenus a divinis ob auctorem discernuntur, *intelligendae sunt ab omnibus*, quoniam « scire leges non hoc est, verba earum tenere, sed vim ac potestatem », [2] *secundum propriam*, qua discernuntur ab aliis, *verborum*, quae cum signa sint conventionalia conceptuum ac voluntatum, *significationem* illam sortiuntur ex usu « Quem penes arbitrium, ius est et norma loquendi », ut pulchre ait Horatius (Epist. ad Pisones). Circa Codicis canones animadvertatur latinam dictionem fuisse adoptatam, quae maiestati legum conveniat usuique iuridico, et haec significatio verborum est *propria et usualis.* Verbis tamen quandoque ibidem datur significatio ex legislatoris voluntate atque talis *propria* erit ac *iuridica seu canonica* verborum illorum significatio, sive ad totum Codicem extendatur v. gr. (can. 215 § 2) « In iure nomine dioecesis venit », sive ad aliquam eius partem v. gr. (can. 488) « In canonibus qui sequuntur veniunt nomine... etc. », sive ad aliquam inferiorem divisionem v. gr. (can. 479, § 1) « Nomine rectorum ecclesiarum hic veniunt ». — Considerare nunc oportet « quod aliud est etymologia nominis, et aliud est significatio nominis. Etymologia enim attenditur secundum id a quo imponitur nomen ad significandum; nominis vero significatio attenditur secundum id ad quod significandum nomen imponitur. Quae quandoque diversa sunt: nomen enim lapidis imponitur a laesione pedis, non tamen hoc significat: alioquin ferrum cum pedem laedat, lapis esset. Similiter etiam nomen superstitionis non oportet quod significet illud a quo nomen est impositum » secundum Ciceronem apud Isidorum [3]. Haec D. Thomas [4], qui etiam admonet alibi [5] « quod consuetum est quod nomina a sui prima impositione detorqueantur ad alia significanda; sicut nomen medicinae impositum est primo ad significandum remedium quod praestatur infirmo ad sanandum, deinde tractum est

[1] 2 Iul. 1827, Collect. S. C. de P. F. n. 796 — [2] D. Lib. I. Tit. III. l. 17. — [3] Etymolog. lib. X ad litt. S. — [4] II-II q. XCII. a. 1 ad 2m — [5] Ib. q. LVII a 1 ad 1m.

ad significandam artem qua hoc fit. Ita etiam nomen ius ». Idem contingit quoad verborum significationes iuridicas. — Propter significationum propriarum multiplicitatem, et quia ut ait Eugenius IV [1] « Nos attendentes iuxta doctrinam beati Augustini, quod solent circumstantiae Scripturarum illuminare subtantiam veritatis, et non solum adiacentia, sed etiam praecedentia et subsequentia verba sunt consideranda prudenter », canon praescribit quod « leges intelligendae sunt secundum declaratam significationem » *in textu* seu constructione canonis totius vel articuli legis *et contextu* sive cum aliis canonibus, sive cum inscriptione proximae divisionis, sive erga totum Codicem, aut extra illum « in contextu » articuli cum toto aliquo Decreto, *consideratam;* seu ut ait Gregorius [2] « si prolixam epistolam meam ad interpretandum accipere te fortasse contigerit: rogo non verbum ex verbo, sed sensum ex sensu transferri: quia plerumque dum proprietas verborum attenditur, sensus veritatis amittitur », ac in Romanorum iure scriptum est [3]: « Incivile est, nisi tota lege perspecta, una aliqua particula eius proposita iudicare vel respondere »

Hac norma generali servata, memorandum est quod ait Glossa: [4] « Ubi verba non sunt ambigua, non est locus interpretationi; sed ubi sunt dubia, necessaria est interpretatio ». Huius regulae sic adduntur in canone: *quae* significatio verborum legis, considerata ut supra, *si dubia*, ad praescripti intelligentiam quod attinet, v. gr. quia « profecto sic intelligenda sunt verba, ut res de qua agitur, valere possit potius, quam perire » [5], vel eo quod vitandum sit absurdum quod sequeretur, iuxta cap. « Solitae » § Verum de maioritate et obedientia (I. 32), vel « cum verba aliquid operari debeant » [6], vel alia de causa, *et obscura manserit* in seipsa lex, *a*) *ad locos Codicis parallelos* nempe: canones circa eamdem similemve materiam tractantes, vel eiusdem constructionis, *si qui sint,* propter eumdem Auctorem qui digessit integrum Codicem, *b*) *ad legis finem*, quae in futurum detur expressum, vel in fontibus Codicis, *ac circumstantias* promulgationis tempore, secundum illud

[1] Const. cit. § 2 — [2] Cap. 8 de verborum significatione, tit. XL. lib. V — [3] D. Lib. I tit. III l. 24 [4] In cap. « Cum dilectus » 8 de consuetudine, verb. iuri communi — [5] Cap. Abbate 25 de verborum significatione, tit. XL, Lib. V — [6] Cap. Si Papa 15 de privilegiis, tit. VII Lib. V in 6°.

iuris decretalium [1]: « Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi: quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus »; *c*) *et ad mentem legislatoris* non aliorum etsi successorum *est recurrendum*, servando quod scriptum est in Romanorum iure [2]: « In ambigua voce legis ea potius accipienda est significatio, quae vitio caret: praesertim cum etiam voluntas legis ex hoc colligi possit ».

Hoc postremum innititur reg. 88 iuris in 6°: « Certum est, quod is commitat in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem »; quae applicatur in cap. « In his » 15 de verborum significatione (V. 40): « Considerantes nihilominus, quod non debet aliquis considerare verba sed voluntatem, cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire ». Mens legislatoris, si agatur de his canonibus interpretandis, quando nexu logico arguatur ex illis, certa erit. Tam de his quam posterioribus legibus ac decretis, mens legislatoris seu Romani Pontificis « quia iura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere » [3] propter eiusdem in legibus ferendis coadiutores iuris peritos, praesumitur esse conformis tum principiis in Corpore iuris canonici sparsis, ac etiam in Romanorum iure, « quod *ratio scripta* est merito nuncupatum » testimonio Bened. P. P. XV in Bulla « Providentissima », qua Codicem promulgavit, tum regulis utriusque illius iuris, tum sacris canonibus, quia « expedit concordare iura iuribus, et eorum correctiones (si sustineri valeant) evitare » [4]. Poterit ergo mens ex illis argui, sicut inveniri expressa in aliis legislatoris documentis ac praxi. Aliqua consideravimus argumenta, quorum in usu cautelae sunt adhibendae, sub can. 20 ponderanda ad cuius praescriptum praecipue attinent.

76. **Quoad legis materiam** legimus reg. 15 in 6°: « Odia restringi, et favores convenit ampliare ». Haec regula quoad omnes suas partes explicari potest commentando *can. 19*, qui legislatoris mentem sic generali norma exhibet. *Leges* « ecclesiasticae » ob auctorem, *quae* a) *poenam statuunt* v. gr. excommunicationem, non sunt interpretandae de casibus ac personis non expressis certo, sed potius iuxta reg iuris 49 in 6°: « In poenis benignior est inter-

[1] Cap. Intelligentia 6 de verborum significatione tit. XL. Lib. V. — [2] D. Lib. I. tit. III. l. 19. — [3] Cap. 1 de constitutionibus, tit. II. Lib. I. in 6°. — [4] Cap. Cum expediat 29 « de electione et electi potestate » tit. VI. Lib. I. in 6°.

pretatio facienda », b) *aut liberum iurium* vere possessorum *exercitium coarctant*, v. gr. quoad visitationem non exemptorum peragendam ab Ordinario loci, c) *aut exceptionem a lege*, quae ut supponitur, est illis magis generalis, sive haec exceptio in eodem canone aut lege inseratur, sive alius sit canon, lex, aut privilegium, quae illam *continent* « exceptionem », quae poterit esse *a*) contra legem « relaxatio », *b*) secundum legem « exorbitans a generali regula », vel *c*) praeter legem « gratiosa concessio », non aliter ac in iure antiquo exprimebant tum *c*) reg. 78 iuris in 6°: « Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum », tum b) reg. 28 iuris in 6°: « Quae a iure communi (etiam ut norma canonis generali) exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda », tum *a*) cap. Is qui 1 « de filiis praesbyterorum... » in 6°: « promoveri nequit praetextu dispensationis huiusmodi, quam exorbitantem a Jure oportet veluti odiosam restringi », ubi etiam affertur ratio: « veluti odiosam ».... — De omnibus sic declaratis legibus edicit canon: quod *strictae subsunt interpretationi*, iuxta « legislatoris mentem » hic determinatam, scilicet: sensus earum accipiendus, qui conformior sit principiis sic in Romanorum iure expressis: « Nulla iuris ratio, aut aequitatis benignitas patitur, ut quae salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem » quoad leges sub litteris *a*) et *b*) [1], et: « Quod vero contra rationem iuris (uti exceptio) receptum est, non est producendum ad consequentias », quod legi sub littera *c*) convenit.

Attamen regula de exorbitantibus a iure fallit, (quamvis canonis verba propria significatione sint ponderanda et accipienda), seu leges huiusmodi etiam sunt extendendae per interpretationem, praesertim in aequiparatis iure, ubi agitur de publica utilitate, ob animarum favorem, aut ratione absurdi vitandi. Insuper canon implicite admittit partem regulae 15 in 6° initio adductae ac ceteris legibus sub canone 19 non designatis aptandae: « favores convenit ampliare », quamvis haec potius in rescriptis ac privilegiis locum habeat, quocirca ibidem canones ac explicationem inveniemus.

77. **Canonicae normae ad supplendum deficiens ius.** S. Thomas [2] obiicit « 3... omnis sapiens intentionem suam verbis no-

[1] D. Lib. I. tit. III ll. 25, 14. — [2] I-II q. XCVI, a. 6.

vit explicare. Sed illi qui leges condiderunt reputari debent sapientes; dicit enim Sapientia [1]: ' Per me reges regnant, et legum conditores iusta decernunt ,. (Quod de Codicem digerentibus omnino asserendum est). Ergo de intentione legislatoris non est iudicandum nisi per verba legis ». Ad hanc obiectionem dicendum inquit D. Thomas, « quod nullius hominis sapientia tanta est ut possit omnes singulares casus excogitare; et ideo non potest sufficienter per verba sua exprimere ea quae conveniunt ad finem intentum. (Scilicet: ad communem hominum salutem). Et si posset legislator omnes casus considerare, non oporteret ut omnes exprimeret propter confusionem vitandam; sed legem ferre deberet secundum ea quae in pluribus accidunt ». Secundum hanc doctrinam providit Codex huic deficientiae per *can. 20. Si certa de re,* proinde quae sit aliquo sensu singularis, *desit expressum* verbis « sive explicite sive implicite », alias enim si alterutro modo « in Codice contineatur » (can. 6. 6°) vigeret illud, ast quod « desit » *praescriptum* consideratum in hoc canone intelligitur *legis* proprie dictae *sive generalis* nempe: Codicis, *sive particularis*, quae an territorialis sit, aut personalis, promulgata a suprema vel ab inferiore potestate, nihil refert, *norma* circa illam rem agendi *sumenda est,* atque etiam a Doctoribus, non pro libitu, sed cum limitatione: *nisi agatur de poenis applicandis,* tum « quarum in Codice nulla fit mentio, quia eae tamquam abrogatae habeantur » (can. 6. 5°), tum aliarum, eo quod (can. 2219, § 3) « non licet poenam de persona ad personam, vel de casu ad casum producere, quamvis par adsit ratio, imo gravior, salvo tamen praescripto can. 2231 ». — Huius §[i] praescriptum innuit motivum sequentis statuti in canone, quem commentamur: « norma sumenda est » *a legibus* proprie dictis, equidem quoad « praescriptum » deficientibus, imo particularibus quoad illud territorium illasve personas, sed *latis*, tum in Codice contentis, tum quae post Codicem « vim omnem amisisse dicendae sunt » (can. 6, 6°), quarum dispositio vigeat forsan *in similibus* rebus, « cum de similibus idem iudicium sit habendum », ut scriptum est in cap. « Inter corporalia » 2 de translatione Episcopi, (I, 7) et quoad praecedentes Codici leges abrogatas « propter expressam tamen similitudinem, vel potius identitatem », ut in eod. capite legitur. Nec

[1] Prov. VIII, 15.

obiiciatur huiusmodi leges fuisse abrogatas, ergo praescriptum earum alienum esse a legislatoris voluntate. Ita est, sed fortassis tantummodo, quia casus in ea considerati evaserunt infrequentes, et « ex his quae forte uno aliquo casu accidere possunt, iura non constituuntur » [1], nec in Codice conservantur. — Sequitur canon recensens iuris supplendi fontes, per verba: b) *a generalibus iuris principiis*, sic dictis, quia sunt propositiones universales, quarum obiectum est idem ac ss. canonum, et quae fundamentales rationes pluribus eorum communes exprimunt, *cum aequitate canonica servatis,* ubi ratio aequitatis opponitur alteri stricti iuris, ac est: « iustitia dulcore misericordiae temperata », vel « quaedam factorum convenientia, et rectitudo iudicii naturalem sequens rationem », seu ut dicitur Judici [2]: « in his vero super quibus ius non invenitur expressum, procedas (aequitate servata) in humaniorem partem declinando ». Quae dum in canone vocatur « canonica » indigitatur intelligenda, quae sit ss. canonibus informata seu eisdem innixa. — Subditur in canone c) *a stylo et praxi Curiae Romanae*, tam in tribunalibus quam in SS. Congregationibus, nam ex illorum sententiis circa eamdem rem exurgit « auctoritas rerum similiter iudicatarum », atque ex earum decisionibus repetitis in casibus provenit iurisprudentia, quae sanum criterium confert in applicandis ss. canonibus ad casus forsitan dubios. — Aliud denique subsidium derivatur d) *a communi* propter numerum, etsi plures alii dissentiant, *constantique* respectu temporum, circa illam rem *sententia doctorum*, quae ex eorum scriptis vel lectionibus dignoscitur, iuxta illud: « peritis in arte credendum est », eo quod praedicti Doctores tunc reputandi sunt in illam sententiam coaluisse ob praedictorum in hoc canone applicationem. Imo eorum scientia iuridica impellit quemque prudentem ab eorum « communi constantique sententia » circa interpretationem iuris veteris ad normam can. 6, 2° 3°, numquam recedere, nec ab eorum communi, quando haec adsit circa ius Codicis interpretandum, nisi ratio cogens urgeat.

78. **Generalia iuris principia** exprimunt divinam revelationem vel rationis lumen. Inveniuntur in authenticis collectionibus sparsa per quamplures Decretales uti rationes earumdem decisionum, vel collecta sub Titulo de regulis iuris tum in Iure Caesareo

[1] D. lib. I, tit. III, l. 4. — [2] Cap. ult. « de translatione Episcopi », tit. 7, lib. I.

Romanorum, tum 11 in fine Compilationis Decretalium Greg. IX, tum 88 in calce Sexti Decretalium, vel demum aliae sunt regulae huiusmodi communiter a Doctoribus admissae, quae Brocardicae dicebantur, sic distinguendo eas a praedictis, quae authenticae appellatae sunt. Quoad genesim earum considerari queunt ipsae veluti deductiones ex pluribus legibus eamdem rationem habentibus, quam una sententia exprimunt. — Hoc sub respectu dicitur [1]: « Regula est, quae rem quae est, breviter enarrat: non ut ex regula ius sumatur, sed ex iure quod est, regula fiat. Per regulam igitur brevis rerum narratio traditur ». Sed regulae quae ab omnibus admittantur, tanquam recte conflatae sunt accipiendae, nihilque obstat, imo ex canone praecedenti suadetur eas posse accipi velut principia legitima, quibus aut confirmentur rectae canonum interpretationes, aut casuum singularium decisiones iuridice firmentur, aut responsa SS. Congregationum ac Rom^{m}. Pontificum recta esse monstretur. — Id tamen exigit ut illae rite intelligantur atque applicentur. Glossa enim finalis in praedicta Rubrica Decretalium ait: « Regula proprie sic dicitur, quasi regulariter vera, quamvis patiatur exceptiones », quae regularum fallentiae vocantur, quem defectum mirari non debet quicumque considerat morales propositiones habere ut plurimum veritatem, in casibus autem ab hac deficere, tum quia circa contingentes hominum actus versantur, tum propterea quod veritas undequaque circumscripta per illas breviter exprimi nequit. Pro earum authenticarum recta intelligentia consuli possunt « Tractatus de regulis iuris » exarati v. gr. a Reiffenstuel in postremo volumine sui operis « Ius Decretalium », et a Pirhing in titulum Decretalium huiusmodi.

79. **Peculiaris distinctio legum Ecclesiae a lege qualibet divina quoad obligationem singulorum,** iuxta communissimam Doctorum exhibetur in *can. 21. Leges latae* a qualibet Ecclesiae potestate *ad praecavendum*, id est: efficaciter ex prudentia removendum *periculum* ut plurimum alicuius transgressionis circa divinam legem, seu animarum *generale*, idest ut in pluribus imminens fidelibus ex quadam vetita actione vel omissione, *urgent*, nempe: servandae sunt a singulis, quos illae respiciunt, *etiamsi in casu peculiari*, sive quoad personam, sive quoad actum,

[1] D. lib. L, tit. XVII, l. 1.

periculum antea declaratum *non adsit* etiam certo contra legis finem intentum.

80. **Cessatio vis legum** ecclesiasticarum qua talium, non solum pro singulis personis, diversimode potest accidere; videlicet: *a*) propter consuetudinem contra ius ad normam can. 27, *b*) [1] eo quod « derogatur legi, aut abrogatur, derogatur legi, cum pars detrahitur, abrogatur legi, cum prorsus tollitur », atque denique *c*) cum uno vel altero effectu per novam legem, de qua cessatione statuit *can. 22* « ius vetus ex integro referens » (can. 6, 2°) contentum in cap. 1 de constitutionibus (I, 2) in 6°, ubi edixit Bonif. VIII: « Licet Romanus Pontifex (qui iura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere) », tum propter rationem adductam huius clausulae ad can. 18, tum quia illa vim retinent ex potestate, quam ipse habet eamdem suorum praedecessorum, et quae illa iura statuit, « constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur: quia tamen locorum specialium et personarum singularium consuetudines et statuta (cum sunt facti et in facto consistant) potest probabiliter ignorare: ipsis, dum tamen sint rationabilia, per constitutionem a se noviter editam (nisi expresse caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare ». — Ratione igitur fontis canon 22 esset interpretandus de supremae potestatis ecclesiasticis legibus, sed ob Tituli generalem inscriptionem etiam legibus inferioris potestatis applicari debet. Huiusmodi est ergo norma: *Lex* proprie dicta *posterior* ratione promulgationis, iuxta illud (can. 8 § 1) « Leges instituuntur cum promulgantur », non ratione ordinis sive in eodem documento v. gr. in Codice, sive in numero aliquo « Actorum Aplcae. Sedis », sicut inserta fuerunt duo Dec^a^. S. Congr. de religiosis « Sacrosancta Dei Ecclesia » et « Inter reliquas », [2] *a competenti*, v. gr. propter obiectum, vel personas *auctoritate* tum Apostolicae Sedis, tum Concilii plenarii vel provincialis, tum Episcopi *lata, obrogat priori* ratione promulgationis, ut supra, quae prodiit ab eadem vel inferiore potestate, eidem vim auferendo, a) *si id expresse edicat* saltem per clausulam generalem, quae illam legem includat, derogando vel abrogando eam, b) *aut sit illi* legi praeexistenti *directe contraria*, quatenus utraque simul stare nequeat, quod non eveniet, si vel ap-

[1] D. lib. L, tit. XVI. l. 102. — [2] 1 Ian. 1911, CO. III, 29, 37.

plicari possit regula [1]: « expedit concordare iura iuribus, et eorum correctiones (si sustineri valeant) evitare », vel si lex prior sit particularis, quamvis a suprema potestate prodierit, « quia speciale mandatum derogat generali », ut ait Alex. III Senonen. Archiepiscopo [2], c) *aut totam* ratione omnium praescriptorum circa obiectum diversimode consideratum, *de integro*, velut si esset prima eiusdem legislatio, *ordinet legis prioris* singulariter dictae propter *materiam*, quamvis circa idem obiectum diversis temporibus in antecessum promulgatae sint praescriptiones adhuc vigentes. Huius ordinationis ex integro existunt exempla haec: Const. « Apostolicae Sedis » Pii IX circa censuras latae sententiae, Const.: « Officiorum ac munerum » Leonis XIII quoad prohibitionem ac censuram librorum. Haec vero canonis clausula iuri veteri Decretalium est addita, quia in hac reordinatione perficienda omnes praecedentes leges quae vigent ad trutinam revocantur, nec considerationem effugiunt, ita ut legislator plene pandat mentem ac voluntatem suam. Sic evenit in praevio labore ad Codicis iuris canonici promulgationem intra terminos eidem praefixos Codici iam prius declaratos. — Prosequitur can. 22 edicens: *sed firmo praescripto can. 6, n. 1,* eo quod aliter disponat de « praescriptis Codicis », quae sunt vere generales canones, *lex* alia quaelibet *generalis* ratione territorii ac « posterior » uti supra, *nullatenus* etiam sub conditione *b*) et *c*), nec minimum *derogat locorum specialium* etiam dioecesium *et personarum* moralium *singularium*, eo quod additur *statutis* vim legis fortassis habentibus, *nisi aliud* nempe derogatio *in ipsa* generali lege *expresse* clausula sufficienti *caveatur*, et quae secundum eiusdem tenorem non extendendum servanda erit.

81. **Dubia legum revocatio** hic consideratur, sicut in can. 15 dubia legum institutio fuit ponderata. *Can. 23. In dubio,* tam iuris propter applicationem diversam, quae sit possibilis, canonis 22 ad novam legem, quam facti propter circumstantias prioris iuris, *revocatio* partialis vel totalis *legis praeexistentis* cum vigore quando posterior lex promulgatur, *non praesumitur,* nam « et posteriores leges ad priores pertinent (seu prioribus annumerantur), nisi contrariae sint », ut ait Paulus ad legem Iuliam [3], quod sic asseritur etiam in canone congruenter capiti cit°. Decretalium: *sed leges pos-*

[1] Cap. « Cum expediat » 29 de electione I, 6 in 6°. — [2] Cap. 1 de rescriptis (I, 3) X. — [3] D. lib. I, tit. III, l. 28.

teriores relatae prioribus *ad priores trahendae sunt et his, quantum fieri possit* rationabiliter ac salvis legibus certis *conciliandae*, ut simul coexistant vi sua pollentes, in aliquo tamen hanc remittentes.

82. **De praeceptis.** Papinianus libro primo definitionum scripsit [1]: « Lex est commune praeceptum » seu, ut edixit can. 13, § 1: « ligat omnes pro quibus lata est ». Quia vero iuxta reg. iuris 80 in 6.°: « In toto, partem non est dubium contineri », consequens est iurisdictione ecclesiastica praeditum ferre posse ea de quibus plene statuit *can. 24* ultimus « de legibus ecclesiasticis ». *Praecepta* vi iurisdictionis, quae in Ecclesia est, *singulis* baptizatis ac subditis *data* seu iniuncta, *eos* pluraliter dictos relative ad « praecepta », vel plures ut singulos *quibus dantur*, non omnibus in communitate, passivo legum subiecto. a) *ubique urgent*, utpote personalia, et usuali phrasi apud Auctores: « ossibus haerent », b) *sed iudicialiter* idest: apud iudicem ecclesiasticum canonice procedentem *urgeri* quoad exequutionem etiam poenarum inflictarum *nequeunt*, quia iuridicae actionis obiectum non constituunt, nec violationes illorum aliquod delictum, c) *et cessant* qua « praecepta » seu quoad obligationem, *resoluto iure praecipientis* qua talis, scilicet: auctoritate in ipso publica ob quam illa potuit dare. His ergo tribus differunt a legibus praecepta: nam « lex praesumitur territorialis » (can. 8, § 2), nonnisi ob certitudinem positivi facti « revocatio legis praeexistentis » admittitur, atque « obiectum iudicii ecclesiastici sunt: 1°... iura persequenda aut vindicanda, vel... facta iuridica declaranda », quae omnia legem praesupponunt, ac « 2.° Delicta » (can. 1552, § 2), quorum « nomine, in iure ecclesiastico, intelligitur... legis violatio cui addita sit sanctio canonica ». — Quoad cessationem vis praeceptorum « resoluto iure praecipientis » declarato, in canonis fine animadvertenda est exceptio, qua providetur illorum stabilitati forsitan necessariae ob circumstantias a Praelato coram Deo perpensas. Statuit enim *nisi* a) *per legitimum* seu iuxta canones redactum *documentum*, ut nempe per se fidem faciat in foro externo, b) *aut coram duobus testibus*, qui probare poterunt, si opus fuerit, quod *illa* « praecepta » coram eis *imposita fuerunt*. Atque sic imponenda praecepta canones quandoque praescribunt.

[1] D. lib. I, tit. III, l. 1.

TITULUS II.

De consuetudine.

Can. 25 - Consuetudo in Ecclesia vim legis a consensu competentis Superioris ecclesiastici unice obtinet.

Can. 26 - Communitas quae legis ecclesiasticae saltem recipiendae capax est, potest consuetudinem inducere quae vim legis obtineat.

Can. 27. - § 1. Iuri divino, sive naturali sive positivo nulla consuetudo potest aliquatenus derogare; sed neque iuri ecclesiastico praeiudicium affert, nisi fuerit rationabilis et legitime per annos quadraginta continuos et completos praescripta; contra legem vero ecclesiasticam quae clausulam contineat futuras consuetudines prohibentem, sola praescribere potest rationabilis consuetudo centenaria aut immemorabilis.

§ 2. Consuetudo quae in iure expresse reprobatur, non est rationabilis.

Can. 28. - Consuetudo praeter legem, quae scienter a communitate cum animo se obligandi servata sit, legem inducit, si pariter fuerit rationabilis et legitime per annos quadraginta continuos et completos praescripta.

Can. 29. - Consuetudo est optima legum interpres.

Can. 30. - Firmo praescripto can. 5, consuetudo contra legem per contrariam consuetudinem aut legem revocatur; sed, nisi expressam de iisdem mentionem fecerit, lex non revocat consuetudines centenarias aut immemorabiles, nec lex generalis consuetudines particulares.

83. **Inscriptio Tituli.** Deinde considerare oportet *Titulum II. De consuetudine.* « Vocatur autem consuetudo, quia in communi est usu » [1], et sic ut factum quoddam communitatis multiplex inspicitur. Sub hoc Titulo consideratur illa in ordine ad ius, secundum illud D. Augustini in ep. ad Casulanum: « Mos populi Dei, et instituta maiorum pro lege sunt tenenda; et sicut praevaricatores legum divinarum, ita et contemptores consuetudinum ecclesiasticarum coercendi sunt ». De his valet definitio in Dec.° Gratiani tradita [2]: « Consuetudo autem est ius quoddam moribus (diuturne servatis) institutum, quod pro lege suscipitur cum deficit lex ». Hae vocantur ab Auctoribus *consuetudines iuris,* sicut in prima acceptione audiunt *consuetudines facti.*

84. **Divisiones** per se consuetudinum, videlicet: attentis definitionis elementis, sunt sequentes: *a*) quatenus est pars « iuris » obiectivi, in consuetudinem contra legem, quia eidem deficienti utilitate ob circumstantiarum mutationem subsequuta est: in consuetudinem praeter legem, quia est inducta loco ipsius non exis-

[1] Cap. 5, Dist. I. — [2] Loc. cit.

tentis, et in consuetudinem secundum legem, quae deficiens est, eo quod eius sensus quadantenus ambiguitatem vel obscuritatem habet. — Alia divisio *b*) quatenus est « populi moribus », in consuetudinem universalem populi christiani, et particularem alicuius dioecesis, provinciae ecclesiasticae, regionis, etc. — Quatenus hi mores sunt « diuturne » servati, dividitur consuetudo *c*) in praescriptam per annos quadraginta atque nondum praescripta, item *d*) ordinaria, quae per tot annos est praescripta, et privilegiata, quae proprie centenaria vel immemorabilis audit, quia per centum annos saltem observata fuit, vel de initio eius apud homines non existit memoria. Denique quoad modum quo est in praxim deducta, vel « institutum » ipsius ius, dividitur *e*) in iudicialem ac extraiudicialem, prout nempe in foro iudiciali vel extra illud servatur; et illa *f*) in usum forensem, quae respicit formam iudiciorum, vel potius similes de eodem obiecto in diversis causis sententias, et hinc exurgit auctoritas rerum similiter iudicatarum.

85. **Ordo canonum.** Sex tantum sunt canones huius Tituli, sic distributi. Proposita in can. 25 vera iuris consuetudinarii causa, subiectum consuetudinis edicitur in can. 26. Postea consuetudinis effectus memorantur respectu habito ad legis vigorem, et iuxta huiusmodi supra scriptam divisionem tres can. 27-29 sequuntur, ac demum can. 30 de consuetudinis fine normam multiplicem tradit.

86. **Causa vera consuetudinis quatenus obligatoria sit.** D. Thomas [1] ait: « multitudo, in qua consuetudo introducitur, duplicis conditionis esse potest. Si enim sit libera multitudo, quae potest sibi legem facere, (ut erat populus romanus tempore quo plebiscita prodibant) plus est consensus totius multitudinis ad aliquid observandum, quod consuetudo manifestat, quam auctoritas Principis, qui non habet potestatem condendi legem, nisi inquantum gerit personam multitudinis; unde licet singulae personae non possint condere legem, tamen totus populus condere legem potest. Si vero multitudo non habeat liberam potestatem condendi sibi legem vel legem a superiori potestate positam removendi, tamen ipsa consuetudo in tali multitudine praevalens obtinet vim legis, inquantum per eos toleratur ad quos pertinet multitudini legem imponere;

[1] I-II q. XCVII, a. 3, ad 3m.

ex hoc enim ipso videntur approbare quod consuetudo introduxit ». Porro in Bulla « Auctorem fidei » Pii VI [1] legitur in n.° « 2. Propositio, quae statuit, potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur pastoribus, qui sunt eius ministri pro salute animarum; sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas; haeretica ». Huic ergo damnationi ac praefatae doctrinae consonat *can. 25. Consuetudo* facti *in Ecclesia* qua societate *vim legis* obligandi ad aliquid faciendum vel omittendum, irritantis quoque actum contrarium vel inhabilitantis personam, *a consensu* idest: actu voluntatis approbantis consuetudinem, sive expressus sit, sive tacitus, sive saltem praesumptus *competentis Superioris ecclesiastici* supremi pro universa Ecclesia, Ordinarii legislativa potestate praediti quoad ecclesias particulares, *unice obtinet.* Nam « omnis lex proficiscitur (quoad vim eius) a ratione et voluntate legislatoris » [2]. Per exteriores vero multitudinis actus multiplicatos practicus rationis conceptus seu ordinatio rationis efficacissime declaratur bene determinatus. Ergo si eidem accedat legislatoris actus voluntatis cognoscentis ac approbantis, nihil deest ut consuetudo, quae in illis exterioribus multitudinis actibus consistit, vim legis habeat.

Expressus consensus est cum competens Superior ecclesiasticus conscius est de populi moribus, eosque positive approbat signo aliquo externo. Tacitus cum cognoscit optime consuetudinis existentiam, eamque silentio praeterit, cum posset tamen sine gravi inconvenienti eam repudiare. Tunc enim valet reg. iuris 43 in 6°. « Qui tacet, consentire videtur ». Consensus denique praesumptus vel legalis dicitur ille quo generatim legislator admittit consuetudines futuras, quamvis tempore quo inducuntur ignoret singulas. Huiusmodi consensum continent can. 27-29.

87. **Subiectum consuetudinis iuris** eruitur ex paritate cum lege, cuius vim mutuatur illa consuetudo. Hinc ait *can. 26. Communitas* sive persona moralis collegialis sit, sive non, *quae legis ecclesiasticae* sibi propriae *saltem recipiendae* tanquam subiecta eidem *capax est,* multo magis si eam ferre etiam potest, v. gr. capitulum quoad propria statuta, nam sicut verbo humano vel scriptura potest illa condere, idipsum quoque poterit per actus maxime

[1] 28 Aug. 1794. — [2] D. Th. loc. cit. corp.

multiplicatos, qui consuetudinem efficiunt, *potest* talis declarata « communitas » *consuetudinem* de facto *inducere quae vim legis* ad normam can. 25 *obtineat.*

88. **Conditiones consuetudinis necessariae ut iuri praevaleat constituto.** Greg. IX in cap. ult. « de consuetudine » (I, 4) ait: « Cum tanto sint graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam, nemo sanae mentis intelligit naturali iuri, cuius transgressio periculum salutis inducit, quacumque consuetudine, quae dicenda est verius in hac parte corruptela, posse aliquatenus derogari. Licet etiam longaevae consuetudinis non sit vilis auctoritas: non tamen est usque adeo valitura, ut vel iuri positivo debeat praeiudicium generare, nisi fuerit rationabilis, et legitime sit praescripta ». Ex his postremis verbis Doctores intulerunt conditiones aut characteres quibus praedita esse debuit consuetudo in Ecclesia, ut auctoritatem iuris obtineret: 1ª ut sit rationabilis, 2ª ut sit legitime praescripta, et 3° ut sit longaeva consuetudo.

Illud ius Decretalium « ex integro refert » (can. 6, 2°) *can. 27. § 1. Iuri divino* id est: divinitus promulgatarum complexui legum, *sive naturali* scilicet: naturae humanae necessario connexarum, et lumine rationis cognitarum, *sive positivo*, nempe libera Dei voluntate hominibus imposito supernaturaliter ad huiusmodi finem ordinatis, *nulla consuetudo*, universalis vel facilius particularis, in praxi servata per quoslibet et quantocumque tempore, *potest aliquatenus* etiam in minimis *derogare* quoad unam vel alteram legem etiam circa partialem eius vim, quia « lex naturalis et divina (quaelibet) procedit a voluntate divina (seu « a rationabili Dei voluntate »), unde non potest mutari per consuetudinem procedentem a voluntate hominis; sed solum per auctoritatem divinam mutari posset » [1], sicut Legi positivae Test.[1] Veteris contigit quoad iuri naturali superaddita. Sic enim accipiatur quod dicit Isidorus in Synonimis [2]: « Usus auctoritati cedat; pravum usum lex et ratio vincat ».

Effectum consuetudinis contra ius praeexistens scriptum sic limitat prosequens canon: *sed neque iuri ecclesiastico* seu ss. canonum decretorumque ac consuetudinum iuris complexui, *praeiudicium* quoad illorum multiplicem vim *affert, nisi fuerit* his tribus

[1] D. Th. I-II, q. XCVII, a. 3, ad 1m. — [2] Lib. II, cap. 16 circa med.

conditionibus praedita: a *rationabilis*, nempe: ratione seu motivo suffulta, sicut lex sit oportet cuius vim nanciscitur, et quod potest contingere etiam ab initio sine culpa agentium contra ius, eo quod « leges humanae in aliquibus casibus deficiunt. Unde possibile est quandoque praeter legem agere, in casu scilicet in quo deficit lex, et tamen actus non erit malus; et cum tales casus multiplicantur propter aliquam mutationem hominum, tunc manifestatur per consuetudinem quod lex ulterius non est utilis; sicut etiam manifestaretur, si lex contraria verbo promulgaretur. Si autem adhuc maneat ratio eadem, propter quam prima (seu existens) lex utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit; nisi forte propter hoc solum inutilis lex videatur, quoniam non est possibilis secundum consuetudinem patriae, quae erat una de conditionibus legis. Difficile enim est consuetudinem multitudinis removere ». Secundum hoc igitur sufficiet quod sit « rationabilis » consuetudo quando debeat « iuri praeiudicium inferre » iuxta sequentes in canone conditiones: b) *et legitime* id est: sine oppositione ad can. 1509 circa praescriptionis requisita, nec interrupta ad normam paralleli can. 1725, n. 4 c) *per annos quadraginta* (atque sic dirempta est quaestio de illius diuturnitate) *continuos* quoad successionem *et completos* quoad ultimum etiam diem si nosci posset, quocirca « sumendos prout sunt in calendario » iuxta exceptionem §[1] 2[ae] can.[s] 32, *praescripta,* eo quod pro communitate consuetudinem servante est « modus se liberandi » (can. 1508) a contraria lege.

Quoad tempus autem observantiae magis coarctat consuetudines canon addens: *contra legem vero ecclesiasticam* praesertim supremae auctoritatis, non contra ius consuetudinarium, nec quamlibet illarum, sed *quae clausulam* verbis conflatam *contineat*, quod est in consuetudine qua tali impossibile, *futuras consuetudines* eidem legi adversas *prohibentem* solummodo ne inducantur, quo pacto legislator ostendit validioribus rationibus duci, quin iudicet non posse ipsas in futurum deficere, *sola praescribere potest* auferendo illius legis vigorem *rationabilis* saltem quando praescribit *consuetudo* per communitatem ad normam can. 26 servata, quae iam sit *centenaria aut immemorabilis* sub Tituli huius inscriptione declarata.

Demum « Superioris ecclesiastici consensum » (can. 25) deesse

consuetudini de facto contra ius edicit § 2. *Consuetudo* haec *quae in iure* scripto, aliove « competentis Superioris ecclesiastici » documento *expresse reprobatur*, equidem hoc verbo aut aliis aequipollentibus v. gr. vocando eam « iuris corruptelam », *non est rationabilis,* videlicet talis est sensus illius expressionis, qua Superior iudicium promit de vi exceptionali rationis seu motivorum legis. Ad discernendum circa diversas consuetudines, quaenam sint rationabiles, expressae normae, ut mihi videtur, non inveniuntur in Codice. Possunt tamen ex iure praecedenti aliquae cum fundamento depromi. — Consuetudines contra ius canonicum erunt irrationabiles: 1° quae a legislatore in authenticis collectionibus reprobatae inveniuntur; 2° quae peccandi occasionem vel licentiam praebent, nam eo ipso patet non derivari a lege naturali aut divino-positiva, cum tamen haec derivatio sit proprietas legis ecclesiasticae, quatenus est ordinatio rationis, in quo lex ac consuetudo conveniunt; et 3° est irrationabilis consuetudo quando alia ratione sit communi utilitati perniciosa, cum non minus quam ipsa lex ad bonum Ecclesiae commune, ubi servetur, ordinari consuetudo debeat. — Textus iuris praedicta confirmantes et explicantes sunt, qui sequuntur: 1° a legislatore reprobatae fuerunt consuetudines ob subiecti incapacitatem quoad iurisdictionis vel ordinis potestatem in capp. III et IV h. tit. (I, 4), velut disrumpentes nervum ecclesiasticae disciplinae, quae obstant efficaci Superiorum auctoritati in cap. V et VII huius tit. inter extrav^s^. communes (I, 1), et denique ut absurdum continens iuridicum in cap. II huius tit. in 6° (I, 4); 2° in cap. 10 h. t. legitur: « ...Tenore praesentium declaramus, vos non teneri ad huiusmodi consuetudines (abusivas) observandas », per quas nempe inducebantur uxores ad adulterandum et viri ad bona propria dissipanda; et 3° Gregorius Papa (cap. 1 h. t.) inquit: « Consuetudines, quae ecclesiis gravamen inducere dignoscuntur, nostra nos decet consideratione remittere », in cap. 1 huius tit. in 6° corruptela merito reputatur etiam immemorabilis consuetudo de beneficiorum quorumdam pluralitate, utpote valde diminuens Dei cultum illorumque officium propter quod beneficia dantur, et in cap. « Cum terra » 14 « de electione » (I, 16) dicitur: ...« Quia igitur hoc redundat in gravamen et perniciem ecclesiasticae libertatis, praescriptam consuetudinis pravitatem, sancimus penitus abolendam ».

89. **Conditiones consuetudinis de facto, ut haec suppleat legem,** exprimit *can. 28. Consuetudo praeter legem,* quia haec non extat illi conformis aut contraria, *quae* a) *scienter* idest: non propter errorem iuris quod putent obligare, secundum illud quod in Iure Romano scriptum est [1]: « Quod non ratione introductum, sed errore primum, deinde consuetudine obtentum est: in aliis similibus non obtinet », b) *a communitate* videlicet ab eius membris, qui leges reverentur, quoad maximam eorum partem c) *cum animo se obligandi,* quod posset coniecturari ex circumstantiis, quando v. gr. cum non levi incommodo, vel propter singulare communis utilitatis motivum *servata sit* quandocumque occasio se offerat, *legem inducit* nempe: illius sive praeceptivae, sive prohibentis, irritantis aut inhabilitantis vinculum iuridicum causat, *si pariter* ac in praecedenti canone declaratum est, ex parte consuetudinis a) *fuerit rationabilis, et* b) *legitime per annos quadraginta,* non minus ac si esset contra ius, *continuos et completos praescripta.* Exceptio canonis praecedentis circa longius tempus non habet locum in huiusmodi consuetudine. Itaque Codex conservat quod ex Iure Romano in Ecclesiastico vigebat [2]: « Diuturna consuetudo pro iure et lege in his quae non ex scripto descendunt: observari solet ».

90. **Effectus consuetudinis secundum ius** scriptum duo a canonistis enumerari solent. Primus desumitur ex dicto Gratiani post cap. 3 dist. IV: « Leges... firmantur, cum moribus utentium approbantur. Sicut enim moribus utentium in contrarium nonnullae leges hodie abrogatae sunt, ita moribus utentium ipsae leges confirmantur ». Attamen haec confirmatio nihil addit iure distinctum a legis observantia seu vigore, unde merito fuit omissa in *can. 29* qui est conformis Iuri Romanorum sic aienti: [3] « Si de interpretatione legis quaeratur, imprimis inspiciendum est quo iure civitas retro in eiusmodi casibus usa fuisset: optima enim est legum interpres consuetudo ». Huic consonat reg. 45 Iuris in 6°: « Inspicimus in obscuris.... quod plerumque fieri consuevit ». Unde canon retinens clausulam cap. 8 « de consuetudine » (I, 4) ait: *Consuetudo* legem ecclesiasticam praesupponens cui non contrariatur, *est optima,* proinde « interpretationi authenticae per modum legis »

[1] D. Lib. I, tit. III, l. 39. — [2] D. Lib. I, tit. III, l. 33. — [3] D. Lib. I, tit. III, l. 37.

(can. 17, § 2) aequiparatur ac praefertur, quatenus legislatoris consensu vi canonis praedita ob diuturnitatem exprimit melius facto quam verbis sensum legis ac secumfert, inquantum indigeat, promulgationem, *legum* quarumlibet, etiam de processibus, poenalium, inhabilitantium, *interpres:* ergo dummodo illae sint obscurae seu ambiguae, iuxta quod « Imperator Severus rescripsit: in ambiguitatibus quae ex legibus proficiscuntur consuetudinem, aut rerum perpetuo similiter iudicatarum auctoritatem, vim legis obtinere debere » [1].

91. **Consuetudinum revocatio** evenit ad normam *can. 30. Firmo praescripto can. 5* circa « vigentes in praesens (scilicet: initio vigoris Codicis) contra horum (Codicis) statuta canonum consuetudines sive universales sive particulares », quaelibet *consuetudo* etiam iuris *contra legem* « rationabilis et legitime praescripta », imo « centenaria et immemorabilis » (can. 27, § 1), *vel praeter legem* « pariter rationabilis et legitime praescripta » (can. 28), alterutra *per contrariam* quoad modum agendi oppositum praedictae *consuetudinem* eadem duplici vestitam conditione *aut legem* adversus illud, quod servatur illa consuetudine, praescribentem *revocatur,* quae utraque oppositio eamdem amplitudinem vinculi antiqui et novi praerequirit, atque hoc canonis praescriptum fulcitur reg. iuris 1: « Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur », cum lex ac consuetudo « vim » obligandi « a consensu eiusdem Superioris ecclesiastici unice obtineant » (can. 25). Intacta praec. norma circa consuetudinis revocationem per subsequentem, limitatio subditur ex adversativa particula: *sed, nisi expressam* verbis ad minus implicite, ita ut liqueat, *de iisdem* consuetudinibus declaratis supra ut abrogandis *mentionem fecerit* legislator, a) *lex* « iisdem » iuris consuetudinibus posterior quaecumque *non revocat* hac iuris declaratione antiquo iuri conforme *consuetudines centenarias aut immemorabiles* iam declaratas ad can. 27, § 1, et quae hac de causa simul cum efficacia eisdem attributa in can. cit°. merito dicuntur a canonistis privilegiatae respectu ad ceteras consuetudines, b) *nec lex generalis* nempe: a Sede Apostolica sine limitatione ad territorium lata, supple « non revocat » *consuetudines particulares* videlicet: quae hic vel ibi serventur, etiam per com-

[1] D. Lib. I, tit. III, l. 38.

munitates imperfectas, seu ad normam cap. 1 « de constitutionibus » (I, 2) in 6°, ubi rationem quoque affert Bonifacius VIII: « quia tamen locorum specialium et personarum (moralium collegialium) consuetudines et statuta (cum sunt facti, et in facto consistant, potest Romanus Pontifex probabiliter ignorare): ipsis, dum tamen sint rationabilia, per constitutionem a se noviter editam (nisi expresse caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare ». Quae cautio erit sufficiens per clausulam « non obstante quacumque consuetudine », quae tantum pro his peculiaribus esset utiliter posita, dum pro centenariis et immemorabilibus essent huiusmodi consuetudines his verbis memorandae.

TITULUS III.

De temporis supputatione.

Can. 31. - Salvis legibus liturgicis, tempus, nisi aliud expresse caveatur, supputetur ad normam canonum qui sequuntur.

Can. 32. - § 1. Dies constat 24 horis continuo supputandis a media nocte, hebdomada 7 diebus.

§ 2. In iure nomine mensis venit spatium 30, anni vero spatium 365 dierum, nisi mensis et annus dicantur sumendi prout sunt in calendario.

Can. 33. - § 1. In supputandis horis diei standum est communi loci usui; sed in privata Missae celebratione, in privata horarum canonicarum recitatione, in sacra communione recipienda et in ieiunii vel abstinentiae lege servanda, licet alia sit usualis loci supputatio, potest quis sequi loci tempus aut locale sive verum sive medium, aut legale sive regionale sive aliud extraordinarium.

§ 2. Quod attinet ad tempus urgendi contractuum obligationes, servetur, nisi aliter expressa pactione conventum fuerit, praescriptum iuris civilis in territorio vigentis.

Can. 34. - § 1. Si mensis et annus designentur proprio nomine vel aequivalenter, ex gr., *mense februario, anno proxime futuro*, sumantur prout sunt in calendario.

§ 2. Si terminus *a quo* nec explicite nec implicite assignetur, ex gr., *suspensio a Missae celebratione per mensem aut duos annos, tres in anno vacationum menses* etc., tempus supputetur de momento ad momentum; et si tempus sit continuum, ut in allato primo exemplo, menses et anni sumantur prout sunt in calendario; si intermissum, hebdomada intelligatur 7 dierum, mensis 30, annus 365.

§ 3. Si tempus constet uno vel pluribus mensibus aut annis, una vel pluribus hebdomadibus aut tandem pluribus diebus, et terminus *a quo* explicite vel implicite assignetur:

1.° Menses et anni sumantur prout sunt in calendario;

2.° Si terminus *a quo* coincidat cum initio diei, ex. gr., *duo vacationum menses a die 15 augusti*, primus dies ad explendam numerationem computetur et tempus finiatur incipiente ultimo die eiusdem numeri:

3.° Si terminus *a quo* non coincidat cum initio diei, ex. gr., *decimus quartus aetatis annus, annus novitiatus, octiduum a vacatione sedis episco-*

palis, decendium ad appellandum, etc,, primus dies ne computetur et tempus finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri;

4°. Quod si mensis die eiusdem numeri careat, ex. g., *unus mensis a die 30 ianuarii*, tunc pro diverso casu tempus finiatur incipiente vel expleto ultimo die mensis;

5.° Si agatur de actibus eiusdem generis statis temporibus renovandis, ex. gr., *triennium ad professionem perpetuam post temporariam, triennium aliudve temporis spatium ad electionem renovandam*, etc., tempus finitur eodem recurrente die quo incepit, sed novus actus per integrum eundem diem poni potest.

CAN. 35 – Tempus *utile* illud intelligitur quod pro exercitio aut prosecutione sui iuris ita alicui competit ut ignoranti aut agere non valenti non currat; *continuum*, quod nullam patitur interruptionem.

92. **Inscriptio Tituli et canonum distributio.** Sequitur *Titulus III* omnino in Collectionibus novus, etsi nonnulla praescripta in Decretis praesertim liturgicis essent condita. *De temporis*, quae est una ex humanorum actuum circumstantiis per ss. canones determinata multoties, *supputatione* canonica, praecipue igitur circa Codicis formulas interrogationi « quando » ? vel « usquequo » ? relativas.

Posita generaliori norma per can 31, usualium verborum ac supputationum datur significatio iuridica in can. 32, 33, dum canon 34 praescribit diversas clausularum Codicis circa tempus supputationes, addita per can. 35 declaratione temporis utilis ac continui.

93. **Norma universalis circa ecclesiasticas leges.** Congruenter can. 2 quoad praeteritum, cavet etiam pro futuro *can. 31. Salvis legibus liturgicis* ad can. 2 declaratis etiam quoad Tituli inscriptionem, *tempus* iuxta legislatoris mentem in legibus ecclesiasticis hinc implicitam, *proinde nisi aliud expresse caveatur* ipsarum legum etiam circa liturgiam verbis, *supputetur* obligatione canonica, quae interpretes Codicis etiam ligat, *ad normam canonum qui sequuntur* hoc in Titulo quatuor.

94. **Dies, mensis et annus quoad iuridicum sensum.** In die quarto mundi, « dixit Deus : Fiant luminaria in firmamento coeli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa et tempora, et dies et annos : ut luceant in firmamento coeli, et illuminent terram. Et factum est ita » (Gen. I, 14, 15). Cum nobis perfecte notae non sint leges luminarium firmamenti, ac inde relationem mutuam inter dies menses et annos exacte determinare nequeant homines, « ut cognoscant quoniam homines sunt », atque minus per instrumenta cronometrica in partes semper aequales illa tempora dividere; in mores hominum pro usu quotidiano inducti fuerunt diversi computationis

illarum divisionum communium modi. Eapropter in legibus ferendis, quando circumstantia temporis praescribitur, mentem legislatoris figere oportet quoad unum ex illis modis praeferendum praxi seu intento illius magis accomodum.

Hinc statuit § *1*[a]. *Dies* factus ex vespere et mane seu die lucis ac nocte tenebrarum (Gen. I, 18, 19) *constat* natura et universali usu fere exacto *24 horis*, atque inter diversas computationes secundum humana negotia, generalior et romana acceptatur in praescripto: *continuo supputandis a media nocte*, quae in can. 33 determinabitur, *hebdomada* vi vocis atque ex perpetuo usu a mundi creatione *7 diebus*, quae distinguuntur propriis appellationibus apud omnes gentes.

§ *2*. *In iure* Codicis et aliarum legum ecclesiasticarum, cui convenit uniformari consuetudines ac S. Sedis documenta in posterum, quia in usu Sinenses computant menses ex cyclo lunari, ceteri homines illos inaequales habent, ut in anno sint duodecim iuxta quod sol per 12 zodiaci signa volvitur, a) *nomine mensis* propria significatione iuridica *venit spatium* continuum *30* supple: « dierum », ac semper aequale a quocumque die incipiat computari, b) *anni vero* « nomine venit » *spatium* equidem continuum *365 dierum* quod certo est naturali minus, ac ut antea semper aequale et cum initio cuiuslibet diei, sed *nisi mensis et annus* cum diei cuiuslibet initio vel primi in mense, *dicantur* proinde expresse ac in iure scripto *sumendi prout sunt in calendario*, scilicet: quoad dierum numerum distincti, tum menses, tum inde annus illis duodecim conflatus.

95. **Supputatio iuridica horarum diei.** Dies quandoque in usu accipitur oppositus nocti, quemadmodum cecinit Psalmista (CIII, 20-24): « sol cognovit occasum suum. Posuisti tenebras et facta est nox: ... Ortus est sol,... Exibit homo ad opus suum: et ad operationem suam usque ad vesperum ». Licet etiam, ut rescripsit Innoc. III Archiepiscopo Toletano, « secundum consuetudinem et constitutiones legitimas, more Romano, dies a medietate noctis incipiat et in medio noctis desinat subsequentis (unde quod in duabus dimidiatis noctibus agitur, perinde sanxit habendum legalis auctoritas, ac si qualibet parte lucis agatur) ». — De hoc ergo die, quem constare 24 horis dicitur in § 1 can praec[s].. decernit *can. 33* § *1*. *In* « continuo » *supputandis* « a media nocte » illis *horis diei stan-*

dum est quoad earum initium, medietatem, et terminum quoque, non iam apparenti solis cursui seu naturae, sed *communi* familiarum uniuscuiusque *loci* civitatis, oppidi, *usui*, qui per publica forsan horologia signatur; *sed* huic praescripto restrictiones non paucae ponuntur sequentes: a) *in privata Missae*, non conventualis vel capitularis vel cantatae, *celebratione*, quamvis haec fiat in ecclesia et adstante populi fidelis multitudine, b) *in privata*, ut haec a chorali distinguitur, *horarum canonicarum* singularum *recitatione* iuxta Commentarium Textus ad can. 135, c) *in sacra communione recipienda*, non iam sumenda per sacerdotem in Missa de qua dictum est antea, d) *et in ieiunii vel abstinentiae* disiunctive, utpote duplici *lege servanda*, *licet alia sit* a sequentibus declarata prius *usualis loci supputatio* diei quoad initium, medium et finem per 24 horarum spatium, *potest quis* ad libitum, quin teneatur, et quandoque, seu pro una ex dictis obligationibus unum, pro alia obligatione seu pro iteratae obligationis adimplemento alterum *sequi loci* actualis commorationis propriae *tempus* quoad computationem, *aut locale* secundum incolarum mores *sive medium* pro pluribus simul locis civiliter distinctis, v. gr. secundum meridianum quoddam Greenwih aliudve, *aut legale* nempe: societatis lege statutum circa diei initium, *sive regionale*, videlicet: ratione territorii quamvis ex statuto quolibet publico vigeat, *sive aliud extraordinarium* scilicet: propter causam specialem, tempore aestivo, etc.

Propter notam catholicitatis Ecclesiae atque obiectum praescripti, positus est recte § 2. *Quod attinet ad tempus* computandum quolibet sub respectu iuridico *urgendi* quoad exequendas *contractuum* quorumlibet civilium *obligationes* de bonis ecclesiasticis, *servetur* etiam a clericis, *nisi aliter expressa* verbis, scripto, *pactione* inter partes contrahentes *conventum fuerit*, iuxta regulam Iuris in 6° « 85. Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur », secus observandum est vi huius canonis *praescriptum iuris civilis in territorio* ubi urgentur obligationes supradictae *vigentis* quoad contrahentes, forsitan diversi pro civibus atque alienigenis.

96. **Supputatio canonica temporis ultra unum saltem diem.** Ad can. 31 se refert, ac iuxta illius sensum ibi declaratum (cui optime congruerent documenta Sedis Apostolicae aliaque ecclesiastica) sic incipit temporis supputandi normas fere omnes continens

can 34. § *1. Si mensis et annus,* ubi particula « et » pro disiunctiva *vel* sumitur, ac illa innuit grammaticaliter orationis subiectum distributive accipiendum, *designentur* in ecclesiastica lege, decreto, etc. *proprio nomine,* quo discernitur ab aliis quibuslibet, *vel aequivalenter,* quatenus adhibita verba singularem mensem et annum referant, *ex. gr. mense februario* vel anno 1926, quod ad primum attinet modum, *anno proxime futuro* quoad secundum, supposita documenti data vel clausula simili, his in casibus *sumantur prout sunt in calendario* liturgico, idest: mensis Februarius dierum 28, aut in anno bissextili dierum 29, et a die huius mensis primo. annus spatium duodecim mensium a die 1 Ianuarii usque ad 31 Decembris inclusive. Nec ulla exceptio est aut distinctio huius praescripti.

Secus in altera hypothesi. — § *2. Si terminus a quo* temporis in lege expressi *nec explicite* propriis illius verbis *nec implicite* per subintelligendum saltem factum aliquod vel eventum, aut ob omissionem in temporis momento, *assignetur,* quamvis ille terminus a parte rei erit utique signatus ab aliis discretus, *ex. gr suspensio a Missae celebratione,* cuius initium pro diversis personis ac pro eadem potest multiplex contingere, *per mensem aut duos annos,* quibus verbis omnes futuri ac singuli comprehendi queunt, ac similiter per quoslibet *tres in anno vacationum menses, etc., tempus* illis ac similibus clausulis assignatum a) *supputetur de momento* incoeptae actionis vel omissionis *ad momentum* eiusdem numeri horae in temporis determinati termino per legem expressi; *et* b) *si tempus sit continuum* v. gr. regulariter propter clausulam cum particula « per », ad suspensionem quod attinet ad normam can. 2248, § 1, seu *ut in allato* per canonem *primo exemplo, menses et anni,* nam de diebus ac hebdomadibus non habet locum haec paragraphus, *sumantur prout sunt in calendario* iuxta declarationem eiusdem tenoris clausulae in § 1ª; c) *si intermissum,* sicut potest contingere de vacationibus in anno, *hebdomada intelligatur 7 dierum,* quorum quilibet « constat 24 horis continuo supputandis » (can. 32, § 1), sed non a media nocte, utpote « de momento ad momentum », sicut supra littera a) fuit praeceptum, *mensis 30* supple dierum eorumdem, *annus 365.*

§ *3. Si tempus* lege expressum (aliove documento ex congruentia) *constet uno vel pluribus* respective a) *mensibus* b) *aut annis,* c) *una vel pluribus hebdomadibus* d) *aut tandem pluribus diebus,* additurque diversitas huius a praec. §º *et terminus a quo* temporis

in lege aut documento expressi *explicite* verbis diem, aliquod factum designantibus, *vel implicite assignetur,* quatenus clausula indicans tempus praesupponit ex rei natura vel alterius canonis praescripto diem actumve singularem a quo incipiat illud :

1.° *Menses* tam unus quam plures *et anni* similiter, queis « tempus constat » ut initio §[i], *sumantur* semper *prout sunt in calendario* evenientes in adimplenda lege vel in documento exequendo.

Sed ulterius distinguendi sunt casus. — 2.° *Si terminus a quo* assignatus secundum expositionem dictam *coincidat cum initio diei* seu media nocte illum praecedente, quia sic rationabiliter asseri potest, *ex. gr. duo vacationum menses a die 15 Augusti* intelligenda inclusive, *primus dies* seu « a quo » *ad explendam numerationem* dierum temporis expressam *computetur*, et hoc, etiamsi haec constet diebus tantum infra mensem vel hebdomadibus, *et tempus finiatur incipiente ultimo die eiusdem numeri*, tum sequentis mensis vel ultimi mensis numerationis quoad litteram a), tum mensis eiusdem nominis pro littera b), tum « eiusdem numeri » idest: numerationis dierum vel contentorum in hebdomadis quoad litteras c) et d).

Alter casus est 3.° *Si terminus a quo* assignatus secundum expositionem supra positam ante num.[m] 1.[m] *non coincidat cum initio diei*, quia rationabiliter creditur non accidisse factum media nocte, *ex. gr. decimus quartus aetatis annus,* qui nativitatem implicat, *annus novitiatus*, qui « incipit susceptione habitus vel alio modo in constitutionibus praescripto » (can. 553), *octiduum a vacatione sedis episcopalis* « Episcopi morte, renunciatione a Romano Pontifice acceptata, translatione ac privatione Episcopo intimata » (can. 430, § 1), *decendium ad appellandum* « a notitia publicationis sententiae » (can. 1881), *etc.*, excepto rarissimo casu quo exempla huiusmodi caderent certo sub n.° 2.°, *primus dies* intra quem accidit « terminus a quo » *ne computetur* supple ex n.° 2.° « ad explendam numerationem » dierum temporis expressam *et tempus* supputandum *finiatur expleto ultimo die,* seu cum media nocte illum subsequente, *eiusdem numeri* sicut in n.° 2.° interpretandi pro diversis litteris.

Quando mense aut mensibus « tempus constet », opus erit quandoque n.° 4.° *Quod si mensis* in quo tempus finiatur, *die eiusdem*

numeri ac incipiens, tum computandus ex n.º 2.º tum non computandus ex n.º 3.º « ad explendam numerationem », *careat* « prout ille mensis est in calendario » (n.º 1.º), *ex. gr. unus mensis a die 30 Ianuarii,* cui mensi sequitur Februarius « die eiusdem numeri » nempe: 30 semper carens, *tunc pro diverso casu* num.m 2.i ac 3.i *tempus* lege vel documento determinatum *finiatur,* quando sub ista cadit §º, *incipiente* quoad num.i 2.i casum, *vel expleto* scilicet: in num.i 3.i casu *ultimo die mensis* carentis « die eiusdem numeri » statuto in num.s 2.º atque 3.º

Norma specialis pro quibusdam actibus secundum canones vel alias normas periodicis proponitur in n. 5.º *Si agatur de actibus eiusdem generis* v. gr. de electione ad officium stricto sensu, quod sit temporarium, de renovatione votorum temporaneorum, quamvis actus isti non sint eiusdem speciei iuridicae, sed « eiusdem generis », quod verbum magis latum continet sensum, *statis* per canones, constitutiones, etc. *temporibus,* quatenus tempus necessario comitatur illis « actibus » *renovandis* idest: iterum exequendis, *ex. gr. triennium* « vel longius tempus » (can. 574, § 1) *ad professionem perpetuam post temporariam, triennium aliudve temporis spatium,* forsitan brevius propter Superioris religiosi obitum, vel longius quoad Superiores maiores ad normam can. 505, *ad electionem renovandam* fortassis quoque apud saecularem clerum, *etc.*, quo similia indigitantur, *tempus finitur eodem*, non iam « incipiente » (n.º 2.º), vel melius nec « expleto » (n.º 3.º), sed *recurrente* per 24 horas *die* « eiusdem numeri » (num.s 2.º et 3.º) *quo* evenit actus in mense quando elabi tempus *incepit, sed novus actus* « renovandus » ex consequenti ac ob canonis concessionem *per integrum eundem* « recurrentem » *diem poni* valide ac licite *potest* ut norma generalis ad ss. canones quod spectat, quin ad eam temporis determinationem inducatur obligatio.

97. **Verborum utile ac continuum significatio canonica.** *Can. 35. Tempus utile* in ecclesiasticis legibus eorumve adimplemento *illud intelligitur* vi huius canonis, *quod pro exercitio aut prosecutione* in iudicio vel in quasi-possessione *sui iuris,* accepti propterea subiective pro facultate morali per ss. canones firmata, *ita alicui competit ut ignoranti* canonem vel ius proprium vel factum in quo simul cum canone fundatur, *aut agere non valenti*, idest: illud ius

exercere aut prosequi secundum datam declarationem, *non currat* ad explendum tempus iure canonico concessum; e contra *continuum, quod nullam* ex ignorantia, impotentia, aliave de causa *patitur* semel inceptum *interruptionem*.

TITULUS IV.

De rescriptis.

CAN. 36 - § 1. Rescripta tum Sedis Apostolicae tum aliorum Ordinariorum impetrari libere possunt ab omnibus qui expresse non prohibentur.

§ 2. Gratiae et dispensationes omne genus a Sede Apostolica concessae etiam censura irretitis validae sunt, salvo praescripto can. 2265, § 2, 2275, n. 3, 2283.

CAN. 37. - Rescriptum impetrari potest pro alio etiam praeter eius assensum; et licet ipse possit gratia per rescriptum concessa non uti. rescriptum tamen valet ante eius acceptationem, nisi aliud ex appositis clausulis appareat.

CAN. 38 - Rescripta quibus gratia conceditur sine interiecto exsecutore, effectum habent a momento quo datae sunt litterae; cetera a tempore exsecutionis.

CAN. 39 - Conditiones in rescriptis tunc tantum essentiales pro eorundem validitate censentur, cum per particulas *si, dummodo*, vel aliam eiusdem significationis exprimuntur.

CAN. 40 - In omnibus rescriptis subintelligenda est, etsi non expressa, conditio: *Si preces veritate nitantur*, salvo praescripto can. 45. 1054.

CAN. 41 - In rescriptis quorum nullus est exsecutor, preces veritate nitantur oportet tempore quo rescriptum datum est; in ceteris tempore exsecutionis.

CAN 42 - § 1. Reticentia veri, seu subreptio, in precibus non obstat quominus rescriptum vim habeat ratumque sit, dummodo expressa fuerint quae de stylo Curiae sunt ad validitatem exprimenda.

§ 2. Nec obstat expositio falsi, seu obreptio, dummodo vel unica causa proposita vel ex pluribus propositis una saltem motiva vera sit.

§ 3. Vitium obreptionis vel subreptionis in una tantum parte rescripti aliam non infirmat, si una simul plures gratiae per rescriptum concedantur.

CAN. 43 - Gratia ab una Sacra Congregatione vel Officio Romanae Curiae denegata, invalide ab alia Sacra Congregatione vel Officio aut a loci Ordinario, etsi potestatem habente, conceditur sine assensu Sacrae Congregationis vel Officii quocum vel quibuscum agi coeptum fuit, salvo iure S. Poenitentiariae pro foro interno.

CAN. 44 - § 1. Nemo gratiam a proprio Ordinario denegatam ab alio Ordinario petat, nulla facta denegationis mentione; facta autem mentione, Ordinarius gratiam ne concedat, nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus.

§ 2. Gratia a Vicario Generali denegata et postea, nulla facta huius denegationis mentione, ab Episcopo impetrata, invalida est; gratia autem ab Episcopo denegata nequit valide, etiam facta denegationis mentione, a Vicario Generali, non consentiente Episcopo, impetrari.

CAN. 45. - Cum rescriptis ad preces alicuius impetratis apponitur clausula: *Motu proprio*, valent quidem ea, si in precibus reticeatur veritas alioquin necessario exprimenda, non tamen si falsa causa finalis eaque unica proponatur, salvo praescripto can. 1054.

CAN. 46 - Rescripta etiam *Motu proprio* concessa personae de iure com-

Titulus IV. De rescriptis —

- obtinendis valide —
  - quoad subiectum —
    - ea impetrans — Can. 36
    - pro quo ea impetrantur — » 37
  - cum effectu, quoad tempus — » 38
  - sub qua conditione —
    - expressa — » 39
    - tacita —
      - saltem — » 40
      - quo in tempore — » 41
      - ob vitium subreptionis vel obreptionis — » 42
      - ob denegationem —
        - apud Sedem Apostolicam — » 43
        - ab Ordinario — » 44
  - concessis motu proprio —
    - ob reticitum verum vel falsum propositum — » 45
    - propter alias circumstantias — » 46
  - cum errore materiale — » 47
- inter se contrariis — » 48
- interpretandis —
  - norma generalis — » 49
  - in dubio — » 50
- praesentandis —
  - absque exequutore ipsi Ordinario — » 51
  - quoad tempus — » 52
- exequendis —
  - sub qua praevia conditione — » 53
  - diversimode ob illorum formam — » 54
  - quo modo —
    - ad exequutionis validitatem — » 55
    - ad liceitatem quod attinet — » 56
  - per alium —
    - substitutum — » 57
    - nempe: successorem — » 58
  - iterum — » 59
- peremptis —
  - per quosdam actus — » 60
  - vel non, per Sedis Apostolicae, aut dioecesis vocationem — » 61
- quibusdam — » 62

muni inhabili ad consequendam gratiam de qua agitur. itemque edita contra alicuius loci legitimam consuetudinem vel statutum peculiare, vel contra ius alteri iam quaesitum, non sustinentur, nisi expressa derogatoria clausula rescripto apponatur.

Can. 47 - Rescripta non fiunt irrita ob errorem in nomine personae cui vel a qua conceduntur, aut loci in quo ipsa moratur, aut rei de qua agitur, dummodo, iudicio Ordinarii, nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio.

Can. 48 - § 1. Si contingat ut de una eademque re duo rescripta inter se contraria impetrentur. peculiare, in iis quae peculiariter exprimuntur, praevalet generali.

§ 2. Si sint aeque peculiaria aut generalia, prius tempore praevalet posteriori, nisi in altero fiat expressa mentio de priore, aut nisi prior impetrator dolo vel notabili negligentia suo rescripto usus non fuerit.

§ 3. Quod si eodem die fuerint concessa nec liqueat uter prior impetraverit, utrumque irritum est, et, si res ferat, rursus ad eum qui rescripta dedit, est recurrendum.

Can. 49 - Rescripta intelligenda sunt secundum propriam verborum significationem et communem loquendi usum, nec debent ad casus alios praeter expressos extendi.

Can. 50. - In dubio, rescripta quae ad lites referuntur, vel iura aliis quaesita laedunt, vel adversantur legi in commodum privatorum, vel denique impetrata fuerunt ad beneficii ecclesiastici assecutionem. strictam interpretationem recipiunt; cetera omnia latam.

Can. 51. - Rescriptum Sedis Apostolicae in quo nullus datur exsecutor, tunc tantum debet Ordinario impetrantis praesentari, cum id in eisdem litteris praecipitur, aut de rebus agitur publicis, aut comprobare conditiones quasdam oportet.

Can 52. - Rescripta, quorum praesentationi nullum est definitum tempus, possunt exsecutori exhiberi quovis tempore, modo absit fraus et dolus.

Can. 53. - Rescripti exsecutor invalide munere suo fungitur, antequam litteras receperit earumque authenticitatem et integritatem recognoverit, nisi praevia earundem notitia ad eum fuerit auctoritate rescribentis transmissa.

Can. 54. - § 1. Si in rescripto committatur merum exsecutionis ministerium, exsecutio rescripti denegari non potest, nisi aut manifeste pateat rescriptum vitio subreptionis aut obreptionis nullum esse, aut in rescripto apponantur conditiones quas exsecutori constet non esse impletas, aut qui rescriptum impetravit adeo, iudicio exsecutoris, videatur indignus ut aliorum offensioni futura sit gratiae concessio; quod ultimum si accidat, exsecutor, intermissa exsecutione, statim ea de re certiorem faciat rescribentem.

§ 2. Quod si in rescripto concessio gratiae exsecutori committatur, ipsius est pro suo prudenti arbitrio et conscientia gratiam concedere vel denegare.

Can. 55 - Exsecutor procedere debet ad mandati normam, et nisi conditiones essentiales in litteris appositas impleverit ac substantialem procedendi formam servaverit. irrita est exsecutio.

Can. 56. - Exsecutio rescriptorum quae forum externum respiciunt, scripto facienda est.

Can. 57. - § 1. Rescriptorum exsecutor potest alium pro suo prudenti arbitrio sibi substituere, nisi substitutio prohibita fuerit, aut substituti persona praefinita.

§ 2. Si tamen fuerit electa industria personae, exsecutori non licet alteri committere nisi actus preparatorios.

Can. 58. - Rescripta quaelibet exsecutioni mandari possunt etiam ab exsecutoris successore in dignitate vel officio, nisi fuerit electa industria personae.

Can. 59. - § 1. Exsecutori fas est, si quoquo modo in rescriptorum exsecutione erraverit, iterum eadem exsecutioni mandare.

§ 2. Quod attinet ad taxas pro rescriptorum exsecutione, servetur praescriptum can. 1507. § 1.

Can.. 60 - § 1. Rescriptum, per peculiarem Superioris actum revocatum, perdurat usque dum revocatio ei, qui illud obtinuit, significetur.

§ 2. Per legem contrariam nulla rescripta revocantur, nisi aliud in ipsa lege caveatur, aut lex lata sit a Superiore ipsius rescribentis.

CAN. 61. - Per Apostolicae Sedis aut dioecesis vacationem nullum eiusdem Sedis Apostolicae aut Ordinarii rescriptum perimitur, nisi aliud ex additis clausulis appareat, aut rescriptum contineat potestatem alicui factam concedendi gratiam peculiaribus personis in eodem expressis, et res adhuc integra sit.

CAN. 62 - Si rescriptum contineat non simplicem gratiam, sed privilegium vel dispensationem, serventur insuper praescripta canonum qui sequuntur.

98. **Inscriptio Tituli.** Deinde occurrit considerandus *Titulus IV* inscriptus *De rescriptis*, quae sunt etymologice *responsa scripta*, sed in Iure Romano « responsa principis verae precationi quae rem aperiat cognoscendam », unde promanavit in Ius Decretalium sub eadem rubrica. Ex his [1] deducimus rescripta esse « quas aliquis super aliqua causa (vel negotio) ab Apostolica Sede impetraverit litteras, praevia earum tenori inserta consultatione, insinuatione suggestiva vel precatione ». Hinc superveniente Romana Curia non immerito SS. Romanarum Congregationum responsa vocata fuerunt Rescripta. In Codice autem, ut patet statim ex can. 36, haec inscriptio ampliorem obtinuit significationem iuridicam, quae fundatur in verbi etymologia, et praecedenti iure simul ac in Ecclesiae « divina institutione », ex qua « Episcopi sunt Apostolorum successores atque ecclesiis praeficiuntur cum potestate (Pastoris sufficienti) ordinaria, (quamvis) sub auctoritate Romani Pontificis » (can. 329, § 1). Hinc ut societatis ecclesiasticae principes merito reputantur, eosque Romanus Pontifex appellat fratres.

99. **Ordo canonum** est huiusmodi. Personae quae et pro quibus obtineri valeant rescripta cognoscuntur ex can. 36, 37, et quandonam cum effectu dicitur in can. 38, conditiones tum expressae tum tacitae considerantur in can. 39-44, vis verborum *motu proprio* ac erroris materialis edicitur in seq.s 45-47. Rescripta ad invicem opposita iudicanda sunt ex can. 48 et duo sequentes edocent normas interpretationis. Cui, sine exequutore, et quando sint rescripta haec praesentanda edocemur per can. 51, 52. De exequutione rescriptorum sunt can. 53-59, et post duos alios circa rescriptorum peremptionem, quid servandum sit circa determinata rescripta dicitur can. 62.

100. **Subiectum concedens aut recipiens validum rescriptum.** Ex parte concedentis distinguuntur in *can. 36*. § 1.

[1] Cap. 3, tit. III, Lib. I.

Rescripta idest: responsa scripta ad preces, consultationem aut insinuationem ibi insertam alicuius fidelis *tum Sedis Apostolicae* ad normam generalem can. 7, *tum aliorum Ordinariorum* cum officio sive divinae sive ecclesiasticae institutionis ad normam can. 198, § 1, *impetrari* propter precum porrectionem *libere* ad leges quod attinet *possunt* (qua subiectum concessionum per ipsa) *ab omnibus* fidelibus ex iure per baptismum obtento, sive viris sive feminis, tum laicis, tum religiosis, tum clericis, aut subditis, aut Praelatis, *qui expresse* verbis canonum vel per auctoritatem ecclesiasticam competentem *non prohibentur*. His ergo applicatur quod legitur in cap. « Cum apud Sedem » 33 de Sponsalibus et matrimonio (IV, 1): « Cum prohibitorium sit edictum (de matrimonio contrahendo), quicumque non prohibetur per consequentiam admittitur ». Aliud erat ex Iure Romanorum edictum permissorium sic expressum in cap. « Corporalia » de translatione Episcopi (I, 7): « Prohibitum intelligitur, quod non reperitur concessum ».

Quaenam sint hae prohibitiones a iure quoad omnia S. Sedis rescripta ostendit § 2, variatis hac in parte Normis pro Curia Romana, queis nova fuit inducta disciplina [1] « a die III Nov. 1908 ». Eisdem verbis citatae normae incipit § 2. *Gratiae* praeter ius vel secundum ius *et dispensationes* contra ius vigens *omne genus* scilicet: de qualibet materia et sub quacumque forma proindeque rescripti, huiusque non attenta distinctione gratiae et iustitiae ex Decretalibus [2], quae *a Sede Apostolica* (can. 7), sint *concessae*, sed potiori motivo ab Ordinariis obtentae, quia Decretalium prohibitiones respiciebant illas expresse, propter quas auferendas dicitur: *etiam censura*, « excommunicatione, interdicto, suspensione » (can. 2255, § 1) *irretitis*, aliqua ergo ex iis iam incursa, « ratae » ut in normis seu *validae* sunt, atque sub illis comprehenduntur quoque omnes haeretici externi, non obstante contrario Decretalium et Romanorum iure. Attamen qua tales; cum enim excommunicati sint, non est obliviscendum quod sequitur: *salvo praescripto can. 2265*, § 2 cui se referunt aliae duae citationes, nempe: « quod si haec sententia (declaratoria excommunicationis vel condemnatoria ad ipsam equidem in iudicio ad normam can. 1868, § 1, non si excommu-

[1] Ordo servandus in S. Congregationibus, Tribunalibus, Officiis Curiae Romanae, 29 Sept. 1908. Pars II, Normae peculiares, Cap. III, Art. 1⁰, n. 6⁰. - CO. I, 61. — [2] Cap. 1, h. t. in 6⁰.

nicetur quis « per modum praecepti extra iudicium » can. 1933, § 4) lata fuerit, (sic intelligendo ex Codice verbo « nominatim » ex normis cit.[s]) excommunicatus nequit praeterea (seu ultra prius ibi expressa) gratiam ullam pontificiam valide consequi, (nam Ordinarius factum bene noscere poterit, non vero semper Sancta Sedes, quod si conscia foret vel apprime vellet rescripti validitatem manutenere, additur): « nisi in pontificio (idest: Sedis Aplcae. ex can. 37) rescripto mentio de excommunicatione fiat » cognita vel in casu quo urgeret. — Hoc praescriptum citant sic *can. 2275, n. 3:* « Praescripto can. 2265 etiam ipsi (personaliter interdicti) adstringuntur » et *can. 2283* tenoris sequentis: « Quae de excommunicatione can. 2265 (per totum) statuuntur, etiam suspensioni (generaliter lata et a quocumque) sunt applicanda », non tantum « poenae suspensioni a divinis a S. Sede nominatim inflictae » ut dicebatur in cit.[s] Normis, ubi nulla mentio de interdicto inveniri potest.

101. **Rescripti impetratio in alterius gratiam.** De his, qui per rescriptum favorem obtinent, statutum est in can. praec., de illis vero qui sunt intermediarii statuit *can. 37. Rescriptum* cuiuslibet et quodlibet ut supra *impetrari potest* (facti speciem exponendo) ab eo qui preces porrigit *pro alio* distincto *etiam praeter eius assensum,* forsitan ignorante vel nolente impetrationem; hoc imprimis constat. Secundo *et licet ipse* praefatus, non assentiens iuxta contextum sequentem, *possit* iure ac licite *gratia* sibi *per rescriptum* fortassis iam exequutum *concessa non uti*, sive illa sit ad unum vel ad plures casus, nam ex reg. iuris in 6° « 61. Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum ». Additur tertio: *rescriptum tamen* qua tale *valet,* quia etiam « invito beneficium datur » (Reg. iuris Caesarei ex Pandectis), *ante eius acceptationem* rescripti huiusve forsitan iam factae exequutionis, *nisi aliud* nempe: acceptatione deficiente non valere rescriptum, vel e contra rescriptum omnino exequendum adhuc contra invitum in quodam singulari casu propter iustam causam et a Sede Apostolica impetratum, *ex appositis* in eo *clausulis* certo *appareat.*

102. **Vigens disciplina quoad huiusmodi procuratores apud Romanam Curiam** [1]. *Pro privatis.* « 1° Christi fideli cuique

[1] Ordo servandus in S. Congr.[s] Tribun.[s] Offic.[s] Rom. Curiae 29 Sept. 1908, Pars I, Cap. X. CO. I, 53.

patet aditus ad S. Sedis officia, servata rite forma quae decet, et facultas est cum iisdem agendi per se de suis negotiis... ».

« 3° Si vero procuratoris desideret operam, eius eligendi arbitrium sibi relinquitur, servatis tamen normis C. IX sect. 1 constitutis » (ut infra).

Pro Ordinariis. 4° Ordinarius unusquisque potest ipse per se in variis Aplcae. Sedis Officiis negotia libere tractare, non solum quae seipsum spectent, sed etiam quae dioecesim ac sibi subditos fideles ad ipsum confugientes.

5° Quoties Ordinarius velit ipse per se de negotio aliquo agere, sive praesens in Curia, sive per litteras a sua sede mittendas, Officium praemonebit quocum ei erit agendum. Tunc vero in positione adnotabitur: *personalis pro Ordinario;* resque nullis interpositis procuratoribus agetur.

6° Ordinarius, qui petit directo agere cum Officio aliquo, sibi assumit solvendas impensas, non modo pro acceptis redditisque litteris et scriptis, aut pro aliis rebus necessariis, sed etiam pro taxationibus praescriptis in singulis actis.

8° Si procuratore uti velint, normis inhaerebunt c. IX, sect. 2 declaratis.

9° Mandatum, quo ab Ordinario procurator eligitur, potest usque rescindi ad formam iuris communis; in eamque rescissionem, utpote rem ad fiduciam pertinentem, nulla datur inquirendi aut expostulandi facultas.

10° Vicario capitulari non licet, electum ab Episcopo procuratorem cum alio mutare; at poterit cum S. Sedis Officiis directo agere, ad normam art. 4°, 5° et 6° huius sectionis ».

De procuratoribus privatis [1]. « 1° Qui ad S. Sedem recurrens sui particularis ac privati negotii causâ uti opera velit procuratoris, potest ad id munus deputare quemlibet suae fiduciae virum, dummodo catholicum, integra fama, et ad Officium, in quo agenda sit res, minime pertinentem. Praeterea oportet eumdem legitimo mandato munire, quod in Actis, ad ipsius Officii cautionem, servabitur; aut sin minus apud Moderatores eiusdem in tuto ponere delecti viri honestatem et requisitas conditiones.

[1] Ibidem. C. IX.

2º Si exhibitum virum Moderatores iudicaverint admitti non posse certiorem facient mandantem, ut aliter consulat.

De procuratoribus publicis. 3º Ad procuratoris munus legitime et constanter obeundum pro Episcopo eiusque dioecesi, oportet inscriptum habere nomen in procuratorum albo, quod patebit in Officio a secretis S. Cong. Consistorialis.

7º Nihil obstat quominus Ordinarius procuratorem eligat virum nondum in album relatum; qui tamen ante quam exerceat mandatum, inscriptionem postulabit.

Hoc autem in casu Ordinariorum prudentiae relinquitur ante videre, num cui forte obstaculo propositus procurator possit esse obnoxius, ne sese repulsae periculo obiiciant.

8º Praeter inscriptionem in album, ut quis publicus habeatur et stabilis procurator dioecesanus, necessario requiritur iustum Ordinarii mandatum ab adlecto exhibendum, cuius mandati authenticum exemplar apud Officium a secretis Consistor.ˢ Cong.ˢ deponetur.

10º Quae scripta data sint obsignata, inviolata transmittenda sunt; neve procurator unquam ullâve de causa sibi fas esse ducat ea resignare. Qua in re cuiusvis generis culpa censebitur gravis.

13º Nemini procuratori licet pro sua opera maiorem pecuniae summam exigere quam quae pro rescriptis, Brevibus, Bullis Officiorum S. Sedis constituta sit atque descripta: quam qui fregerit legem, restitutionis obligatione tenebitur, etiam poenis aliis non irrogatis ».

103. **Initium effectus iuridici rescriptorum.** Rescripta quaecumque prae se ferunt datam temporis quo a Curia expediuntur, et per eam exprimitur, quod apud Canonistas audit *tempus datae,* sed praeterea in quibusdam rescriptis necessarii sunt exequutores, ut rescriptum sortiatur proprium effectum. Hinc considerari potest quoad ea, et debet, tempus quo rescriptum offertur illi personae quae illud exequutura est, et hoc apud Auctores vocatur *tempus praesentatae.* Demum est animadvertendum aliud tempus, videlicet: *exequutionis rescripti.*

« Gratiae [1], quae a S. Sede scripto conceduntur, communiter ab ipsa directo promanant per personas et Officia iure recognita.

[1] Ordo servandus... Pars II, Cap. III, nn. 3º, 4º. CO. I, 63.

Quandoque vero supplex oratoris libellus ad Ordinarium, vel ad alium eius loco ecclesiasticum virum per personas et Officia memorata remittitur, cum facultatibus petitam gratiam largiendi, sive totam sive certis limitibus circumscriptam.

Ubi vero ab ipsa S. Sede, interposito nemine, gratia impertiatur, exarari rescripta possunt, aut forma gratiosa, aut commissoria. — Si forma gratiosa, exsequutorem suapte natura non postulant ». Ab his ergo incipit *can. 38. Rescripta* cuiuslibet iuxta Tituli inscriptionem *quibus gratia* expetita *conceditur*, ergo rescripta tum gratiae, tum iustitiae, sed haec sine iudicis interventu ad illorum effectum, nam dicitur *sine interiecto exequutore* idest: « in forma gratiosa », *effectum habent,* seu pariunt ius quaesitum oratori vel illi pro quo impetratum est ad normam can. praec.[s], *a momento quo datae sunt litterae* non iam oratori aut procuratori, sed a temporis datae momento, ita ut necesse sit tunc existere causas expositas in rescripti parte narrativa, proindeque voluntas rescribentis dimetiri debet ex circumstantiis illius datae, sicut et vis ac extensio rescripti; *cetera vero* rescripta cuiuslibet ut supra, tum « in forma commissoria » tum « remissis precibus Ordinario cum facultatibus » *a tempore exsequutionis* per delegatum in postremo casu, per merum executorem in altero. Hoc ergo inspicere oportet pro efficacia rescripti iuridica quoad veritatem causarum, vim rescripti eiusque amplitudinem. Haec omnia iuri praecedenti in normis congruunt « quando agitur de rebus gratiae » (loc. cit.).

104. **Conditiones in rescriptis expressae** sunt clausulae insertae, quae vel obiectum rescripti respiciunt forsitan gratiam limitantes, aut moderantes usum, vel exequutionis formam aut delegati conditiones exprimunt. Has distinguens alio sub respectu ait *can. 39. Conditiones in rescriptis* singulis, sed quibuslibet secundum tituli inscriptionem, *tunc tantum* (alias enim uti accidentales sunt habendae praecepta continentes vel monitionem) *essentiales pro eorumdem* rescriptorum *validitate* servandae *censentur* appositae, *cum* incipiendo *per particulas* unam alteramve *si*, *dummodo, vel aliam eiusdem significationis* grammaticaliter, non iam ut dicebatur ab Auctoribus « ablativo absoluto » *exprimuntur*.

Cum hae pertineant ad formalem rescriptorum naturam, explicare oportet formam legitimam rescriptorum S. Sedis adesse, semper

ac in eorum expeditione servantur solemnitates requisitae de iure et stylo Curiae. Formalis rescriptorum natura exurgit ex contentis in rescripto quoad eorum significationem. Ad hanc requiritur 1° narratio seu species facti, sed non semper in eo inseritur, in qua exponuntur obiectum et causa supplicationis iuxta libellum S. Pontifici seu S. Congregationi oblatum; 2° ipsa supplicatio, quae cum narratione, si haec inserta fuerit, constituit corpus seu obiectum signaturae, idest partem expositivam, cui 3° sequitur pars dispositiva, in qua R. Pontifex vel S. Congregatio exprimit et rem concessam et conditiones factae concessionis, de quibus in canone dictum est. Quoad materialem rescriptorum naturam, quoad ea nempe quae statim in eis inspiciuntur, est legitima forma, si praemittitur nomen S. Congregationis vel Officii rescribentis, quia [1] « Epistolae ac rescripta redigentur communiter in foliis, quae inscriptum gerant suae Congregationis nomen, induentque formam ex instituto Romanae Curiae vigentem ». Hinc adiiciatur oportet annus, dies, mensis, locus, atque illae adsint subscriptiones ac sigillum quae ex iure vel stylo Curiae Romanae requiruntur pro diversitate rescriptorum ex SS. RR. Congregationibus promanantium.

Quoad formam et subscriptiones Actorum SS. Congregationum et Tribunalium ac Officiorum S. Sedis, de quorum authenticitate facilius in praxi constat, consuli possunt Normae peculiares: Cap. VII. — Art. I. Congr. S. Officii 6°. — Art. II. Congr. Consistorialis 10°. — Art. III. Congr. de Sacramentis 13°-17°, 24°. — Art. IV. Congr. Concilii 7°. « Congressus autem est, ad normam iuris communis, ...ordinarias res expedire, solitas gratias concedere usitatis formis... ». — Art. X. Congr. pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis. « Huius pariter Congr.^s ...ratio disciplinae immutata manet... ». — Art. XI. Congr. Studiorum... « 4° Si qua velit in posterum studiorum Universitas aut Facultas nova constitui, opus est id fieri per Breve. Nulla pariter in praesentem Facultatum et Universitatum statum gravior immutatio induci poterit nisi per Breve ». — Cap. VIII. Art. I. Sacra Poenitentiaria. « 3° Iuxta memoratae Const. *In Apostolicae* [2] Bened. XIV praescripta, omnia *secreto et gratis* in hoc sacro tribunali expedientur ». Illa Const. non respicit concessionem et usum indulgentiarum nunc temporis sita sub ipsius Tribunalis com-

[1] Ordo servandus... Pars II, C. VI, n. 6°. CO. I, 73. — [2] 7 Apr. 1724.

petentia. — Cap. IX. Art. II. Dataria. « 3° Bullae collationis prima perscriptio (*minuta*) fieri debebit ab uno adiutore, et loco erit veteris, uti vocant, *supplicationis;* eaque in actis servabitur ad cautionem et recognitionem, si qua forte inciderit impugnatio. Nihil immutatur in invecto usu providendi nonnumquam beneficiis per decretum *simplicis signaturae,* hoc est nullis Bullis expeditis.

4° Subscribetur Bullis a Card. Datario, eoque impedito, a Card. a publicis negotiis seu *a secretis Status*, contra posita subscriptione illius officialis, qui primus ordine temporis post Datarium sit, et in officio adsit ».

105. **Subintelligenda conditio ut plurimum essentialis.** Ex cap. 2 huiusmodi Tituli Decretalium est desumptus *can. 40. In omnibus* gratiae ac iustitiae *rescriptis* cuiuslibet auctoritatis *subintelligenda est* tum ex rei natura, tum ex legislatoris ecclesiastici voluntate, *etsi non expressa* verbis nec implicite, *conditio: Si preces veritate nitantur* tum circa motiva seu causas ob quas illae porriguntur, tum circa facta alioquin exprimenda; *salvo praescripto can. 45,* quando reticentia huiusmodi veritatis validitati rescripti non obstat, et *can. 1054,* quando matrimonialis dispensatio non irritatur « etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit ». Prima exceptio iam vigebat ob cap. 22 de praebendis et dignitatibus in 6° (III, 4), secunda vero fuit ampliatio eiusdem capitis ad falsi quoque expressionem quoad dispensationes a minoribus impedimentis facta per Pium PP. X in Normis peculiaribus [1].

106. **Quo tempore sit illa conditio necessaria.** Ad distinctionem rescriptorum in can. 38 declaratam respectum habet, quoad subintellectam ex can. 40 in rescriptis clausulam *can. 41. — In rescriptis* proprie dictis et absque alia distinctione *quorum nullus est executor*, quia « effectum habent a momento quo datae sunt litterae », *preces veritate nitantur* ob can. 40 *oportet tempore quo* huiusmodi *rescriptum* unumquodque *datum est,* per idem cognoscendo; *in ceteris* ob similem rationem ex can. 38, *tempore executionis,* quando « effectum habet », existere opus est veritatis fundamentum. Sic facilior evasit intricata disciplina ob varia iuris Decretalium capita.

107. **Vitia rescriptorum** vocantur a Doctoribus et in Codice

[1] Ordo servandus... Cap. VII. Art. III, n. 21°. CO. I, 91.

defectus in parte expositiva rescripti. De his loquitur *can. 42.* — § 1. *Reticentia veri* alicuius facti ex iure vel stylo Curiae exprimendi ab oratore, *seu subreptio,* quod verbum intentionem ac fraudem innuit, sed ex usu ab eadem voluntate atque cognitione obligationis abstrahit, dum additur: *in precibus, non obstat,* quod interest post factum scire, *quominus rescriptum* per illas obtentum *vim habeat* etiam impetratum « pro alio praeter eius assensum » (can. 37) *ratumque sit,* vel recognoscatur ut validum in foro quoque externo, quamvis in hoc vitium illud in probatis esset, *dummodo expressa fuerint* « in precibus » inter necessaria ut supra, ad minus ea, *quae de stylo Curiae* rescriptum concedentis *sunt* etsi non de iure scripto *ad validitatem exprimenda.* In hoc stylo seu usu Curiae Romanae ab Auctoribus relato, sub hoc Decretalium titulo vel pro diversis materiis, distinguere oportet, quae propter ius scriptum (forte nunc saltem quoad necessitatem huiusmodi mutatum) requirebantur in praxi, et alia « necessaria exprimenda » solo ex Curiae Romanae stylo. De his enim non de illis intelligenda est §us canonis, excepto casu quod illorum aliquod in stylum futurum transeat.

Praeter vitium subreptionis, datur aliud quod facilius malae fidei erit tribuendum, de quo statuit § 2. *Nec obstat* velut norma generalis ut in §o praec. *expositio falsi* quoad facti circumstantias vel motiva seu causas in precibus, *seu obreptio* ut iam dicebatur a Doctoribus ex praec. iure, *dummodo* a) *vel unica causa proposita* b) *vel ex pluribus propositis* causis concessionis, quae possunt esse motivae seu finales propter quas rescribens gratiam concedit, et impulsivas quae non movent principaliter rescribentem ut gratiam concedat absque ipsis etiam concessurum, sed facilius idipsum peragit, propter quod ait canon *una saltem motiva,* cui aequipollent omnes simul impulsivae, *vera sit.* Falsitas vero circumstantiarum, si hae sunt accidentales gratiae aequaliter concedendae, non obstat; sin autem facti speciem iuridice mutent, tunc gratia fortassis rescripto obtenta non illum casum attingeret.

Cum rescripta queant unam continere gratiam respectu nempe unius legis canonicae vel ad eumdem effectum iuris ordinatam v. gr. ordinationem forsitan pluribus ex legibus vetitam, aut e contra plures gratias in effectu non connexa, pro his semper, pro illis vero quandocumque casus detur, ac secundum reg. iuris 37 in 6°. « Utile non debet per inutile vitiari », sequitur in can. 42, § 3. *Vitium*

obreptionis vel subreptionis disiunctive aut copulative accidant *in una tantum parte rescripti,* nempe: in expositione facti vel causarum pro una gratia, unde huius concessio sit nulla iuxta praecedentes canones, *aliam* partem eiusmodi expositionis verae ac sufficientis respectu ad alteram gratiam, et consequenter hanc concessam *non infirmat* vel viribus destituit, *si una simul* ex tenore concessionis *plures gratiae* in ordine ad plures ut supra leges, ac in eodem datae tempore, eo quod additur singulariter *per rescriptum,* idemque dicatur fortiori motivo quando per diversa rescripta *concedantur.* In hoc enim postremo casu multoties nec dubium exurgeret.

108. **Invaliditas rescriptorum Sedis Aplcae. ob praeviam denegationem.** Pius X. s. m. in Normis peculiaribus [1] sic edixit: « Etsi, abrogata iurium cumulatione in Sanctae Sedis officiis (generaliori sensu), sua cuique negotio sit constituta sedes, (iuxta scopum partiale const. « Sapienti consilio »); nihilominus, quia in peculiaribus casibus dubitationi, aut errori locus esse potest, firma manet antiqua lex (nempe: Innoc. XII Dec. « Ut occurratur » 4 Iun. 1692), qua, delato et excepto ab aliquo Officio (ut supra) supplici libello pro impetranda re sive ad gratiam pertinente sive ad iustitiam (idest: ad iudiciale forum), nemini ulla de causa licet aliud suo marte Officium ad eumdem finem adire; sed opus est adsensu Officii ipsius quocum agi coeptum est, aut Congregationis Consistorialis decreto, quo venia detur transmittendi negotii. — Quaevis concessio ab Officio alio profecta, contra memoratam legem, irrita esto ».

Cum haec irritans prohibitio congruat iuris principio in regula 84 in 6° expresso: « Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti », fuit retenta cum correctione atque ampliata iuxta idem principium in *can. 43. Gratia* etiam respectu iudiciorum *ab una Sacra Congregatione* qualibet *vel Officio Romanae Curiae* ex illis sex in art°. III Cap^s^. IV tit^i^. VII recensitis, nam de Tribunalibus eiusdem Curiae remittendum ad Lib. IV, *denegata,* quod supponit « delato et excepto supplici libello » additque negativam responsionem eidem datam, non solam reiectionem illius propter Congregationis indicatam incompetentiam, *invalide* « gratia »

[1] Ordo servandus... Pars altera. Cap. I, 2°.

illa singularis *ab alia* respectu denegantis ac disiunctive a) *Sacra Congregatione* b) *vel Officio* c) *aut a loci Ordinario*, praecise a) ob illam denegationem antea declaratam, nam dicitur: *etsi potestatem habente* sive iuxta Normarum textum quoad illam et istud, sive ordinariam delegatamve quoad Ordinarium, *conceditur* equidem per rescriptum vi vocis quamvis alia sub forma v. gr. Brevis, b) *sine assensu Sacrae Congregationis vel Officii quocum vel quibuscum* licite aut illicite, nam lex ista irritans continet quoque normarum prohibitionem ex verbis *coeptum fuit*, unde invaliditas est asserenda quamvis denegatio, quae fortassis timeatur, non praecesserit. Et quamvis S. Poenitentiaria sit non Congregatio nec Officium, sed Tribunal, canonem respicere solummodo forum externum edicitur per clausulam: *salvo iure S. Poenitentiariae pro foro interno* etiam quoad gratias in foro externo positive denegatas. Quid vero quoad indulgentias forsan concessas alicui orationi, cuius approbatio fuit, quamvis occulte, per Sacram Congr^em^. Supremam denegata? Absdubio ex postrema canonis clausula est invaliditas concessionis earum asserenda ob defectum voluntatis in S. Poenitentiaria de praetermittendo iure S. Congr^s^. S. Officii.

109. Extensio can^s^. praec^s^. ad Ordinariorum rescripta expostulabatur rationabiliter ob eandem reg. 84 Iuris in 6°. Quae ampliatio sic moderata fuit in *can. 44.* — § 1. *Nemo* cuiuscumque gradus, officii, dignitatis, etiam religiosus religionis clericalis exemptae, *gratiam* eandem in singulari ex iurisdictione profecturam *a proprio*, cui subiicitur et competente quoad illam v. gr. dispensationem impedimenti cuiusdam matrimonii, *Ordinario*, (can. 198, § 1) et religiosus supra dictus ab uno Superiore ipsius maiore, *denegatam* positivo modo iuste vel irrationabiliter, *ab alio Ordinario* etsi proprio, ut supra declaratum est, vel solum competente *petat, nulla facta* praecedentis *denegationis* quoad eandem gratiam v. gr. per Superiorem regularis quoad facultatem audiendi confessiones confratrum in Ordine clericali, *mentione* in cuius omissione sita est praescripti transgressio; *facta autem mentione* iam declarata, prosequitur canon, ac proinde licite precibus porrectis huic Ordinario alii saltem competenti, *Ordinarius* hic *gratiam* de qua in canone *ne concedat*, prohibitio haec supervenit huic Superiori ecclesiastico equidem illud scienti, ast solum sub conditione: *nisi habitis* praevia expostulatione vel non *a priore Ordinario* nempe: qui eandem gra-

tiam denegavit ut supra, *denegationis rationibus*. His tamen deferre non tenetur vi canonis, sed prudentiam sequi debet cum mutua reverentia aliis Ordinariis debita.

Praecedentis §[1] praescripto multiplici « aut actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse vel aequivalenter (non) statuitur » (can. 11). Hinc gratia prius denegata, si postea obtineatur vel concedatur respective secundum canonem vel contra illum est validum rescriptum, nisi casu quo incidat sub §° 2. *Gratia* quaelibet *a Vicario Generali* « qui Episcopum potestate ordinaria in toto territorio adiuvat » (can. 366, § 1) *denegata* positive, praeviis ergo precibus, *et postea*, sub conditione: *nulla facta huius denegationis* sola *mentione*, cum hoc subreptionis vitio ex simplicitate vel dolo *ab Episcopo impetrata, invalida est* vi huius canonis, quam Episcopus per clausulam v. gr. motu proprio aliamve convenientem posset validam facere; propter Episcopi tamen maiorem debitam reverentiam sequitur: *gratia autem* quaecumque *ab Episcopo* « et nomine Episcopi, in iure venit quoque Abbas vel Praelatus *nullius* » (can. 215, § 2) *denegata* ut supra *nequit valide* vi huius canonis denegantis facultatem, *etiam facta* huius *denegationis mentione*, *a Vicario* eiusdem *Generali*, *non consentiente Episcopo*, quo consensu recederet a propria decisione, *impetrari*. Statutum valde congruum regulae iuris 72 in 6°: « Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum ».

110. **Rescripta motu proprio concessa cum vitio**. De clausula huiusmodi decrevit Bonif. VIII in cap. 23 « de praebendis et dignitatibus » (III, 4): « Si *motu proprio* alicui aliquod beneficium obtinenti conferamus aliud de illo non habita mentione: non ob hoc gratiam huiusmodi, quae de nostra mera liberalitate processit (et haec est decidendi ratio), invalidam volumus reputari. Secus si ad petitionem illius vel alterius pro eodem oblatam, gratiam huiusmodi faciamus: tunc enim quantumcumque modicum beneficium taceatur in ea, ipsam veluti subreptitiam vires nolumus obtinere ». Imo Clemens V in Conc. Viennensi ait [1] propter illam clausulam: « provisionem seu gratiam huiusmodi fore validam declaramus, qualiacumque fuerint beneficia, dignitates, aut personatus cum cura, vel sine cura, et in numero quantocumque quae is habeat,

[1] Cap. 4 eiusdem tit. in Clem.

cum sibi provisio facta fuit ». Haec disciplina communissime ad quaslibet gratias ante Codicem extensa sic transcripta invenitur in *can. 45.* — *Cum rescriptis* « tum Sedis Apostolicae tum aliorum Ordinariorum » *ad preces alicuius* pro se vel pro alio *impetratis apponitur*, ut patet in parte dispositiva, *clausula: Motu proprio* iuxta illud Bonif. VIII (loc. cit.) : « Motu quoque proprio tunc solum gratia fieri censeatur, cum hoc expresse cautum fuerit in eadem », *valent quidem ea* rescripta, *si in precibus reticeatur* bona vel mala fide *veritas* facti *alioquin* ex iure v. gr. ex can. 44, § 2 vel ex Curiae stylo *necessario exprimenda,* unde cum huiusmodi subreptionis vitio: *non tamen* « valent » rescripta cum praelaudatae clausulae munimine in sequenti solo casu obreptionis: *si falsa causa* a) *finalis* proinde motiva b) *eaque unica proponatur,* quando nempe « obstat obreptio, quominus rescriptum vim habeat » (can. 42). *salvo praescripto* quoad obreptionem in canone hoc expressam *can*s. *1054* statuentis validitatem rescripti etiam carentis praefata clausula *motu proprio*, « etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit » (can. 1054).

111. **Limitatio effectus clausulae motu proprio ex can. praecedenti.** Congruit iuri Decretalium in fontibus Codicis citato, seu « ius vetus ex integro refert » (can. 6, 2°) *can. 46. Rescripta* quaelibet ut in can. praec. *etiam* verbis *motu proprio concessa* a) *personae de iure communi* id est ; ex Codicis aliquo canone v. gr. « can. 2265, § 2 » (can. 36, § 2) *inhabili ad consequendam* valide *gratiam de qua agitur* in tali rescripto, sicut de beneficii provisione cavebat cap. 9 « de rescriptis » in 6°, *itemque edita* praefata rescripta b) *contra alicuius loci legitimam consuetudinem* scilicet : « rationabilem et legitime per annos quadraginta continuos et completos praescriptam » (can. 28), *vel statutum peculiare*, sive norma sit iuxta canones condita v. gr. per Capitulum, sive auctoritate dominativa in religionibus, aut vi iurisdictionis illud promanet, multo magis si iuramento roboratum aut maiori auctoritate sit confirmatum, vel denique sit privilegium, c) *vel contra ius alteri quaesitum* secundum quod scriptum est in cap. 8 « de rescriptis » in 6° : « cum talis restitutio (ad gratiam prius revocatam), ubi aliud non exprimitur, intelligatur fieri sine iuris praeiudicio alieni », *non sustinentur,* quia et inhabilitas illa et « locorum specialium consuetudines et statuta » et personarum singularium iura, cum haec

omnia « sunt facti, et in facto consistant, potest rescribens probabiliter ignorare »[1], unde rationabiliter legislator voluit ut per rescripta praedicta, « nisi expresse caveatur in ipsis, non intelligatur in aliquo illis derogari », idest : ut ait canon : *nisi expressa* de singulis praedictis *derogatoria clausula,* nec sufficeret illa « non obstantibus quibuscumque in contrarium », *rescripto apponatur.* Imo « derogatoria clausula » apposita esset intelligenda iuxta potestatem rescribentis, ac non amplius.

112. **Errores materiales in rescriptis.** Plura sunt Decretalium capita in titulo « de rescriptis » et in altero « de fide instrumentorum », per quae nullitas vel validitas asseritur secundum quod falsitatis documenti suspicio adsit vel secus. Melius quoad rescripta providetur per *can. 47. — Rescripta non fiunt irrita ob errorem*, qui facile accidere potest, non tantum ex omissione alicuius litterae, ut iam decreverat Honorius III in cap. 11 « de fide instrumentorum » (II, 22) hac de causa non esse « rescriptum Apostolicum, ut asserebatur, vitiosum », sed etiamsi error accidat *in nomine* a) *personae*, quo haec etiam ex parentibus denominatur, designante forsan personam diversam ab ea, *cui* v. gr. ob difficultatem cognominum aut nescientiam de persona in formulante preces, *vel a qua* propter defectum vel negligentiam amanuensium per quos scribuntur quae *conceduntur* rescripta, b) *aut* « ob errorem in nomine » *loci*, etsi locus iste insertus sit dioecesis (derogato cap^{e}. 34 « de rescriptis » I, 3), *in quo ipsa* persona, cui conceditur rescriptum, *moratur* actu, c) *aut* « ob errorem in nomine » *rei de qua agitur,* hac non substantialiter mutata respectu gratiae concessae, nam praefati errores in ordine ad mentem ac voluntatem rescriptum concedentis accidentales sunt, quod cavetur in sequenti clausula : *dummodo, iudicio Ordinarii*, quia de re fori externi ut plurimum agitur, et ne arbitrio privatorum nimis ac periculose deferatur, *nulla sit* ob circumstantias tum rescripti tum eiusdem impetrationis *de ipsa persona vel re* circa quas error versatur, *dubitatio* prudens. Hinc certitudo moralis obtentae gratiae in huius canonis obiecto attenditur, potiusquam de materialibus ipsius rescripti conditionibus curetur.

Ad vitandas de rescriptis dubitationes, data est norma Curiae

[1] Cap. 1 « de constitutionibus » in 6^{0}.

Romanae scriptoribus amanuensibus [1]: Hi « curam omnem adhibebunt, ut quavis menda scriptura careat; nec subscribendam tradent, nisi prius attente perlegerint. Huic diligentiae qui desit identidem, praebere poterit causam, cur in ipsum severius animadvertatur. Absoluta scriptione, nomen suum et cognomen initialibus litteris positioni adiicient in confecti operis testimonium ».

113. **De praevalentia rescriptorum mutua.** Reg. iuris 34 in 6°: « Generi per speciem derogatur » multis fulcitur Decretalium capitibus in tit. « de rescriptis » (I, 3) tum iustitiae tum gratiae. Quapropter his congruenter praescribit *can. 48.* § 1. *Si contingat* ut in paucioribus casibus *ut de una eademque re*, singulari negotio vel causa, *duo rescripta inter se contraria* quoad partem eorum dispositivam, ita ut servari utrumque nequeat, *impetrentur*, etiam ante ipsorum exequutionem fortassis requisitam, rescriptum *peculiare* respectu contrarii sive quoad personas, sive quoad negotia, tempus utendi gratia, etc., propter quod dicitur: *in iis quae peculiariter exprimuntur*, *praevalet generali*, hoc est: illud non istud quoad idipsum valet.

Ex pluribus Decretalium capitibus, quae decernunt circa opposita sibi invicem rescripta iustitiae aut gratiae, conflata est § 2. *Si sint aeque peculiaria* quoad rem vel modum etc. « quae exprimuntur » *vel generalia* circa clausulam invicem oppositam vel concessionem, qua « inter se contraria » fiunt rescripta, *prius tempore* datae *praevalet posteriori*, iuxta regulam iuris 54 in 6°: « Qui prior est tempore, potior est iure », sed cum vis rescriptorum pendeat a voluntate concedentis recte excipitur, a) *nisi in altero* nempe: « posteriori » *fiat expressa mentio de priore* ob tempus datae, propter illam videlicet Superior censetur revocare primam concessionem, nondum exequutam, ne actum inutilem ponere dicatur, *aut* b) *nisi prior impetrator* ob exauditas prioris rescripti preces *dolo vel notabili negligentia suo rescripto usus non fuerit* per eius praesentationem exequutori vel per gratiae in eo concessae effectum. Quoad dolum, « quia fraus et dolus alicui patrocinari non debent » [2], et secundum reg. iuris 48 in 6°: « Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria vel iactura », hanc enim prae-

[1] Ordo servandus... Pars II, Cap. VI, n. 6°. — [2] Capp. 15 et 16 « de rescriptis » tit. 3 Lib. 1.

supponit dolus malus de quo in canone, quem « Labeus sic definiit dolum malum esse omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam ». Quoad negligentiam vero principium iuris sub reg. 25 in 6° est sic enunciatum : « Mora sua cuilibet est nociva » ; ad hoc tamen debet esse notabilis in rescriptorum usu eo quod sicut ait regula 60 in 6° : « Non est in mora (apud ius), qui potest exceptione legitima se tueri » propter quam sollicitudo non est ab eodem adhibita.

§ 3. *Quod si eodem die fuerint concessa* atque in §° 2ª iuxta illius tenorem exclusa ab eiusdem praescripto, idcirco subditur: *nec liqueat uter* inter obtinentes rescripta « aeque peculiaria aut generalia » (§ 2) *prior* « tempore » *impetraverit* suum rescriptum, si enim constaret applicanda eis foret praecedens norma. *utrumque irritum est* vi huius canonis, *et, si res ferat* tum in se tum propter circumstantias, *rursus ad eum qui rescripta* praefata *dedit*, et unus praesupponitur, *est recurrendum* ad rescriptum iterum obtinendum vel convalidandum. Hinc si huiusmodi rescripta prodierunt ab auctoritate diversi gradus, non huiusmodi praescriptum vigeret, sed maioris auctoritatis rescriptum nempe: Sedis Apostolicae, vel Legati alteri Ordinarii praevalere debebit.

114. **Interpretatio quorumlibet rescriptorum.** Duo sunt praevie consideranda. Non est dubitandum omnia rescripta liberalitatem aut benignitatem rescribentis continere, prout favorem continent vel interrogationi satisfaciunt, et quantum alterutra extendatur, parte rescripti dispositiva nobis monstrat rescribens. Insuper non ad modum legislatoris procedit Superior rescribens, nam ille leges dat omnibus per iurisperitos explicandas attentis ecclesiasticis normis, iste econtra cum privatis loquitur velut paterne dans responsum. Ex his cognoscitur facile, quam rationabiliter ait *can. 49. Rescripta* quaelibet *intelligenda sunt* praeceptive, atque mens ac voluntas rescribentis velut certa habeatur a) *secundum propriam verborum* adhibitorum in se ac in clausulis *significationem,* quae fortassis erit iuridica, sed ut plurimum b) *et communem loquendi usum* in materia de qua agitur ac in loquutionibus adhibitis; pars vero negativa sequitur secundum reg. iuris 74 in 6° : « Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum », *nec debent* « rescripta » quoad eorum concessionem vel responsionem *ad casus alios* propter personas vel negotia vel tempus vel locum vel alias

circumstantias *praeter expressos* magis vel minus determinatos *extendi*. Id enim proprio arbitrio fieret, quin auctoritas idipsum fulciret.

115. **Subsidiaria in dubio perseverante norma.** Canon praecedens in usu applicandus rescriptis quandoque mentem recipientis rescriptum ancipitem relinquet. Ut ergo utilitas ex illis capiatur secundum veritatem iuridicam, sequendum est praescriptum *can. 50. In dubio*, seu statu mentis non assequentis certo per normam praecedentem rescripti sensum, idque ob prudentem rationem, *rescripta* singula a) iustitiae seu *quae ad lites referuntur,* « lis autem a *contentione* limitis prius nomen sumpsit, de qua Virgilius: limes erat positus, litem ut discerneret agris » [1], sive dentur iudices, sive causae committantur, sive restitutio in integrum concedatur, sive controversias extraiudiciales respiciant, quoad intelligendas rescriptorum clausulas iuxta id quod factum fuit per Decretalium diversa capita, et ob reg. iuris 30 in 6° : « In obscuris minimum est sequendum », b) *vel iura aliis quaesita* seu certo obtenta, etsi nondum quasi — possessa, *laedunt,* secundum regulam Cancellariae « de iure quaesito non tollendo » plenam aequitate iuxta illud principium reg. iuris 48 in 6° : « Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria vel iactura », nisi de contrario evidenter constet, c) *vel adversantur* per quamlibet relaxationem *legi,* quae in bonum commune ordinatur ex propria natura, *in commodum privatorum* v. gr. per dispensationem, aut illius limitationem ex rescripto consequuturam, nam tunc habet locum seu praevalet pars prima reg. 15 iuris in 3° : « Odia restringi, et favores convenit ampliari », aut insuper sicut Bonif. VIII asserit de quadam dispensatione [2]: « quam exorbitantem a iure oportet veluti odiosam restringi », *vel denique,* quamvis Innoc. III dicat [3]: « cum beneficia Principum sint interpretanda largissime », adnotetur oportet quod beneficium in genere est: « benevola actio gaudium capientibus tribuens », sed proprie ibi sumendum est: « benevola actio, seu liberalitas quaedam sine alterius praeiudicio praeter commune ius concessa, non contra vel secundum ius », unde textui citato non contradicit canon excipiens « rescripta quae » *impetrata fuerunt ad beneficii ec-*

[1] Cap. 10 « de verborum significatione » tit. XL lib. V. — [2] Cap. 1 « de filiis presbyterorum »... tit. XI Lib. I in 6°. — [3] Cap. « Olim » 16 « de verborum significatione » tit. XL lib. I.

clesiastici in can. 1409 definiti *assecutionem*, congruenter sententiae Bonif. VIII [1]: « Quamvis plenissima sit alias in beneficiis interpretatio facienda: litterae tamen super obtinendis beneficiis impetratae, debent (cum sint ambitiosae) restringi », seu ut ait canon de singulis recensitis rescriptis, haec « in dubio » supra declarato *strictam* seu adversus concessionem servatis verborum proprietate ac usu communi *interpretationem* rectam *recipiunt; cetera* quae sub litteris a)-d) non comprehenduntur, sine ulla distinctione, seu *omnia latam*, scilicet: interpretationem in dubio ampliatam postulant iuxta cit. reg. 15 iuris in 6° et cap. « Cum dilecti » 6 de donationibus (III, 24) X, in cuius fine dicitur: « quia in contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis plenissima est interpretatio facienda ».

116. **Rescriptorum praesentatio Ordinario.** In Normis peculiaribus pro Curia Romana [2] legitur: « Gratiae, quae a Sancta Sede scripto conceduntur, communiter ab ipsa directo promanant per personas et Officia iure recognita. — Ubi (ergo) ab ipsa Sancta Sede, interposito nemine, gratia impertiatur (scilicet « supplex oratoris libellus non remittitur ad Ordinarium vel ad alium cum facultatibus petitam gratiam largiendi), exarari rescripta possunt, aut formâ gratiosa, aut commissoria. Si formâ gratiosa, exsecutorem suapte natura non postulant ». De his loquitur *can. 51* dicens: *Rescriptum* quodlibet *Sedis Apostolicae* ad normam can. 7 *in quo nullus datur exsecutor,* quia eius forma nullo modo est commissoria, *tunc tantum* (quia per se non indiget exhiberi) *debet* vi huius canonis *Ordinario* loci vel religioso ad normam can 198, § 1 *impetrantis,* cui concessa est gratia, proprio secundum diversos canones determinando propter subiectionem, vel in rescripto quoad religiosos designato, *praesentari*, « qui Ordinarius illud suo *recognitionis* rescripto roboret » [3], a) *cum id in eisdem litteris*, sic enim vocatur obtentum forsan diversa sub forma rescriptum, *praecipitur*, nam est tunc conditio per se ad usus concessionis liceitatem, b) *aut de rebus agatur publicis*, cuius generis indulgentiae sunt communiter impertitae, sacrae reliquiae, publicae venerationi proponendae, aliaque huiusmodi [4], c) *aut comprobare* auctoritatem ec-

[1] Cap. « Quamvis » de prabendis et dignitatibus tit. IV lib. I in 6°. — [2] Ordo servandus... Pars II. cap. III, n.s 3° 4°; 29 Sept. 1908. CO. I. 63. — [3] Normarum loc. cit. — [4] Normarum loc. cit.

clesiasticam *conditiones quasdam* in usum concessionis licitum « *oporteat*, uti loci decorem in sacellis privatis, aliaque id genus ». Canon igitur « ius vetus ex integro refert » (can. 6, 2°), sicut confirmari potest quoad litteras a) et b) per responsionem S. Congr.ª Indulgentiarum... sequentem [1]: « 2° Utrum qui obtinet diversas facultates ab Apostolica Sede, scilicet altaris privilegiati personalis, erigendi stationes Viae Crucis, benedicendi cruces, numismata, etc. debeat exhibere dictas facultates Ordinario, etiamsi nulla mentio facta sit in concessionum Rescriptis? ...Ad 2m: Affirmative quoad Viae Crucis erectionem, Negative relate ad alias facultates, nisi aliter disponatur in obtentis concessionibus ».

117. **De praesentationis rescriptorum tempore.** Tum rescriptis sub forma gratiosa de quibus in can. praec., tum aliis sub forma commissoria oportet applicare *can. 52. Rescripta* quaecumque, etiam « impetrata ad beneficii ecclesiastici assecutionem » (can. 50) de quibus est cap. 12 de rescriptis in 6° (I, 3), *quorum praesentationi*, illorum ad corroborationis scriptum, istorum ad exequutionem, *nullum est definitum* in eis singulis vel in iure *tempus*, nam tunc id servandum esset, *possunt exsecutori*, multo magis ei qui ad cognoscendum tantum rescriptum debet, *exhiberi quovis tempore* pro arbitrio eius cui favet rescriptum, *modo absit fraus*, quae forsan in alterius iacturam *et dolus* quae in deceptionem, ad circumveniendum alium vel executorem fieret, nam « fraus et dolus (cuicumque) patrocinari non debent » [2]. Ita iam decreverat Bonif. VIII in cit. cap. Decret.: « In praedictis itaque casibus debes tu praebendam vacantem potius, quam impetrator ultimus, obtinere (non obstante praesentationis rescripti dilatione): dum tamen dolus tibi non possit, vel notabilis negligentia imputari », quae ut videtur fraudi aequipollet.

118. **Conditiones ad exsequutionis rescriptorum validitatem.** S. C. S. Officii [3] ad quaesitum: « Se sia valida una dispensa matrimoniale eseguita dall'Ordinario dietro l'avviso telegrafico, prima di avere ricevuto il documento autentico della grazia concessa. R. Negative, nisi notitia telegraphica transmissa fuerit ex officio, auctoritate S. Sedis. — Ssmus approbavit ». Idque congruit dispositioni, quae legitur in cap. 12 de appellationibus... (II, 28)

[1] 5 Febr. 1841, n. 286. — [2] Cap. 15 de rescriptis, tit. 3 Lib. I. X. — [3] 24 Aug. 1892, Collect. S. C. de Prop. Fide, n. 1810.

X, ubi Alex. III ait: « Si autem infra certum tempus lis decidenda committitur, ex tunc terminus incipit currere, cum iudices contigerit litteras recepisse ». Iuxta hos ergo textus iuris et alios infra referendos statuit *can. 53. Rescripti* cuiuslibet S. Sedis *executor* sive merus sive delegatus *invalide* ob huius canonis praescriptum iuri praec.[1] congruens *munere suo* exequendi *fungitur,* quamvis revera talis sit constitutus per rescriptum et id certo innotescat eidem *antequam* a) *litteras* originales S. Sedis, seu idem rescriptum *receperit* b) *earumque authenticitatem*, propter signa in charta, subscriptionibus, sigillo, etc. *et integritatem* ita ut nihil abrasum vel interpolatum sit in eis, seu abesse suspicionem falsitatis, *recognoverit* iuxta illud cap. 6 de crimine falsi (V. 20) X: « Nos vero litteras, quae tibi sub nostro nomine praesentatae fuerunt, diligentius intuentes, in eis tam in continentia quam in dictamine, deprehendimus falsitatem: ac in hoc fuimus admirati, quia tu tales litteras a nobis credideras emanasse... Atque sic explicit caput: Propter quod sic litteras Aplcas. studeas intueri tam in bulla, filo et charta, quam in stylo, (ibi quoad personarum appellationem declarato) quod veras pro falsis, vel falsas pro veris litteris modo aliquo non admittas ». — Huius canonis praescriptum in utraque sua parte cessat in casu sic expresso: *nisi praevia* receptioni litterarum *earumdem* quoad concessionem gratiae *notitia ad eum* simul certiorandum de conditionibus forsan ignoratis ab eo, sed essentialibus ad exequutionem, *fuerit auctoritate rescribentis* scilicet: S. Congregationis, Tribunalis, Officii Romanae Curiae, saltem per singularum Moderatores *transmissa,* quamvis telegramma, epistola, etc. per agentem aliamve personam scribatur vel expediatur. Hoc sensu est intelligenda recte duplex responsio S. Poenit. Ap.[1]: « È noto che per disposizione del diritto (Cap. 12 de appellationibus. Conc. Trid. Sess. XXII, Cap. V de Ref.) l'Ordinario diocesano non ha giurisdizione alcuna ad eseguire i Brevi Apostolici di dispensa matrimoniale, prima che gli sia presentato il documento originale. Ciò posto, il Vescovo di Nicotera e Tropea umilmente prega favorirgli la risposta a' seguenti quesiti: — I. Questa canonica disposizione si applica anche a quelle dispense matrimoniali, delle quali, appena concesse, dà partecipazione all'Ordinario il proprio spedi-

[1] 15 Ian. 1894. Collect. S. C. de P. F. n. 1858.

zioniere apostolico residente in Roma? — 2. Che è da farsi se l'attuale Vescovo scopre che alcuni matrimonì, per cause urgentissime, furono contratti dopo la partecipazione dello spedizioniere, e prima che la Curia avesse il Breve originale, mentre le parti sono in buona fede? — Ad 1. Affirmative. Ad 2. Opus esse nova dispensationum exequutione ». Haec secunda responsio valebat in praec. iure, nam ex Codice ad normam can. 204 § 2, posset Ordinarius urgentissimae dispensandi causae satisfacere in casibus comprehensis sub can. 1043, 1045.

119. **De rescriptorum forma requirente alterius exsequutionem.** In Normis peculiaribus est scriptum [1]: « Si vero commissoria forma rescripta expressa sint, opus habent exsecutore ». Sed duplex iste distinguitur ibidem, et sub duobus paragraphis in *can. 54. § 1. Si in rescripto* quolibet ac praesertim Sanctae Sedis *committatur* expresse hoc verbo vel aequivalenter *merum* gratiae, quae ab ipsa Sancta Sede re vera per rescriptum impertiatur, *exsecutionis ministerium*, quatenus excludit verae iurisdictionis delegatae exercitium, talis *exsecutio rescripti* ostensi *denegari* positive aut per omissionem licite *non potest* a designato exsequutore, seu « nec licet Ordinario exsecutionem detrectare, nisi forte horum alterutrum occurrat » (loc. cit.), quibus tertium addit canon his verbis *nisi* a) *aut manifeste pateat*, postea quam exsecutor « summarie ac diligenter de omnium expositorum veritate cognoscat », *rescriptum* illud singulare *vitio subreptionis* propter veri reticentiam necessario exponendi ad vitandam rescribentis deceptionem, *aut obreptionis* seu falsitatis in expositiva parte, non solum illicite obtentum, sed *nullum esse* ad normam can. 42-46, b) *aut in rescripto* eodem *apponantur conditiones*, non solummodo « essentiales pro eorumdem validitate » (can. 39), sed aliae praescriptae in eorundem concessionis liceitatem, *quas* praevie implendas *exsecutori constet* post diligentem investigationem *non esse impletas*, et quarum implementum non pertineat ad eum. Haec exceptio tantummodo redderet licitam dilationem exsecutionis usque ad illarum conditionum positionem, sicut dilatio praecipitur in sequenti exceptione: c) *aut qui rescriptum impetravit*, uti orator beneficiatus per illud, *adeo, iudicio exsecutoris*, qualibet de causa

[1] Pars. altera. Cap. III num.s 3° 4° 29 Sept. 1908. CO. I, 63.

videatur indignus illius concessionis, *ut aliorum offensioni* (quin de scandalo proprie dicto sequendo hic agatur) *futura sit gratiae concessio;* pro quo ultimo casu manet revocatum quoad propositionis disiunctivae membrum, quod Alex. III Ravennae Arch.° faciendum praescripsit in suis Litteris, quae ad perpetuum vigorem in Decretalium Codicem relatae sunt [1], ubi sic legitur: « Qualitatem negotii, pro quo Tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam praetendas. Quia patienter sustinebimus si non feceris quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum ». — Quod ius vetus in hypothesi sub littera *a*) non urget, nisi quando vitium nullitatis, etsi probabiliter, non « manifeste pateat », sub littera *b*) non urget caput Decretalium ullo modo, ac in hypothesi sub littera *c*) non disiunctive ut in Decretali, sed modo in canone determinato est unice procedendum.

Scriptum est in Normis peculiaribus [2]: « Quandoque supplex oratoris libellus ad Ordinarium, vel ad alium eius loco ecclesiasticum virum, per personas et Officia memorata (Sanctae Sedis iure recognita) remittitur, cum facultatibus petitam gratiam largiendi, sive totam sive certis limitibus circumscriptam ». De his loquitur, prout ibidem in Normis, sequens § *2. Quod si in rescripto* praesertim S. Sedis, *concessio gratiae* petitae *exsecutori committatur*, seu « quum preces ad Ordinarium (seu alium, ut supra) cum facultatibus remittuntur », per quas fit delegatus ad casum rescripti, « eius aequo iudicio rectaeque conscientiae imploratae gratiae largitio permittitur », idest; ut ait canon: *ipsius* ius et obligatio est, non pro libitu, sed ut dictum est aliis verbis *pro suo prudenti arbitrio et conscientia,* seu voluntati bonae relinquitur, *gratiam concedere vel denegare.* In quo perficiendo normam directivam habet: « habita ratione formae rescripti, rerum Sanctae Sedi expositarum, et opportunitatis gratiae concedendae » (loc. cit. ex Normis).

120. **Mandati norma quantum sit ad validitatem servanda.** Rescriptum formâ commissoria datum, de qua duplici praescripsit postremus canon, respicit *can. 55. Exsecutor* sive ad merum ministerium ut in § 1ª, sive delegatus ad normam § 2ªᵉ,

[1] Cap. « Si quando » 5 de rescriptis tit. III, Lib. I. X. — [2] Pars altera. Cap. III, n. 3°, CO. I, 63.

procedere debet (indeque obligatur) in rescripti exsecutione *ad mandati normam* (sic vocatur expressa in illo commissio), unde illa est saltem praeceptiva. Imo sequitur *et nisi* a) *conditiones essentiales*, videlicet: clausulas, quae « per particulas *si*, *dummodo*, vel alias eiusdem significationis exprimuntur » (can. 39), *in litteris*, seu rescripto cuiuscumque formae, expresse *appositas impleverit* seu in praxim plene deduxerit, b) *ac substantialem* propter dictas particulas vel ob concatenationem actuum iniunctam *procedendi formam* seu ordinem in exsecutione servandum, praesertim in iudicialibus, ac formalitates *servaverit*, *irrita est*, ac si non fuerit apud ius seu cum effectu facta *exsecutio*. Huiusmodi exemplum refert Innoc. III [1] his verbis: « Dictum insuper scholasticum et coniudices suos invenimus minus provide processisse, cum enim in litteris nostris eisdem principaliter mandaretur, ut ad praedictam ecclesiam personaliter accedentes, personae idoneae administrationem committerent abbatiae, cui ad opus eius fieret hinc inde resignatio subtractorum, ipsi formam mandati apostolici transponentes, illo capitulo praetermisso: de aliis capitulis inordinate plurimum cognoverant: propter quod processum ipsorum contra nostri formam rescripti, ac iuris ordinem attentatum, irritum decernimus et inanem ».

121. **Exsecutio in scriptis** ad validitatem non pertinet ad normam can. 11, quamvis restrictam praescribat *can. 56*. — *Exsecutio* vera *rescriptorum*, quae igitur exarata sunt in alterutra forma commissoria, non iam in forma gratiosa. etiam quando haec « debeant Ordinario impetrantis praesentari » (can. 51), *quae forum externum* idest: cum effectu coram Ecclesia, propter sociales huius relationes *respiciunt*, *scripto facienda est*, uti formalitas actus praecipui exsecutionis, etsi non ad validitatem.

122. **Substitutio vel subdelegatio exsecutoris.** S. C. S. Officii per Dec.[m] [2]: « Proposito dubio: An possit Episcopus dioecesanus subdelegare, absque speciali concessione, suis Vicariis generalibus (non amplius necessarium ad normam can. 66, § 2 in fine) aut aliis ecclesiasticis viris modo generali, vel saltem pro casu particulari, facultates ab Apostolica Sede sibi ad tempus delegatas »: Emi PP. respondendum censuerunt: Affirmative, dummodo

[1] Cap. 22 « de rescriptis » tit. III. Lib. I. X. — [2] 14 Dec. 1898. Collect. S. C. de Prop. Fide, n. 2029.

id in facultatibus non prohibeatur, neque subdelegandi ius pro aliquibus tantum coarctetur; in hoc enim casu servanda erit adamussim forma rescripti... Sanctitas Sua (Leo XIII) Emorum Patrum resolutionem adprobavit ». Hoc implicite continetur, prout arguitur ex can. 62, 66, § 2, et hinc ad alios Ordinarios extenditur. Imo ampliatur non solum quoad dispensationes matrimoniales per S. Sedis rescripta, ut cautum fuerat in S. C. S. Officii litt. encycl. [1], sed ad quaelibet rescripta exsequenda ob facultatem ad casum delegatam, vel ob merum ministerium, in *can. 57, § 1. Rescriptorum* solummodo S. Sedis *exsecutor*, sive merus sive delegatus, nam de Ordinariorum rescriptis servandus can. 199, §§ 3, 4, *potest* vi huius canonis valide ac licite *alium pro suo prudenti arbitrio*, idest: plena libertate, quae in ecclesiastico Superiore semper prudentia fulgere debet, *sibi* ut exsecutori *substituere* per commissionem alii forsitan generali modo factam, *nisi* a) *substitutio* fortassis generalis *prohibita fuerit*, b) *aut substituti* designandi pro illa saltem exsecutione *persona* etiam per aliquam qualitatem pluribus communem *definita*, seu intra clausulae rescripti fines invenienda. — Et ad normam huius §[1] intelligatur derogatum cap. 43 « de officio et potestate iudicis delegati » (I, 29) in seq. paragrapho: « Caeterum (salva legatorum Sedis Aplicae. auctoritate) nulli cui commissum fuerit praedicare crucem, excommunicare, vel absolvere aliquos, dispensare cum irregularibus, vel iniungere poenitentias, liceat haec de caetero aliis demandare: quia non sibi iurisdictio, sed certum ministerium potius committitur in hac parte ».

In eodem tamen capite aliud statuitur adhuc vigens cum ampliatione. Videlicet Greg. IX ait: « Quoniam Apostolica Sedes intendit providere negotiis, et non personis quibus eadem committuntur, et infra... Is cui iniungitur, ut personaliter negotium exsequatur, potest (dummodo partes consentiant) hoc aliis delegare. Praeterquam si inquisitionem fieri, vel ecclesiis de praelatis, vel aliis ministris provideri mandaremus, cum in his omnibus casibus, industriam et fidem personae, cui talia committimus, eligere videamur ». — Concorditer huic iuri loquitur adversative seu restringens §[1] 1[ae] normam § 2. *Si tamen fuerit electa industria personae* exsecutoris rescripti sive explicite, ad quod non sufficit nomen

[1] 20 Febr. 1888. Collect. cit. n. 1685.

ipsius exprimere vel singulare eius officium, secundum praecedens ius, sive implicite ratione negotii commissi, *tunc exsecutori non licet* ad normam §[1] praec. *alteri* etsi maioris industriae *committere, nisi actus praeparatorios*, ad formalem concessionis actum, v. gr. de veritate precum, scriptura exsecutionis subsignandae ab illo. Ita implicite conservatum est cap. 12 « de officio et potestate iudicis delegati » (I, 14) in 6°: « Sed si non expressa certa persona committatur eidem, ut alicui personae idoneae de certa ecclesia, vel beneficio debeat providere (quia circa eligendam personam eius industria tunc videtur electa) provisionem sibi commissam alteri demandare non potest: nisi forma commissionis habeat, ut per se vel per alium id valeat expedire ».

123. **Exsecutor rescriptorum ad normam iuris.** In Litt.[s] encycl. S. C. S. Officii [1] sub n.° 3 decretum est: « Vicarium Capitularem seu Administratorem eas quoque dispensationes Apostolicas exsequi posse, quae remissae fuerint Episcopo aut Vicario eius generali vel Officiali, nondum exsecutioni mandatas, sive hi illas exsequi coeperint, sive non. Et vicissim, Sede deinde provisa, posse Episcopum vel eius Vicarium in spiritualibus generalem, seu officialem exsequi dispensationes quae Vicario Capitulari exequendae remissae fuerant, seu hic illas exsequi coeperit, seu minus ». Hoc ius retentum est, et concorditer aliis decretis ante Codicem datis fuit ampliatum; propter quod sic incipit *can. 58. Rescripta quaelibet* ultra dispensationes matrimoniales *exsecutioni* qua indigeant *mandari possunt* valide ac licite *ab exsecutoris* cui directa sunt *successore in dignitate* sic dicta ob adnexam iurisdictionem in foro externo, quamvis rationem officii proprie dicti non attingat, *vel officio* « ecclesiastico stricto sensu » (can. 145, § 1) etsi constituto infra dignitatem proprie dictam Episcopalem aut Abbatialem, cum sequenti exceptione: *nisi fuerit electa* ut explicatum est in praec.[s] can. § 2[a] *industria personae* « exsecutoris » supra declarati.

124. **De iteranda exsecutione ac de taxis rescriptorum.** Quod cautum fuerat in responsione S. Poenitentiariae ad 2 [2] relata sub can. 53, generaliter statuit *can. 59. § 1. Exsecutori* sive ob « merum ministerium », sive per « concessionis gratiae commissionem » (can. 54) *fas est*, idest: in conscientia quoque licet,

[1] 20 Febr. 1888. Collect. S. C. de P. F. n. 1685. — [2] 15 Ian. 1894. Collect. S. C. de P. F. n. 1858.

si quoquo modo nempe: scienter vel ignoranter, cum peccato vel inculpabiliter, propter unum vel alterum defectum substantialem aut contra grave praeceptum *in rescriptorum exsecutione* sibi de cetero commissa *erraverit*, quatenus deviaverit a rectitudine, *iterum eadem* rescripta singularia *exsecutioni* novae *mandare* per decretum corrigens alterum prioris exsecutionis.

§ *2. Quod attinet ad taxas* seu temporale datum solvendum ab oratoribus *pro rescriptorum exsecutione* alterutra ut in praec. §°, nam « pro recognitionis testimonio, quo rescripta muniuntur ut est in superiore can. 51, nulla est repetenda compensatio. Necessariae tamen impensae sarciri possunt, quales ex. gr. occurrunt ad loci recognitionem in sacelli usum adhibendi, aut ad fidei comprobationem circa aliquam sacram reliquiam » [1]. Quoad illas vero « taxas » *servetur praescriptum can. 1507*, § *1*. Videlicet: « occasione concessae (saltem per merum ministerium) dispensationis (matrimonialis), nequit emolumentum ullum exigi, nisi haec facultas a Sancta Sede expresse (saltem in singulari exequendo rescripto) eis (exsecutoribus) data fuerit; et si exegerint, tenentur ad restitutionem », atque hoc « salvo praescripto... praefinire taxas (praedictas).... in tota ecclesiastica provincia solvendas, est Concilii provincialis aut conventus Episcoporum provinciae; sed nulla vi praefinitio huiusmodi pollet, nisi prius a Sede Apostolica approbata fuerit ».

125. **Normae Curiae Romanae de impensis rescriptorum** [2]. « 1° In omni rescripto, indulto, dispensatione, a suo Officio indicabitur, non modo taxatio S. Sedis solvenda et remuneratio agenti debita, sed etiam pecuniae summa, cuius repetendae ius habet dioecesana Curia pro exsecutione rescriptorum, si haec necessaria sit: quae quidem summa pontificia taxatione erit inferior.

2° Taxatio pauperibus sive cives privati sint, sive instituti piaeve causae, si petita gratia moraliter necessaria sit, non lucrosa oratori, ita ut hic nullum possit ex ea quaestum facere, ex dimidia parte minuetur, aut etiam, si visum fuerit, omnino condonabitur, integris tamen oratori manentibus impensis pro tabellariis, pro scriptione aliisque id genus necessariis.

His in casibus, etiam agentis procuratio ad partem dimidiam redigetur aut omnino condonabitur, salvis impensis pro tabellariis.

[1] Normae peculiares. Pars altera. Cap. III, n.° 5° CO. I, 64. — [2] Ordo servandus... Pars I, Cap. XI, CO. I, 55.

3. Ordinarii, secreto percontati parochos, quae vera sit oratorum conditio, significabunt in singulis casibus, agaturne de paupere, aut quasi paupere, ideoque competatne ipsis ius ad plenam aut dimidiatam condonationem taxationis, onerata utriusque partis conscientia super expositorum veritate; contra quam si actum fuerit, firma restat obligatio sarciendi quidquid iniuria sublatum sit.

Si qui autem iniqua voluntate renuant satisfacere taxationem ad aliquam consequendam dispensationem praescriptam, cuius tamen concessio sit moraliter necessaria ad offendicula et peccata vitanda, hoc erit ab Ordinariis indicandum in suis litteris. Iidem, impetratae gratiae notitiam communicantes cum iis quorum interest, eos commonebunt (si opportune id fieri prudenterque licebit ab ipsis) ex iustitia aliquid S. Sedi deberi.

Utcumque tamen gratiae validitati nihil umquam officiet error aut fraus circa oeconomicam petentis conditionem.

4° In omnibus Officiis, subsignatis rescriptis, destinatus administer, peculiari super ipsis impresso sigillo, taxationem notabit S. Sedi debitam, impensas procurationis et pecuniae summam pro exsecutione: quae omnia in menstruo libello recensebit, ad rationum computationem suique cautionem adservando.

In variis taxationibus designandis administer prae oculis habebit superius expositas normas, *positionem,* seu fasciculum actorum expendens; in dubiis vero rem ad Officii Moderatores deferet ».

126. De revocatione rescriptorum sive singulorum, sive quamplurium communiter statuit in duobus paragraphis *can. 60.* § *1. Rescriptum* singulare « tum Sedis Apostolicae, tum aliorum Ordinariorum » (can. 36), *per peculiarem* in illud directum *Superioris actum revocatum* quoad concessionem factam vel adhuc exsequendam, *perdurat* in suo robore, quin obstet ille actus, *usquedum* seu ad illud momentum, quo *revocatio* peracta *ei, qui illud* rescriptum in sui favorem *obtinuit, significetur* a Superiore per se vel per alium, quin oporteat prohibitionem usus rescripti adiungere.

§ 2. *Per legem,* quae « instituitur cum promulgatur » (can. 8, § 1), *contrariam* rescriptis concessis vel concedendis *nulla rescripta* scilicet: sive gratiae sive iustitiae, « tum Sedis Apostolicae tum aliorum Ordinariorum » (can. 36) *revocantur,* quod diceretur proprie de iam impetratis ac vigentibus, *nisi* a) *aliud in ipsa lege caveatur,* prout habemus exemplum circa rescripta gratiae praete-

rita in cap. 15 « de rescriptis » in 6° (I, 3) et circa rescripta iustitiae futura in cap. 28, X « de rescriptis » (I, 3) in fine nunc revocato per can. 37, b) *aut lex* praedicta *lata sit a Superiore* in hierarchia iurisdictionis *ipsius* Ordinarii *rescribentis* idest: auctoris rescripti, sed in alterutro casu praefata lex « vim suam exserit » supposita promulgatione, si illico liget, vel expleta quoque eiusdem vacatione.

127. **De rescriptorum peremptione.** Haec a revocatione discernitur, quatenus revocatio attingit rescripta, etsi gratia per haec iam sit obtenta, peremptio autem ut plurimum illa nondum exequuta; item revocatio provenit immediate ex actu Superioris positivo in illam directo, peremptio autem sequitur ex eventu quodam in certis circumstantiis, ut ex *can. 61. Per Apostolicae Sedis* nempe: Romani Pontificis obitu vel renunciatione, *aut dioecesis* uniuscuiusque, quo « nomine venit quoque abbatia vel praelatura nullius » (can. 215, § 2), et ob hunc canonem quatenus « de hac re desit expressum praescriptum legis (quoque) particularis » (can. 20) etiam Vicariatus vel Praefecturae apostolicae *vacationem* « renunciatione, privatione, amotione, translatione » (can. 183, § 1) aut obitu Praelati, *nullum* sive in forma gratiosa, sive in forma commissoria etsi nondum exequutum *eiusdem Sedis Apostolicae* ad normam can. 7 seu Curiae Romanae, quamvis haec nomine Romani Pontificis rescripserit, *aut Ordinarii* singularis officium amittentis *rescriptum perimitur*, idest cessat ipso iure seu facto vim habere, a) *nisi aliud ex additis* in eodem *clausulis appareat*, cuius exemplum ostenditur in cap. 5 « de rescriptis » in 6° (I, 3). Ait enim Bonif. VIII: « Si gratiose tibi a Romano Pontifice concedatur, ut beneficia, quae tempore tuae promotionis obtinebas, posses usque ad suae voluntatis beneplacitum retinere: huiusmodi gratiam per eius obitum, per quem ipsius beneplacitum omnino extinguitur, eo ipso expirat. Secus autem si usque ad Apostolicae Sedis beneplacitum gratia concedatur praedicta: tunc enim, quia Sedes ipsa non moritur, durabit perpetuo, nisi a successore fuerit revocata ». — Idemque valere de rescriptis in forma commissoria secundum ius Decretalium, constat ex cap. 9 « de officio et potestate iudicis delegati » (I, 14) in 6°: « Si super gratia cuiquam ab Apostolica Sede facta (iuxta cánonem etiam ab Ordinariis) exsecutores fuerint deputati, aequum esse censemus, ut sicut ipsa gratia (licet nondum sit in eius exe-

cutione processum) morte non perimitur concedentis, sic nec etiam re integra perimatur executoribus data potestas, quam velut gratiae praedictae accessoriam, naturam sequi congruit principalis. Ne gratiam eandem vel reddi quandoque omnino inutilem, vel ipsius effectum in tempus longius (cum illius dispendio, cui facta extitit) diferri contingat' ». Et quamvis hoc perfecte aptetur rescriptis cum mero executore, de aliis cum delegato executore asserendum esse suadet reg. 16 in 6° : « Decet concessum a principe beneficium esse mansurum ».

His postremis rescriptis respicit altera canonis exceptio, quae « refert ex integro ius vetus » contentum in cap. 36 « de praebendis et dignitatibus » (I. 4) in 6° et a quo liquida illius intelligentia obtinetur. « Si cui (nulla personarum facta expressione) sit gratiose concessa facultas, ut Auctoritate Apostolica possit aliquibus personis idoneis in certa ecclesia providere, vel beneficia, (quorum collatio est ad Sedem Apostolicam legitime devoluta) conferre, contradictores eadem auctoritate per censuram ecclesiasticam compescendo : huiusmodi concessio (quam cum specialem gratiam contineat, decet esse mansuram) non expirat etiam re integra per obitum concedentis ». Haec prima pars est adhuc vera quoad (can. 66, § 1) « facultates habituales... quae accensentur privilegiis praeter ius » ad normam can. 73. — Prosequitur cit. caput : « Secus si super provisione certae personae facienda sit data potestas eidem, non ob suam, sed eius, cui provideri mandatur gratiam, vel favorem: (prorsus idem verificatur in rescriptis sub forma commissoria cum delegatione) illa quidem expirat omnino, si concedens re integra moriatur ». Videlicet prout extenditur in canone ; b) *aut rescriptum* initio canonis declaratum *contineat potestatem* per commissionem *alicui* Ordinario vel viro ecclesiastico *factam* cum libero exercitio *peculiaribus personis in eodem* rescripto *expressis* sufficienti determinatione, *et res adhuc integra sit,* eo quod delegatus nondum incepit potestate sua uti saltem quoad praeparatorios actus. Postrema canonis clausula in iudicialibus sic explicabatur in cap. 19 « Relatum est » tit. « de officio et potestate iudicis delegati » (I, 29): « Nos itaque consultationi vestrae respondemus, quod si lis fuerit ante praedecessoris nostri obitum contestata, mandatum morte mandatoris nullatenus expiravit. Si vero ante litis contestationem decessit, non est a iudicibus, quos delegaverat, ex delegatione

huiusmodi procedendum ». Sed hoc caput correctum est in can. 1725 dicente, loco litis contestationis, « cum citatio legitime peracta fuerit aut partes sponte in iudicium venerint ».

128. **De nonnullis rescriptis** ratione favoris in eisdem contenti est additus postremus tituli *can. 62. Si rescriptum*, qua responsum scriptum, etsi alia forma exaratum, et quod libet *contineat non simplicem gratiam* forsan praeter ius aut secundum ius, *sed privilegium* idest : in perpetuum concessam frequentius a Sede Apostolica, *vel dispensationem*, scilicet gratiam contra ius vigens « tum Sedis Apostolicae tum aliorum Ordinariorum » (can. 36, § 1), tunc illud non solum regitur per canones huius Tituli, sed *serventur insuper praescripta canonum qui sequuntur* ; videlicet : Tituli V vel VI iuxta praefatam contentae in rescripto gratiae diversitatem.

TITULUS V.

De privilegiis.

Can. 63. - § 1. Privilegia acquiri possunt non solum per directam concessionem competentis auctoritatis et per communicationem, sed etiam per legitimam consuetudinem aut praescriptionem.

§ 2. Possessio centenaria vel immemorabilis inducit praesumptionem concessi privilegii.

Can. 64. - Per communicationem privilegiorum, etiam in forma aeque principali, ea tantum privilegia impertita censentur, quae directe, perpetuo et sine speciali relatione ad certum locum aut rem aut personam concessa fuerant primo privilegiario, habita etiam ratione capacitatis subiecti, cui fit communicatio.

Can. 65. - Cum privilegia acquiruntur per communicationem in forma accessoria, augentur, imminuuntur vel amittuntur ipso facto, si forte augeantur, imminuantur vel cessent in principali privilegiario; secus si acquirantur per communicationem in forma aeque principali.

Can. 66. - § 1. Facultates habituales quae conceduntur vel in perpetuum vel ad praefinitum tempus aut certum numerum casuum, accensentur privilegiis praeter ius.

§ 2. Nisi in earum concessione electa fuerit industria personae aut aliud expresse cautum sit, facultates habituales, Episcopo aliisve de quibus in can. 198, § 1 ab Apostolica Sede concessae, non evanescunt, resoluto iure Ordinarii cui concessae sunt, etiamsi ipse eas exsequi coeperit, sed transeunt ad Ordinarios qui ipsi in regimine succedunt; item concessae Episcopo competunt quoque Vicario Generali.

§ 3. Concessa facultas secumfert alias quoque potestates quae ad illius usum sunt necessariae; quare in facultate dispensandi includitur etiam potestas absolvendi a poenis ecclesiasticis, si quae forte obstent, sed ad effectum dumtaxat dispensationis consequendae.

Can. 67. Privilegium ex ipsius tenore aestimandum est, nec licet illud extendere aut restringere.

Can. 68. In dubio privilegia interpretanda sunt ad normam can. 50; sed ea semper adhibenda interpretatio, ut privilegio aucti aliquam ex indul-

Titulus V. De privilegiis —
- acquirendis —
  - per modos diversos — Can. 63
  - per communicationem —
    - quaenam impertita censentur » 64
    - iuris sequelae » 65
- praeter ius, quatenus iure talia censentur » 66
- interpretandis —
  - ex ipsorum tenore » 67
  - in dubio » 68
- concessis —
  - quoad eorum usum » 69
  - quantum permaneant » 70
- extinguendis —
  - per revocationem » 71
  - per renunciationem » 72
  - per cessationem —
    - resoluto iure concedentis » 73
    - personalibus » 74
    - realibus » 75
  - per amissionem —
    - ob non usum vel usum contrarium » 76
    - cum temporis progressu » 77
    - ex privatione ob abusum » 78
- probandis » 79

gentia concedentis videantur gratiam consecuti.

Can. 69 - Nemo cogitur uti privilegio in sui dumtaxat favorem concesso nisi alio ex capite exsurgat obligatio.

Can. 70 – Privilegium, nisi aliud constet, censendum est perpetuum.

Can. 71 - Per legem generalem revocantur privilegia in hoc Codice contenta; ad cetera quod attinet, servetur praescriptum can. 60.

Can. 72. § 1. Privilegia cessant per renuntiationem a competente Superiore acceptatam.

§ 2. Privilegio in sui tantum favorem constituto quaevis persona privata renuntiare potest.

§ 3. Concesso alicui communitati, dignitati locove renuntiare privatis personis non licet.

§ 4. Nec ipsi communitati seu coetui integrum est renuntiare privilegio sibi dato per modum legis, vel si renuntiatio cedat in Ecclesiae aliorumve praeiudicium.

Can. 73. - Resoluto iure concedentis privilegia non exstinguuntur, nisi data fuerint cum clausula: *ad beneplacitum nostrum*, vel alia aequipollenti.

Can. 74. - Privilegium personale personam sequitur et cum ipsa exstinguitur.

Can. 75. - Privilegia realia cessant per absolutum rei vel loci interitum; privilegia vero localia, si locus intra quinquaginta annos restituatur, reviviscunt.

Can. 76. - Per non usum vel per usum contrarium privilegia aliis haud onerosa non cessant; quae vero in aliorum gravamen cedunt, amittuntur, si accedat legitima praescriptio vel tacita renuntiatio.

Can. 77. - Cessat quoque privilegium, si temporis progressu rerum adiuncta sic, iudicio Superioris immutentur ut noxium evaserit, aut eius usus illicitus fiat; item elapso tempore vel expleto numero casuum pro quibus privilegium fuit concessum, firmo praescripto can. 207, § 2.

Can. 78. - Qui abutitur potestate sibi ex privilegio permissa, privilegio ipso privari meretur; et Ordinarius Sanctam Sedem monere ne omittat, si quis privilegio ab eadem concesso graviter abutatur.

Can. 79. - Quamvis privilegia, oretenus a Sancta Sede obtenta, ipsi petenti in foro conscientiae suffragentur, nemo tamen potest cuiusvis privilegii usum adversus quemquam in foro externo vindicare, nisi privilegium ipsum sibi concessum esse legitime evincat.

129. **Inscriptio Tituli.** Ex ultimo praecedentis Tituli canone novimus quod magnam cum eo habet connexionem *Titulus V*, cuius inscriptio est *De privilegiis*. Privilegium etymologice est idem ac *privata lex*, atque potest materialiter sumi aut formaliter, videlicet: pro instrumento seu scripto testimonio unde constat obiectum ac extensio factae concessionis, qua privilegium audit formaliter atque proprie de quo nunc loquendum est. In priori sensu loquuntur cap^{a}. Decretalium sub Tit. 33 « de privilegiis et excessibus privilegiatorum », nempe: (cap. 7) « quod totum ex inspectione privilegiorum suorum plenius advertere potes: et secundum quod inveneris, ita observes ». Item (cap. 8): « Inspicienda sunt ergo Ecclesiarum privilegia, et ipsorum tenor est diligentius attendendus ». Ac demum: (cap. 13) « Innovatio privilegiorum novum ius non tribuit, sed antiquum conservat ».

Hic postremus textus ius nominans aliam distinctionem privilegiorum formaliter sumptorum innuit. Ius enim accipitur quandoque pro lege, nonnunquam vero pro morali facultate super illam fundata vel inde profluente. Ita similiter in cap. « Abbate » 25 « de verborum significatione » (V, 40) legitur: « Cum privilegium sit lex privata, nec esset privata, nisi aliquid specialiter indulgeret ».

Notio privilegii vera igitur est: quod privilegium qua *lex* sit perpetuum, et quia illa est ad bonum commune ordinata, qua privilegium dicitur *privata*, quia illud bonum mediate ac forsan indirecte respicit, immediate vero commodum privilegiati, unde profluit in hoc subiecto ius stabile, quae duo exprimuntur in cit^{o}. cap^{e}. verbis: « nec esset privata, nisi aliquid specialiter (idest: non omnibus commune) indulgeret ». Hoc verbum « specialiter » duplicem admittit sensum, eo quod vel privilegiatum eximit ab onere cui ceteri substant, et vocatur *privilegium contra ius*, vel ei concedit gratiam qua ceteri carent, et est *privilegium praeter ius*. Item il-

lud verbum « lex » secumfert insuper obligationem pro aliis, qui quandoque onus consequens privilegio concesso sustinent, et tunc *privilegium* vocatur *onerosum,* quandoque iidem non privilegiati solum obligantur nullam molestiam nec impedimentum inferre utenti privilegio, et istud in casu dicitur mere *favorabile.*

130. **Canonum coordinatio** sic patet. De acquisitione privilegiorum tres sunt canones. Can. 63 recenset illos omnes modos acquirendi privilegia ; in specie modus per communicationem cum eius sequelis consideratur in can. 64, 65. Quasdam facultates considerat can. 66, quae privilegiis praeter ius accensentur. De privilegiorum interpretatione tractant can. 67, 68 ; de usu eorum alii duo can. 69, 70. Quibus modis cessent privilegia exponunt can. 71-78, ac de probatione privilegiorum cavet postremus tituli can. 79.

131. **Quatuor modi privilegia acquirendi.** Incipit titulus ab origine privilegiorum et secundum praecedens ius recenset quadruplicem, dicente *can. 63, § 1. Privilegia* praeter ius et contra ius quaelibet *acquiri possunt,* a personis physicis vel moralibus, quae ad iura talibus concessa sint habiles, *non solum* ut patet a) *per directam* privilegii subiecto *concessionem* quolibet sub tenore ac forma documenti *competentis* ad hoc *auctoritatis,* v. gr. Sedis Apostolicae privative quoad privilegia contra ius commune, Ordinariorum quoad privilegia contra ius ab eisdem conditum aut dependens in hac parte, diversorum Conciliorum quoad privilegia contra leges ecclesiasticas ab ipsis conditas, demum ab his omnibus circa privilegia praeter ius in re singulis subiecta sine iuris communis offensione, b) *per communicationem* quatenus privilegium quorumdam vel unius proprium aliis conceditur, ita ut illud cum primis privilegiariis habeant commune, sive communicatio huiusmodi statuatur norma generali pro omnibus privilegiis, quae in posterum quoque personae determinatae obtinuerint, v. gr. in communicatione concessa singulis Ordinibus mendicantibus, unde amplissima communicatio privilegiorum inter eos est orta, sive communicatio praedicta detur pro hucusque concessis alteri personae privilegiis, atque alterutrum ex communicationis tenore perspiciendum erit. Non solum ergo illis diversis concessionibus oriuntur privilegia, *sed etiam* prosequitur canon c) *per legitimam* idest : iuxta sacros canones *consuetudinem,* seu praxim secumferentem subiectivum ius contra vel praeter leges vigentes ecclesiasticas, *aut* d) *praescriptionem* quoque legiti-

mam, quae a simplici consuetudine differt, quatenus praescribi proprie dicuntur iura, quae ab aliis secus possiderentur secundum ius vigens, atque etiam ut plurimum praescriptionis fundamentum requiritur, actus quidam iuridicus per quem illa subiectiva iura oriri possint.

Origo sub litteris a) et c) memoratur in cap. « Conquestus est » 8 Caus. IX q. III, ubi ait Nicolaus I Rodulpho Bituricensi Archiepiscopo : « Primates enim vel Patriarchas nihil privilegii habere prae ceteris episcopis, nisi quantum sacri canones concedant, et prisca consuetudo illis antiquitus contulit, definimus : ita ut secundum Nicaenas regulas sua privilegia serventur ecclesiis : praeterquam si Apostolica Sedes aliquam ecclesiam vel ipsius rectorem quolibet speciali privilegio voluerit honorare ». Hanc Decretalem Coelestinus III applicavit in cap. 9 « Duo simul » in tit. « De officio iudicis ordinarii » (I, 31). — Quoad modum praescriptionis sufficiat cap. 4 « de praescriptionibus » (II, 26) : « De quarta decimae et oblationis defunctorum, clericus ab impetitione Episcopi quadragenaria praescriptione temporis se posse tueri videtur. Nisi forte interim pastoralis sedes caruisset pastore, qui iura ecclesiae suae exigere debuisset. Nam Romana Ecclesia tricennalem praescriptionem contra Ecclesiam non admittit ». Secus ac Ius Romanum de tempore ad praescribendum res huius mundi. In textu nunc relato lapsus temporis ad praescriptionem necessarius illiusque circumstantia sunt expressa. Sed quia iuxta regulam 3 Iuris in 6° : « Sine possessione praescriptio non procedit », huius conditiones noscere oportet ex cap. 7 « de privilegiis » in 6° (V, 7) ubi legitur : « Et si privilegium exhibitum non ad plenum per se sufficiat ad exemptionem seu libertatem huiusmodi comprobandam,... tamen quia de privilegio (quod saltem causam praescribendi praebet) faciunt fidem in libertatis vel exemptionis possessione, *non violenta, non clandestina, nec concessa precario*, de qua fidem coram eisdem fecerint, non turbentur ». — Denique communicationis privilegiorum nobis offert exemplum cap. 2 « de privilegiis » in 6° (V, 7) : « ibidem (hoc est : apud Sedem Apostolicam) de cetero regatur, et vigeat studium iuris divini et humani, canonici videlicet et civilis. Unde volumus et statuimus, ut studentes in scholis ipsis penes sedem eandem, talibus privilegiis omnino, libertatibus et im-

munitatibus gaudeant, quibus gaudent studentes in scholis, ubi generale regitur studium.... ».

Quamvis ad praescriptionem privilegiorum plura requiruntur, attamen unum ex requisitis nempe possessio secumfert quamdam praesumptionem alterius securioris originis iurium quae sunt privilegii obiecta. Hoc edicit § 2. *Possessio,* sive usus sit alicuius rei, sive exercitium iuris alicuius, sive libertas ab aliqua obligatione, dummodo *centenaria* ob transactum saltem illud tempus; *vel immemorabilis* eo quod initium declaratae possessionis effugit viventium memoriam adhuc circa aliorum notitias receptas; huiusmodi ergo « possessio » *inducit praesumptionem* « iuris simpliciter » (can. 1825, § 2) contra quam « admittitur probatio tum directa tum indirecta » (can. 1826), ac eius obiectum est origo *concessi* nempe directe *privilegii* necessarii ut valida licitaque sit praedicta « possessio ».

132. **Communicationis privilegiorum canonica vis** exponitur in *can. 64. Per communicationem privilegiorum* a competente auctoritate concessam ac in can. praec. explicatam, et cum communicatio esse queat, tum in forma accessoria seu dependenter ab iis privilegiis directe concessis, tum in forma aeque principali, eo quod ab illis in conservatione non pendeat, quae in hoc potior est ut patet, monet opportune canon, *etiam in forma aeque principali, ea tantum privilegia* iam concessa vel concedenda pro diverso communicationis tenore *impertita censentur* iure, *quae* a) *directe,* non aliis tribus modis in can. praec. recensitis, b) *perpetuo,* seu quae stricto sensu privilegia sunt, c) *et sine speciali* ob circumstantias *relatione ad certum* ex determinatione singularem *locum* v. gr. ecclesiam, *aut rem* v. gr. imaginem peculiari devotione prosequutam, *aut personam* physicam vel moralem, *concessa fuerant primo* (ex quo communicantur) *privilegiario,* utpote illorum directe concessorum subiecto, d) *habita etiam ratione,* an scilicet componi queant cum natura, seu ut exprimit canon *capacitatis subiecti,* ne huic ut privilegia repugnent, *cui fit* eorum supra dictorum sub litteris a) b) c) *communicatio.*

133. **Communicationis privilegiorum divisio quoad iuris effectus** confirmatur etiam quoad verba secundum praecedens ius in *can. 65. Cum privilegia acquiruntur per communicationem* a Superiore competente per documentum exaratum *in forma acces-*

soria, scilicet: quod dependentiam exprimit ab eorumdem privilegiorum in aliis directa concessione, tunc quia iuxta reg, iuris 42 in 6°. « Accessorium naturam sequi congruit principalis », a) in subiecto communicationis *augentur* illa, b) *imminuuntur* c) *vel amittuntur* ipso facto, quin Superioris interventus specialis requiratur, *si forte* quolibet ex motivo ac modo eadem privilegia respective a) *augeantur*, b) *imminuantur* c) *vel cessent in principali privilegiario* nempe: in subiecto eorumdem directa concessione obtentorum a qua dependent illa communicata; *secus* idest: declaratus multiplex effectus abest, *si acquiruntur* privilegia *per communicationem*, scilicet: supposita in aliis directa concessione, sed *in forma aeque principali* nempe: verbis documenti exprimentibus velut directe concedi alii privilegia determinata in praeexistente eorumdem subiecto. — Ad formam accessoriam referri communicationem privilegiorum et indulgentiarum factam per aggregationem, constat ex rescripto S. Congr. Indulg.m [1] sequentis tenoris: « XVII. Utrum tuta sit opinio, quae docet: Indulgentiis pro Ordine communicante per revocationem Pontificiam sublatis, ceteri quibus illae per communicationem factae sunt propriae, iis frui nihilominus pergant, nisi revocatio expresse etiam ad eos dirigatur? — Ad XVII. Negative, imo falsa ».

134. **Facultates habituales aliaque privilegiorum divisio.** S. Congr. S. Officii decrevit [2]: « Facultates omnes habituales in posterum committendas esse Ordinariis locorum ». De illis prodierunt multa decreta quae sensum verborum exponebant et illorum perseverantiam, non obstante eorumdem Ordinariorum mutatione. Haec omnia collecta sunt in *can. 66*. § 1. *Facultates,* idest: potestates omnes ultra ius commune faciendi, sive iurisdictionis, sive ordinis, sive administrationis spiritualium, v. gr. de Poenitentiaria dictae, ministrandi confirmationem, indulgentias elargiendi quasdam plenarias, quae Vicariis ac Praefectis Apostolicis conceduntur a S. Congr. de Prop. Fide, etc. *habituales,* eo quod ad modum potentiae vel habitus possidentur ad plures actus, et quis utitur eis quoties voluerit, *quae conceduntur* praesertim a Sede Apostolica, v. gr. a SS. Congregationibus, a S. Poenitentiaria, a) *vel in perpetuum,* quae proinde constituunt verum privilegium, b) *vel ad prae-*

[1] 31 Ian. 1893. Acta S. Sedis, XXV, 508. — [2] 20 Apr. 1898, Collect. S. C. de P. F. n. 1996.

finitum tempus v. gr. ad triennium, ad quinquennium, ad decennium, c) *aut* ad *certum numerum casuum* v. gr. dispensandi a sacrae ordinationis titulo pro definito ordinandorum numero, *accensentur* idest: quamvis vera privilegia non sint, iure aequipollent *privilegiis praeter ius*, iisdemque sicut haec canonibus reguntur. Reapse cum iis commune habent illae, ut sint favores, qua potestatem adaugent, et quidem praeter ius Superioribus aequalibus attributum ex Codice.

Earum facultatum stabilitatem et communicationem decernit incipiens a duplici exceptione § 2. *Nisi in earum concessione* seu iuxta ipsius rescripti documentive tenorem a) *electa fuerit industria personae* ob eiusdem expressas qualitates singularis prudentiae, scientiae, etc., b) *aut aliud* diversum vel contrarium subsequenti praescripto *expresse* per aliquam documenti clausulam *cautum sit, facultates habituales* supra in § 1ª declaratas, *Episcopo* per hoc verbum designato, cum additione dioecesis quam regit ac forsitan nominis ac eiusdem cognominis, ad normam Dec. S. C. S. Officii [1], *aliisve* per nomen peculiare *de quibus in can. 198, § 1*, nempe: qui « in iure nomine Ordinarii intelliguntur... etiam pro suis subditis Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis », et non solum « Superiores generales Ordinum religiosorum » uti decreverat S. C. S. Officii [2], *ab Apostolica Sede* ad generalem normam can. 7 intellecta *concessae*, a) *non evanescunt* tamquam si desineret ipsarum subiectum, *resoluto iure Ordinarii*, idest: soluta relatione inter potestatem iurisdictionis et personam Ordinarii ob eius mortem vel a munere officiove cessationem, *cui* singulari *concessae sunt* facultates praedictae, in seipsis perseveraturae ob nondum transactum earum tempus nec expleto numero casuum pro quibus datae fuerunt, *etiamsi ipse eas* quibus donatus fuit *exsequi* quoad aliquos casus *coeperit, sed transeunt*, modo quo tunc inveniantur vigentes, *ad Ordinarios* v. gr. ad Vicarium capitularem, aliosve designatos in cit.º can.ᵉ ac §º *qui ipsi*, cuius fuit resolutum ius, *in regimine succedunt* etiam mediate; *item* b) « facultates... *concessae* ut supra *Episcopo competunt quoque Vicario* eius *generali*, seu communes fiunt utrique ». In hac §º extensionem ad illas facultates servavit reg. iuris 46 in 6º: « Is qui in ius succedit alterius, eo iure, quo ille, uti debebit ».

[1] 3 Sept. 1900. Collect. S. C. de P. F. n. 2094. — [2] 20 Dec. 1899. Collect. S. C. de P. F. n. 2074.

Facultatum, quae in §° 1ª sunt declaratae, amplitudinem implicitam sic decernit § 3. *Concessa facultas secumfert* ob efficacem concedentis voluntatem hic declaratam *alias quoque potestates* non expressas ullo modo, sed *quae ad illius* concessae iuxta documenti tenorem *usum* validum ac licitum *sunt necessariae* ob facultatis naturam, non propter speciales casus circumstantias cum facultatis effectu non connexas; *quare in facultate dispensandi* quacumque *includitur etiam* ut concessa *potestas absolvendi a poenis ecclesiasticis,* nempe censuris reservatis, *si quae obstent* cognitae certo vel incognitae, *sed ad effectum dumtaxat* iuxta supra positam interpretationem *dispensationis consequendae,* censura proinde quoad alios effectus permanente. Hinc pro praxi valet rescriptum S. Poenit. Ap. sequens [1]: « Utrum casu quo nullam praevidet Ordinarius censuram ab oratoribus fuisse contractam, debet nihilominus Ordinarius, qui dispensationem matrimonialem vi alicuius indulti concedit, clausulam absolutionis ad cautelam praemittere, quam Sacra Poenitentiaria et Apostolica Dataria praemittere consueverunt. — R. Absolutio a censuris, in casu de quo agitur, laudabiliter praemittitur ». Et quidem pro foro in quo dispensatio elargitur.

135. **Privilegiorum doctrinalis interpretatio** facienda est ad normam *can. 67*. *Privilegium* quodlibet etsi praeter ius *ex ipsius* documenti concessionis *tenore* seu verbis ac clausulis in complexu earum *aestimandum est,* eo quod dans illud sic pandit suam liberalitatem, *nec* proinde sine ipsius voluntate *licet illud,* nempe: ius ex privilegio doctrinaliter aut in praxi a) *extendere* ad res, personas, casus, locum, ultra limites privilegii expressos, b) *aut restringere* limitando concessionem ab elargiente indeterminatam. Hic canon desumptus apparet ex cap. 7 « de privilegiis... » (V, 33), ubi sic rescribit Alex. III Ambianen. Episcopo: « totum ex inspectione privilegiorum suorum plenius advertere potes: et secundum quod inveneris, ita observes. Sic enim eos (Templarios et Hospitalarios) volumus privilegiorum suorum servare tenorem, quod eorum metas transgredi minime videantur ». Contra normam huiusmodi non agit utens privilegio vel interpretans idem iuxta reg.[s] iuris sequentes in 6°. — « 35. Plus semper in se continet quod est minus » secundum ss. canones et in eadem specie iuridica. — « 42. Acces-

[1] 2 Iul. 1891. Collect. S. Congr. de P. F. n. 1759.

sorium naturam sequi congruit principalis », sive illud tale sit ut quid principali coniunctum iure, sive uti praerequisitum iure ad principalis usum. — « 53. Cui licet quod est plus, licet quod est minus » in legibus de eadem re. — « 80. In toto, partem non est dubium contineri », sive agatur de potestate, sive de ipsius obiecto vel actu, aut de personis in quas illa exerceatur.

136. **Norma dubiorum solvendorum** traditur in *can. 68. In dubio,* quando nempe tenor concessionis dubium vel ambiguitatem ingerat de intentione seu mente auctoris privilegii, huiusmodi *privilegia* quoad illud *interpretanda sunt* etiam pro praxi *ad normam can. 50* explicatam de rescriptorum dubio, nam si « iura aliis quaesita laedantur » urget reg. iuris 48 in 6°: « Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria vel iactura », si « adversantur legi in commodum privatorum », servare oportet reg.^{m} iuris 15 « Odia restringi convenit », item si « ad lites referuntur » privilegia vel « ad beneficiorum assecutionem », ratio dictat in reg. iuris 30 in 6° expressa: « In dubiis minimum est sequendum ». — « Cetera omnia (privilegia) latam interpretationem recipiunt », cum « beneficia Principum sint interpretanda largissime » ut dicitur in cap. 16 « de verborum significatione » (V, 40). Nec oblivioni traditum fuit cap. 30 « de privilegiis » ubi Honorius III sic ratiocinatur: « Cum autem nihil eis conferret memorata indulgentia... Fraternitati tuae mandamus, quatenus interpretatione huiusmodi reprobata...: ita quod dicti fratres aliquam ex indulgentia nostra videantur in hoc gratiam consecuti ». Quod sic refert canon limitans interpretationem restrictivam ex can. 50: *sed ea semper* « in dubio » *adhibenda* est privilegiorum *interpretatio* ad praxim deducenda, *ut privilegio* qua Principis favore *aucti* (seu illius subiectum) *aliquam ex indulgentia concedentis*, qualem induit privilegii natura, *videantur gratiam*, secus ad eos non pertinentem, *consecuti.*

137. **Privilegiorum usus.** Reg. iuris 61 in 6° principium continet: « Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum », sicuti eveniret si privilegio auctus ad illius obligaretur usum. Hac de causa edicitur in *can. 69. Nemo*, vir aut mulier, fidelis vel Superior, persona physica vel moralis *cogitur* iure *uti privilegio* personali, reali vel mixto *in sui dumtaxat favorem concesso*, (non iam si favor illius privilegii ex concessionis intentione in alios redundet, v. gr. subditos vel commu-

nitatem cuius sit membrum), cum exceptione: *nisi alio ex capite,* v. gr. quia die festo non posset habens oratorium privatum aliter missam audire, unde *exsurgat obligatio* utendi privilegio, videlicet: quando incommodum abest excusans ab obligatione.

138. **Stabilitas privilegiorum** eruitur ex eorumdem natura, quae beneficium in se continet. Cum igitur reg. iuris 16 in 6° clamet: « Decet concessum a principe beneficium esse mansurum ». nisi eidem principi aliud in casibus videatur, id ipsum praescribit *can. 70. Privilegium* proprie dictum, quodcumque illud sit, *nisi aliud constet* certo, sive ex ipsius tenore, sive aliunde, *censendum est perpetuum* seu indefinite mansurum.

139. **Privilegiorum revocatio.** Ab hoc canone usque ad 78 praescribit Codex normas circa privilegiorum amissionem. Et primo iuxta regulam 1 (V, 41) « Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur », sequitur amitti privilegia per revocationem collatoris vel eius successoris aut superioris in eadem iurisdictione. Haec potestas revocandi sese extendit ad omnes tres principales species privilegiorum, scilicet: ad privilegia gratiosa, quae ex mera liberalitate promanant, ad remuneratoria, quae merita in privilegiario praesupponunt, et ad conventionalia, quae pactum quoddam important. Proinde quamvis, ut licite revocentur illa et ista privilegia, causa respective iusta gravisque sit necessaria, ad haec revocanda propter donationis verum pactum, maxime si haec facta fuerit non subdito et ab eodem acceptata, causa iusta et publica requiritur ad validam revocationem. Imo compensatio esset concedenda, si ius ob privilegium fuerit acquisitum ex contractu oneroso.

Ipsa revocatio potest fieri duobus modis, videlicet tacite aut expresse. Tacita revocatio est quae fit per actum positum cum privilegii cognitione, atque ita stabiliter ac directe contrarium privilegio, ut ille actus destitueretur effectu, si privilegium subsisteret. Inde statuit *can. 71. Per legem generalem* futuram, scilicet: ius scriptum qua distinctum a « legibus conditis pro aliquo territorio » (can. 13), *revocantur* tacite ut supra, hoc canone id confirmante, *privilegia in hoc Codice contenta,* quin lex illa horum mentionem faciat; *ad cetera quod attinet,* nempe: extra Codicem relicta in vigore iuxta can. 4, 613, *servetur praescriptum can. 60,* qui loquitur de expressa revocatione rescriptorum, sic aptandus privilegiis. « § 1. Privilegium, per peculiarem (scilicet: ad illud singulare directum)

Superioris (competentis) actum revocatum (quo nempe idipsum dicatur expresse), perdurat usque dum revocatio ei, qui illud obtinuit, significetur » modo quidem authentico. — « § 2. Per legem (sive generalem, sive conditam pro peculiari territorio, sed) contrariam (vigenti extra Codicem privilegio) nulla privilegia (huiusmodi) revocantur (tacite, eo quod sequitur): nisi aliud (quoad revocationem expresse) in ipsa lege caveatur », videlicet: aut disertis verbis determinatum privilegium indicantibus, aut per clausulam generalem cum necessaria amplitudine et vi, ut comprehendat privilegium de quo agatur. Subinfertur in can. 60 altera exceptio, quae privilegiis raro conveniet, nempe: « aut lex lata sit a Superiore (quoad iurisdictionem) ipsius, qui concessit privilegium ». Et casus iste revocationem tacitam contineret ex voluntate legislatoris propter finalem clausulam canonis 71. Atque in omnibus his casibus legis contrariae, ipsiusmet publicatio vim habet significationis privilegiario factae, qua obligatur abstinendi ab usu privilegii revocati.

140. **De privilegiorum renunciatione,** qua privilegiarius iuri suo valedicit, statuit *can. 72.* § 1. *Privilegia cessant* quoad eorum valorem, uti norma generalis, *per renunciationem* huius alteriusve privilegii, quae supponitur expressa oretenus, scripto, dum prosequitur canon *a competente Superiore,* qui nempe posset illud privilegium revocare, vel ab eodem fuerit ad hoc delegatus, *acceptatam.* Non enim privatis relictum est de privilegiis pro libitu disponere, sed solummodo uti eis.

« Cum liberum sit unicuique suo iuri renuntiare » [1], id exponit quoad privilegia § 2. *Privilegio in sui* seu privilegiarii *tantum favorem,* quamvis cum aliorum onere, *constituto quaevis persona* iuridice sumpta, sed *privata* privilegio illo gaudens quatenus physica est, *renuntiare potest* sive expresse sive tacite, prout infra in can. 76.

§ 3. *Concesso* privilegio *alicui,* tamquam eiusdem subiecto, a) *communitati* sive persona moralis collegialis vere sit, sive non, b) *dignitati* v. gr. Episcopatui singulari c) *locove* v. gr. alicui Sanctuario, *renuntiare* illud *privatis* in §° 1ª declaratis *personis,* quamvis hae *a*) sive ad illam pertineant communitatem, *b*) sive dignitate

[1] Cap. 6, tit. 33, Lib. V.

praefata potiantur, *c*) sive locum illum administrent legitime, *non licet*. Propter quod verbum de renunciationis solo actu intelligendum est praescriptum, quamvis ille non valeat, ut patet, cum ius ex privilegio non sit proprium earum.

A sensu contrario, vel quia exclusio privatarum personarum a renunciatione licita videretur includere validam licitamque renunciationem ipsam, si haec a communitate privilegiata fieret, quandonam hoc admitti possit deducendum est ex § 4. *Nec ipsi communitati* in §° praec. declaratae, sed statutis coadunatae eo quod condividitur, *seu coetui*, quando forsan statutis vel legibus hic regatur, quin habitualiter membra conveniant in unum, *integrum* ius *est renuntiare* expresse vel tacite, quoad sequentes casus a) *privilegio sibi dato* eo quod favorem ipsius contineat, sed *per modum legis*, nempe obligantis saltem ceteros quibus haec lata sit, v. gr. privilegium canonis pro clericis, vel communitatem coetumve quoad privilegii usum, v. gr. privilegium fori pro coetu clericorum, b) *vel si renunciatio* privilegii aliter « dati » *cedat in Ecclesiae* sive particularis dioecesis aut universalis *aliorumve*, quamvis hi sint privatae personae vel societatem imperfectam constituentes, *praeiudicium* spirituale vel temporale, quod ex renunciatione persentiant. Sic enim legitur in cap. « Si diligenti » 12 « de foro competenti » (II, 2): « ...Cum non sit beneficium hoc personale, cui renuntiare valeat, sed potius toti Collegio ecclesiastico publice sit indultum, cui privatorum pactio derogare non potest ». — Verumtamen quia exceptio firmat regulam in contrarium, haec §us exceptionaliter statuens implicite continet aliis in casibus « integrum esse communitati seu coetui renuntiare privilegio in sui tantum favorem constituto », dummodo si persona moralis sit, fiat renunciatio ad normam can. 101 ut actus « vim iuris habeat »; si vero persona moralis non sit, renunciatio fiat ad normam aliorum actuum communitatis vel coetus. Memorata semper regula iuris 56 in 6° principium edicente: « In re communi, potior est conditio prohibentis ».

141. **An privilegia cessent eo quod auctoritas ea concedentis exspiret.** Cum can. 61 relationem habet *can. 73*, eidem capiti 5 de rescriptis (I, 3) congruens, illudve sic amplians. *Resoluto* (veluti soluta relatione accidentis ad subiectum) *iure* seu auctoritate personae tum physicae tum moralis *concedentis* quandoque favores, *privilegia* ex illius concessione obtenta *non exstinguuntur*

idest: vim iuris retinent, et hoc enuntiat iuris canonici principium, cum hac sola exceptione: *nisi data fuerint cum clausula* taxative in eis inserta: *ad beneplacitum nostrum, vel alia aequipollenti* quoad sensum. — Hic erui potest ex cap. cit. Decretalium ubi Bonifacius VIII inquit: « Si gratiose tibi a Romano Pontifice concedatur, ut beneficia, quae tempore tuae promotionis obtinebas, posses usque ad suae voluntatis beneplacitum retinere: huiusmodi gratia per eius obitum per quem ipsius beneplacitum omnino extinguitur, eo ipso expirat. Secus autem si usque ad Apostolicae Sedis beneplacitum gratia concedatur praedicta: tunc enim, quia Sedes ipsa non moritur, durabit perpetuo, nisi a successore fuerit revocata ». Hinc clausula privilegii alligans vim eius voluntati concedentis, vel possessioni officii per ipsum, « aequipollet » quoad sensum.

142. **Exstinctio propria privilegii personalis.** Regulam 7 iuris in 6° « ex integro refert » (can. 6, 6°) *can. 74. Privilegium personale*, videlicet: personae physicae aut morali collegiali directe concessum, *personam* illam ubilibet, tamquam subiectum cui adhaereat, *sequitur et cum ipsa*, si desinat esse persona physica per mortem vel moralis ad normam can. 102, « privilegium » illud *exstinguitur* proprie ob deficiens iuris subiectum.

143. **Cessatio propria privilegiorum realium.** In hoc sequenti et altero praec. canone exprimitur divisio privilegiorum in personalia et realia, quae hoc in canone subdividuntur in realia prout haec opponuntur privilegiis localibus. Significatio horum verborum canonica videtur sic accipienda. Subiectum, cui ius privilegii directe conceditur, vel continetur sub Lib. II Codicis ac proinde est persona physica aut moralis collegialis etsi illa officio, vel dignitate praedita sit, v. gr. privilegia S. R. E. Cardinalium in can. 239 et privilegia Episcoporum sub can. 349 § 1, ac privilegium huiusmodi vocatur personale, vel subiectum praefatum continetur sub Lib. III, ac privilegium vocatur reale, quam appellationem stricto sensu retinet, quatenus res illa privilegio donata v. gr. beneficium, imago, contradistinguitur loco v. gr. sanctuario, altari, quod subiectum est privilegii proprie localis. — Diximus « etsi persona officio vel dignitate praedita sit », cuius exemplum invenitur in cap. 6 « de praesumptionibus » (II, 23) per haec verba: « Proinde super cunctas ecclesias Siciliae te (Maximum Episcopum) vices Sedis Apostolicae ministrare decernimus. Quas non loco tribuimus, sed per-

sonae. Quia ex transacta in te vita didicimus, quid de subsequenti conversatione tua praesumamus ».

His praesuppositis transeamus ad interpretationem *can. 75. Privilegia realia*, prout a privilegiis personalibus differunt, *cessant* vim habere *per absolutum* idest completum atque secundum ss. canones *rei* v. gr. beneficii, imaginis *vel loci* v. gr. ecclesiae, non solum quoad usum possibilem, sed in seipsis, *interitum* seu finem qualitercumque is eveniat; *privilegia vero localia* stricte loco adnexa, *si locus*, privilegii subiectum v. gr. sanctuarium, *intra quinquaginta annos* ab eius nempe absoluto interitu ac proinde computandos ad normam can. 34, § 3, 3° *restituatur* sufficienter ad usum, quo in casu *reviviscunt* vi huius canonis absque novo auctoritatis ecclesiasticae interventu.

144. **Quandonam usus privilegio contrarius vel illius non usus secumferat extinctionem privilegii.** Duae privilegiorum distinctiones hic memorandae veniunt. Privilegia quaedam sunt affirmativa seu ad actus aliquos ponendos, alia sunt negativa seu ad omittendos actus ceteroquin ex obligatione ponendos. Propterea *can. 76*, ut comprehendat utraque, ait: *Per non usum* quoad ius privilegii affirmativi *vel per usum contrarium* seu praxim oppositam privilegio negativo, dummodo uterque sit liber occasione oblata quando potestas privilegiati non esset impedita. Declarata igitur *privilegia* utraque *aliis* distinctis a privilegiario *haud onerosa*, eo quod sint mere favorabilia sub inscriptione tituli declarata, prouti ad invicem sunt diversa, *non cessant* in eorum vi iuridica praefato relativo modo; *quae vero* favorem privilegiario tribuentes *in aliorum gravamen cedunt*, quapropter onerosa proprie vocantur, *amittuntur*, supposito non usu, quando affirmativa sint, aut usu contrario, quando negativa, *si accedat legitima* vel secundum ss. canones *praescriptio* aliorum libertatem ab onere fruentium per legitimum tempus, *vel tacita renunciatio*, quando haec fieri possit a privilegiario ad normam can. 72 et tantum elapsum sit tempus non usus vel usus contrarii supradicti sine clausula iuris salvatoria, ut ex circumstantiis illa renunciatio prudenter sit praesumenda.

145. **Aliae privilegiorum quorumlibet cessationes** recensentur in *can. 77*. *Cessat quoque* ipso facto *privilegium* quodcumque, *si temporis progressu* per quem omnia haec transeunt, *rerum adiuncta* respectu privilegii *sic*, de facto, sed quia diversae circa id queunt

haberi sententiae hominum, *iudicio* praevalente *Superioris* declarantis idipsum pro foro externo, *immutentur* ab statu quo illa erant tempore concessionis privilegii, *ut* a) *hoc noxium evaserit,* vel privilegiario propter reg. 61 Iuris in 6°: « Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum », vel aliis ut decernitur in cap. 9 « de decimis primitiis et oblationibus » (III, 30): « nam quando Romana Ecclesia ordini vestro privilegia de decimis dederat, ita erant rarae Abbatiae vestri ordinis, quod exinde nulli poterat de iure scandalum suboriri: sed nunc in tantum augmentatae sunt, ac possessionibus ditatae, quod multi viri ecclesiastici, de vobis apud nos querelam saepe proponunt ». Alius effectus immutationis adiunctorum causans cessationem privilegii est: b) *aut eius usus illicitus fiat*, et patet ratio. — Prosequitur canon: *item* idest: « cessat quoque privilegium » semper ipso tantum facto alterutro sequenti: a) *elapso tempore* b) *vel expleto numero casuum pro quibus,* his vel illo, *privilegium concessum,* quatenus « facultates habituales (huiusmodi) accensentur privilegiis praeter ius » (can. 66, § 1), quae norma non infirmatur nec proprie derogatur ob clausulam additam: *firmo praescripto can. 207*, § *2* ad casus concedente effectum privilegii prius obtenti, sed tunc non vigentis.

146. **Privilegiorum privatio**. In pluribus Decretalibus ratio auferendi privilegia vel privandi aliquem a beneficio eorum affertur, quae ut principium iuris edicitur in *can. 78. Qui abutitur,* idest: in usu privilegii ab intentione concedentis recedit contra aequitatem canonicam, *potestate sibi* soli vel cum aliis *ex privilegio* personali *permissa,* sive sit « potestas » ad actus solum ponendos, sive ad regimen aliorum vel administrationem spiritualium rerumve temporalium, *privilegio ipso* abutens, qua singularis persona, *privari* per Superioris actum competentis *meretur,* sed non privatur ipso facto abutendi privilegio. Eapropter additur de privilegiis, quorum abusus posset a Superiore competente incognitus praeteriri, *et Ordinarius* ad normam can. 198, § 1 *Sanctam Sedem* iuxta can. 7 *monere ne omittat,* ad certiorem ipsam reddendam ille excitatur, *si quis,* singularis persona vel communitas, *privilegio ab eadem* Sancta Sede *concesso graviter abutatur,* utpote via pro adhibendo remedio magis prompta et efficax.

Huc memorari lubet quod Emi. Patres S. Congr.ª de Prop.

Fide [1] « decreverunt mandandum esse praefatorum locorum Ordinariis, sive Superioribus, ut ecclesiasticis utriusque cleri sibi respective subiectis denuncient, nulli prorsus licere intuitu privilegii sive localis, sive personalis, pro Missae eleemosyna plus recipere, quam taxa synodalis, vel consuetudo regionum firmaverit (ad normam can. 918, § 2), alias ad restitutionem teneri (can. 729, 1°); quinimo privilegium, si personale sit, in perpetuum amittere; nec gaudere locali, quatenus ad altare privilegiatum Sacrum faciant, ut declaratum est per Sacram. Congr. super Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositam ».

147. **Privilegiorum necessaria probatio.** In Normis peculiaribus [2] scriptum est: « Gratiae, quas quis pro se a Sancta Sede oretenus assequitur, ipsi petenti in foro conscientiae, suffragantur ». Quod ex se patet. Sed id ipsum ac ea quae ibidem sequuntur confirmantur per *can. 79. Quamvis privilegia,* idest favores etiam perpetuo concessi praeter aut contra ius, *oretenus a Sancta Sede obtenta,* et quae propterea designantur verbis: « vivae vocis oracula », sive per se, sive per alium forsitan per S. R. E. Cardinalem, ipsi immediate aut mediate *petenti in foro conscientiae suffragentur,* seu coram Deo valeant ac licite in praxim deducantur, *nemo tamen potest,* exceptis S. R. E. Cardinalibus propter privilegium aliud (can. 239, § 1, 17°) quo « gaudent: fidem faciendi in foro externo, de oraculo pontificio testantes », *cuiusvis* absque distinctione *privilegii* cum significatione iuridica *usum* a) *adversus quemquam* saltem in illius sequelas b) *in foro externo* tam iudiciali quam extraiudiciali *vindicare*, ita ut validus ac licitus recognoscendus sit praefatus usus cum iuridicis effectibus, *nisi privilegium ipsum* etiam quoad eius tenorem, cuius vindicat usum, *sibi concessum esse legitime evincat* seu demonstret, « huiusmodi privilegium... iusto impedimento cessante ostendendo, ac ad legendum integraliter exhibendo: necnon de articulis, de quibus controversia fuerit, transcriptum (authenticum) tradendo », ut iubetur in cap. 7 « de privilegiis » in 6° (V, 7), aut « super amissione ac tenore privilegiorum testes, quos ducerent, proponendo » sicut legitur in cap. 12 « de privilegiis » X (V, 33), aut aliis probationibus adductis, quae pro rei natura possint afferri ad normam Tit. X « de probationibus » in Lib. IV.

[1] Collect. S. C. de P. F. n. 507. 13 Aug. 1774. — [2] Ordo servandus in.... Romanae Curiae. 29 Sept. 1908, Pars II, cap. III, n. 2°. — CO. I, 62.

TITULUS VI.

De dispensationibus.

Can. 80. - Dispensatio, seu legis in casu speciali relaxatio, concedi potest a conditore legis, ab eius successore vel Superiore, nec non ab illo cui iidem facultatem dispensandi concesserint.

Can. 81. - A generalibus Ecclesiae legibus Ordinarii infra Romanum Pontificem dispensare nequeunt, ne in casu quidem peculiari, nisi haec potestas eisdem fuerit explicite vel implicite concessa, aut nisi difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni, et de dispensatione agatur quae a Sede Apostolica concedi solet.

Can. 82. - Episcopi aliique locorum Ordinarii dispensare valent in legibus dioecesanis et in legibus Concilii provincialis ac plenarii ad normam can. 291, § 2, non vero in legibus quas speciatim tulerit Romanus Pontifex pro illo peculiari territorio, nisi ad normam can. 81.

Can. 83. - Parochi nec a lege generali nec a lege peculiari dispensare valent, nisi haec potestas expresse eisdem concessa sit.

Can. 84. - § 1. A lege ecclesiastica ne dispensetur sine iusta et rationabili causa, habita ratione gravitatis legis a qua dispensatur; alias dispensatio ab inferiore data illicita et invalida est.

§ 2. Dispensatio in dubio de sufficientia causae licite petitur et potest licite et valide concedi.

Can. 85. - Strictae subest interpretationi non solum dispensatio ad normam can. 50, sed ipsamet facultas dispensandi ad certum casum concessa.

Can. 86. - Dispensatio quae tractum habet successivum, cessat iisdem modis quibus privilegium, nec non certa ac totali cessatione causae motivae.

Titulus VI. De dispensationibus —
- — notio et a quo illae dari queunt, Can. 80
- — concedendis vel secus —
  - — per Ordinarios —
    - — a generalibus legibus » 81
    - — in legibus peculiaribus » 82
  - — per parochos » 83
  - — ratione causae » 84
- — interpretandis cum potestate dispensandi » 85
- — quoad earum cessationem » 86

148. **Inscriptio Tituli.** Iam ést considerandus *Titulus VI* et ultimus Libri I inscriptus *De dispensationibus*, quod verbum « proprie importat commensurationem alicuius communis ad singula. Unde etiam gubernator familiae dicitur dispensator, in quantum unicuique de familia cum pondere et mensura distribuit et operationes et necessaria vitae. Sic igitur et in quacumque multitudine ex eo dicitur aliquis dispensare, quia ordinat qualiter aliquod com-

mune praeceptum sit a singulis adimplendum ». Ita D. Thomas [1], qui rationabile dispensationum fundamentum nos edocet sic prosequens: « Contingit autem quandoque quod aliquod praeceptum quod est ad commodum multitudinis ut in pluribus, non est conveniens huic personae vel in hoc casu; quia vel per hoc impediretur aliquid melius (saltem hic et nunc), vel etiam induceretur aliquod malum... Periculosum autem esset ut hoc iudicio cuiuslibet committeretur, nisi propter evidens et subitum periculum... Et ideo ille qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana, quae suae auctoritati innititur, ut scilicet in personis vel in casibus in quibus lex deficit, licentiam tribuat ut praeceptum legis non servetur ».

149. **Excusatio a lege, exemptio ab ea et dispensatio.** Sicut ss. canones tolli queunt per abrogationem aut derogationem, ita pariter dum manet generatim in suo robore lex ecclesiastica, potest eius obligatio auferri vel suspendi quoad aliquos subditos seu in casibus particularibus. Et hoc I° ex natura rei, quando lex observata nociva evaderet alicui, vel in determinatis circumstantiis opposita sit observationi alterius legis superioris, vel observatu impossibilis moraliter. Hi enim casus non potuerunt comprehendi in ipsa, quia dotibus eius repugnant, et proinde constituunt *excusationem* a lege ecclesiastica, vel saltem dispensatio a legislatore fieri debet. Par *exemptio* datur II° ex voluntate legislatoris, quam forsitan patefecit in eadem lege vel in alia parte iuris, eximendo aliquos casus ab ambitu verborum illius. Sed praeterea multoties existit causa vel ratio ad quam necesse vel conveniens est ut nova legislatoris voluntas accedat relaxantis vinculum legis alioquin perduraturum, et haec exemptio a lege fit per *dispensationem*.

150. **Ordo canonum.** Posita notione dispensationis in can. 80, sub eodem ac tribus sequentibus determinantur quinam Superiores ecclesiastici et a quibus legibus dispensare queant. Sequitur statim can. 84 circa necessitatem causae iustae ad dispensationem. Norma interpretandi easdem ac potestatem dispensandi traditur in can. 85, dum ultimus can. 86 edicit quandonam cessent dispensationes aliquae.

151. **Dispensationis definitio et a quo concedi potest.** Cum lex sit vinculum quoddam moraliter adstringens subditos ad

[1] I-II q. XCVII, a. 4 corp.

aliquid agendum vel omittendum, sic incipit cum verborum proprietate *can. 80. Dispensatio*, quam statim definit: *seu legis* etiam poenalis quoad vim sibi ac consuetudini iuris communem *in casu speciali* per respectum ad legis amplitudinem *relaxatio*, qua subditus ab ea lege observanda liberatur. « Casus specialis » potest accipi respectu personae actusque eius, atque dispensatio erit simplex; potest vero dici specialis respectu personae sed pro pluribus eiusdem actibus excludendis a lege, et dispensatio erit cum tractu successivo; potest quoque accipi specialis respectu actus unius sed pro pluribus personis a lege eadem eximendis, et dispensatio erit multiplex. Ac demum possunt unico actu dispensari plures personae a lege aliqua per aliquod tempus observanda, et dispensatio erit simul multiplex atque cum tractu successivo. — Ex definitione illa facile deducitur dispensationem differre tum a declaratione iuris per quam lex quoad vinculum non relaxatur sed explicatur quoad sensum verborum, tum a simplici licentia, quae est appositio consensus Praelati vel alterius, qui requiritur a lege, ut actus possit iuxta eam poni: tum denique a privilegio, quod potest esse etiam praeter ius, cum dispensatio sit semper contra istud.

Prosequitur canon: « Dispensatio » ut est definita, *concedi potest* valide *a conditore legis,* ut patet iuxta reg. iuris 1.^{m} « Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur » [1], eo quod relaxatio illa legis est minus quam eiusdem dissolutio, *ab eius* supple « conditoris legis » b) *successore* c) *vel Superiore* in hierarchia iurisdictionis quoad leges dispensandas, de quo ultimo res liquet. Quoad successorem cuiuslibet legislatoris ecclesiastici valet ratio, quam affert Innoc. III in cap. Innotuit 20 « de electione et electi potestate » (I, 6) aiens: « nobis tamen per eum (scilicet Alexandrum III) adempta non fuit dispensandi facultas, cum ea non fuerit prohibentis intentio: qui successoribus suis nullum potuit in hac parte praeiudicium generare, pari post eum, imo eadem potestate functuris, cum non habeat imperium par in parem ». Imo respectu legum Conciliorum generalium audiatur quid rescripsit Paschalis Papa Panorm. Archiepiscopo: « Aiunt in Conciliis statutum non inveniri: quasi Romanae Ecclesiae legem Concilia ulla praefixerint: cum omnia Concilia per Romanae Ecclesiae auctorita-

[1] Tit. XLI « De regulis iuris » Lib. V.

tem et facta sint, et robur acceperint, et in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas »[1]. — Demum, quia dispensatio est actus iurisdictionis ex potestate accessoria legislativae, sequitur de illa intelligendam esse quoque reg. 68 iuris in 6.° « Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum », propter quod subnectitur denique in canone; d) *nec non ab illo* singulariter dicto, quod bene notetur, *cui* sub proprio vel communi appellativo *iidem* singuli de quibus supra *facultatem dispensandi concesserint.* Is tamen animadvertat, quod « sive circa res sive circa personas mandati sui fines excedat, nihil agit » (can. 203, § 1).

152. **De dispensatione a generalibus Ecclesiae legibus,** adest axioma iuris in Clem. « Ne Romani » § 1 « de electione » insertum: « Lex superioris per inferiorem tolli non potest ». Quo modo illud applicetur dispensationibus edicit *can. 81. A generalibus Ecclesiae legibus* sive in Codice, sive extra illum, quatenus illae distinguuntur a « legibus conditis pro peculiari territorio » (can. 13), et obligant solum « omnes pro quibus latae sunt », *Ordinarii* omnes recensiti in can. 198, § 1, *infra Romanum Pontificem,* etiamsi S. R. E. Cardinales sint, *dispensare nequeunt, ne* unam personam sibi subditam *in casu quidem peculiari, nisi* a) *haec potestas* dispensandi magis vel minus ampla aut restricta *eisdem* omnibus, quibusdam vel singulis eorum *fuerit explicite,* seu verbis id formaliter exprimentibus, *vel implicite* idest: verbis per quae illa potestas concedi subintelligatur, *concessa* vel in aliquo Codicis canone, quae « adnexa officio » eorum erit « ordinaria » (can. 197, § 1), vel per « facultates habituales » aut rescriptum in casu peculiari, quae tunc « veluti commissa personae » per officium designatae erit delegata (can. et § cit.[s]), ast in utroque casu derivata per mandatum seu concessionem. Hinc sequitur nihil agere Ordinarios, quando fines concessionis quoad dispensationes elargiendas excedant. — Iam in hoc canone subditur potestatis concessio huiusmodi: b) *aut* a) *difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem* intelligendam iuxta normam can. 7, b) *et simul in mora* ad dispensationem impetrandam necessaria iuxta praevisionem *sit* solummodo *periculum gravis damni* cuiuslibet, c) *et de dispensatione* ad casum unum vel plures *agatur quae a Sede Apostolica* ut supra ex can. 7, secundum Cu-

[1] Cap. « Significasti » 4, tit. 6 « de electione et electi potestate », Lib. I.

riae Romanae stylum pro tempore *concedi solet*, videlicet: non iam pro casu aliquo extraordinario.

153. **Dispensatio a legibus pro peculiari territorio latis.** Praecedens canon praescripsit de omnibus Ordinariis, ita ut comprehendantur « pro suis subditis Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis » (can. 198, § 1), praesens autem *can. 82* pro natura rei hos Superiores excludit edicens: *Episcopi* residentiales, nam sequitur *aliique locorum Ordinarii* v. gr. Vicarius generalis, Vicarius capitularis, etc. *valent* vi huius canonis, quin proinde vigeant statuta « praescripto huic opposita » (can. 6, 1°), a) *in legibus dioecesanis* consequenter canoni 80, b) *et in legibus Concilii provincialis ac plenarii*, quae pro territorio singulorum Ordinariorum vigeant, sed « nonnisi in casibus particularibus et iusta de causa », scilicet: *ad normam can. 291*, § 2; e contra sequitur: c) *non vero* praedictos posse « dispensare » *in legibus quas* ut ab universalibus distinctas habet canon praecise eo quod *speciatim tulerit Romanus Pontifex* forsitan per aliquam Rom. Congregationem, seu suprema Ecclesiae potestas *pro illo peculiari territorio;* quoad dispensationem enim aequipollere has leges universalibus sic edicitur: *nisi ad normam can. 81.*

154. **Potestas parochorum quoad legum dispensationem** non existit ut generalis norma, nec mirum cum eorum officium ad forum internum restringatur, cui tamen per exceptionem providetur in *can. 83. Parochi,* atque illi qui « parochorum nomine in iure veniunt » (can. 451, § 2) a) *nec a lege generali* Ecclesiae iuxta declarationem datam in can. 81, b) *nec a lege peculiari* qualibet harum quae distinguuntur in can. 82, *dispensare valent*, nec unum proprium parochianum in uno casu etsi ad forum conscientiae sacramentalis quod attinet, *nisi haec* dispensandi *potestas* magis vel minus ampla *expresse* idest verbis aliisve signis aequipollentibus, non tacite, *eisdem* omnibus, pluribus, vel singulis *concessa sit* v. gr. in aliquo canone ac tunc erit ordinaria, in statutis dioecesanis quandoque ordinaria quandoque delegata, vel ab homine certo delegata.

155. **Necessitas causae ad dispensationem.** Conc. Trid. decrevit [1]: « Sicuti publice expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius, evenientibus casibus, et necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat: sic frequentius legem solvere, exemploque

[1] Sess. XXV de Ref. cap. 18.

potius, quam certo personarum rerumque delectu, petentibus indulgere, nihil aliud est, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire... Quod si urgens iustaque ratio, et maior quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse; id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis, a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit praestandum: aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur ». Hoc decretum roboratur hac D. Thomae ratione [1]: « Si autem absque hac ratione (deficientiae legis in casibus) pro sola voluntate licentiam tribuat (ille qui habet regere multitudinem) non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens; infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune, (quod saltem indirecte iuvet dispensatio); imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret; propter quod Dominus dicit [2]: Quis, putas, est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? »

Cum hae rationes vim exerant erga quascumque iuris humani dispensationes, generaliter praescribit *can. 84.* § 1. *A lege ecclesiastica* vere tali, sive generalis sit sive peculiaris, *ne dispensetur,* idque absolute vetatur *sine iusta* propter proportionem inter legem eiusque dispensationem, *et rationabili* seu rationis practicae ac prudentis *causa* (seu motivo), quae declaratur non semper eiusdem ponderis futura, *sed habita ratione gravitatis legis a qua dispensatur* magis vel minus conferentis ad animarum sanctificationem et socialem ordinem, quin oporteat ut iam ex seipsa excusationem tribuat observandi legem; *alias* scilicet: non extante causa *dispensatio* « a lege ecclesiastica » qualibet, ut supra, *ab inferiore*, quam ipse legislator eiusve successor, *data,* quamvis ceteroquin potestate dispensandi praedito, a) *illicita,* quamvis illa in usum non deducatur sitque nullus iuridicus actus ob clausulam b) *et invalida est.* Nec contrarium statuere possunt Ordinarii erga proprias dioecesanas leges.

Attamen dubia sunt auferenda in rebus moralibus, quapropter statuit § 2. *Dispensatio* ut in §° 1ª *in dubio* sive iuris ob sententias Doctorum, sive facti quale semper erit *de sufficientia causae* respectu legis dispensandae a) *licite petitur* eo quod *et potest* b) *licite* ob rei moralis naturam c) *et valide concedi* annuente supremo legislatore, iuxta illud quod in cap. « Praeposuit » 4 tit. « de concessione Praebendae... » (III, 8) ait Summus Pontifex Innoc. III: « Qui

[1] I-II q. XCVII, a. 4, corp. — [2] Luc. XII, 42.

secundum plenitudinem potestatis de iure possumus supra ius dispensare ».

156. **Facultatis dispensandi interpretatio**. Reg. 28 iuris in 6°: « Quae a iure communi exorbitant nequaquam ad consequentiam sunt trahenda » explicationem nanciscitur ex *can. 85* simul cum altero 50. *Strictae subest interpretationi*, scilicet: quoad verborum sensum « in obscuris minimum est sequendum » (reg. 30 iuris in 6°) contra legem, a) *non solum dispensatio* « quae (semper) adversatur legi in commodum privatorum », proindeque *ad normam can. 50* iam declaratam, b) *sed ipsamet facultas dispensandi*, quae cum sit praeter ius potius « interpretationem latam reciperet », ut ibidem fuit explicatum, sed quando sit *ad certum* quoad circumstantias personae, rei, etc. *casum concessa*, sive delegatio fiat ad petitionem partis, sive ad petitionem delegati, tum fiat determinatae personae, tum electio personae committatur dispensando; nam concessio potestatis censenda est moraliter ipsa dispensatio.

157. **Dispensationum cessatio.** Inter dispensationes quas distinximus atque explicavimus ad can. 80, circa unam est utile quaesitum de ipsiusmet cessatione, quam exprimit *can. 86* huius Libri postremus. *Dispensatio quae tractum habet successivum*, (sive *in diem* duratura seu ad tempus concessa sit, sive *in perpetuum* seu indefinite), *cessat* quoad vim iuridicam *iisdem modis quibus privilegium*, cui contra ius similis est, scilicet: *a*) per revocationem ex peculiari Superioris actu ad normam can. 60, *b*) « per renunciationem a competente Superiore acceptatam » (can. 72), *c*) solum quandoque « resoluto iure concedentis » (can. 73), *d*) cum persona quam sequitur (can. 74), *e*) si aliis onerosa sit, quandoque per non usum vel per usum contrarium cessare posset, (can. 76), ac demum *f*) cessat quoque ad normam can. 77, si casus eveniat, *g*) *nec non* specialiter praedicta « dispensatio cessat » ex legis dispositione innixa naturae huiusmodi dispensationis, *certa* extra dubium *ac totali* seu omni ex parte *cessatione causae motivae* seu illius propter quam sit concessa, v. gr. infirmitatis, postquam dispensatus iam convaluit ita, ut certo ac nullatenus indigeat dispensatione.

TRINO DEO ET SIMPLICI

PER QUEM LEGUM CONDITORES IUSTA DECERNUNT

HONOR ET GLORIA IN SAECULORUM SAECULA.

AMEN.

APPENDIX.

De legibus ac libris liturgicis.

158. **Notio sacrae liturgiae.** Ex usu profano antiquorum graecorum liturgia denotavit quidem officium, vel ministerium publicum pro populo susceptum. In libris vero Sacrae Scripturae utriusque Foederis maxime designat publicas functiones sacras sacerdotum ac levitarum praecipue in sacrificiorum oblatione ad honorem Dei ac pro salute populi. — In Ecclesia Christi iuxta hodiernum morem sacra liturgia sumitur « pro cultus publici exercitio quoad rituum ac caeremoniarum determinationes ». Hoc sufficienter innuit can. 4. — Cultus vero dicitur publicus, « si deferatur *a*) nomine Ecclesiae *b*) a personis legitime ad hoc deputatis, *c*) et per actus ex Ecclesiae institutione Deo, Sanctis ac Beatis tantum exhibendos » (can. 1256).

159. **Leges liturgicae** sunt quae habent ut obiectum moderandum tam ritus quam caeremonias illius cultus publici. Hae leges quatenus « respiciunt Latinam Ecclesiam » (can. 1), « quae vim suam retinent, nisi earum aliqua in Codice corrigatur » (can. 2), continentur praeterquam in libris liturgicis etiam in Decretis S. Congregationis Rituum.

160. **Libri Sacram Liturgiam spectantes** *a*) sive Ritus idest formulas et preces in Sacris Functionibus quibuslibet peragendis continent, *b*) sive Sacras Caeremonias idest actiones supradictos Ritus Precesque comitantes praescribunt, *c*) sive illa S. Congregationis Rituum Decreta in unum collecta referunt. Ita ex Dec°. eiusdem S. Congregationis n. I [1]. *Libri liturgici* proprie vocantur descripti sub litteris *a*) et *b*).

161. **Diversae editiones horum librorum** iuxta citatum Decretum « sunt vel *Typicae* vel iuxta *Typicas* » (n. 1).

II. Editiones *Typicae* excudere tantum possunt vel Pontificia

[1] 17 Maii 1911, CO. III, 242.

Typographia Poliglotta Vaticana, vel alii Typographi Pontificii, qui a Sacra Rituum Congregatione veniam obtinuerint.

III. Singula editionis typicae folia revisioni Sacrae Rituum Congregationis submittentur, quae seu Commissionis Liturgicae, seu Commissionis de Musica et Cantu Sacro, iuxta opportunitatem, sententiam exquiret.

IV. Quaevis typica editio approbationis refert Decretum, talem editionem esse typicam declarans, simulque omnibus editoribus praescribens, ut praedictae editioni typicae futuras editiones omnino conforment.

... VI. Quivis Typographus, accedente consensu et approbatione respectivi Ordinarii, editiones *iuxta typicas,* quae nempe adamussim praedictis editionibus *typicis* respondeant, excudere potest.

VII. Rmi locorum Ordinarii, diligenti rerumque liturgicarum perito constituto revisore, qui videat an praefatae editiones plane cum typicis concordent, talem concordantiam declarent et *imprimatur* apponant.

162. **Divisio iuris liturgici** videtur adoptanda, quae indicatur in can. 2. Quoad sacramenta, quae ex opere ipso gratiam conferunt recipientibus ea, etsi cultus quoque Deo exhibeatur in cuiuslibet sacramenti administratione: quoad cultum divinum, nempe: « in celebratione sacrosancti Missae sacrificii aliisque sacris functionibus peragendis », per quem cultum gratiae obtinentur hominibus secundum eorum devotionem: denique quoad sacramentalium administrationem, quae gratiam non causant ex opere ipso, sed cum sint ad modum sacramentorum instituta, gratiae per illa obtinentur ex Ecclesiae precibus ac ex utentium devotione.

163. **Praestantia et necessaria cognitio legum liturgicarum.** Ad intelligentiam praestantiae liturgicarum legum considerare oportet: quod iuxta D. Augustinum [1]: « Deus colitur fide, spe et charitate » et hoc ipsum explicat D. Thomas, quia « virtutes illae theologicae... suo imperio causant actus religionis quae operatur quaedam in ordine ad Deum [2] »: insuper actus exteriores cultus sunt verae protestationes fidei dantes gloriam Deo, ac deserviunt et veluti manuducunt animum nostrum ut se Deo perfecte subiiciat, in quo illius perfectio consistit. Hinc apparet virtutis re-

[1] Enchirid. cap. 3. — [2] II, II, q. LXXXI, a. 5, ad 1m.

ligionis excellentia, et quanta cura sit adhibenda ab Ecclesia, ne quid irrepat in publicis religionis actibus, vel fidei non concordans vel qualitercumque superstitionem continens. Nam in veri Dei cultu non solum per irreligiositatis defectum peccari potest, sed etiam per excessum, quamvis non in quantitate, quia Deus merito superexcedit omnem a nobis praestitum cultum, sed per corruptionem modi in cultu ipso.

Denique iuris liturgici cognitionem sacerdotibus praesertim necessariam esse patet legenti q. XCIII in II-II Summae Theologicae. Sicut Augustinus dicit: « mendacium maxime perniciosum est quod fit in his quae ad christianam religionem pertinent [1] ». Porro « potest contingere falsitas in exteriori cultu ex parte colentis; et hoc praecipue in cultu communi, qui per ministros exhibetur in persona totius Ecclesiae. Sicut enim falsarius esset qui aliqua proponeret ex parte alicuius quae non essent ei commissa, ita vitium falsitatis incurrit qui ex parte Ecclesiae cultum exhibet Deo contra modum divina auctoritate ab Ecclesia constitutum, et in Ecclesia consuetum » [2]. — Item « finis divini cultus est ut homo Deo det gloriam, et ei se subiiciat mente et corpore... Si autem aliquid fit quod, quantum est de se, non pertinet ad Dei gloriam, neque ad hoc quod mens hominis feratur in Deum aut quod carnis concupiscentiae inordinatae refrenentur, aut etiam si sit praeter Dei et Ecclesiae institutionem, vel contra consuetudinem communem, quae secundum Augustinum pro lege habenda est, totum hoc reputandum est superfluum et superstitiosum, quia in exterioribus solum consistens ad interiorem Dei cultum non pertinet » [3].

164. **Fontes iuris liturgici** sunt ea ex quibus promanat, vel quia condunt ipsum sicut legislatores possuntque appellari fontes essendi, vel quia sunt velut receptacula ipsius iuris, libri nempe liturgici, vel liturgiam authentice respicientes, ac dici queunt fontes cognoscendi. De his omnibus explananda est in genere disciplina vigens.

165. **Quoad Ecclesias orientales.** Bened. XIV in Const. « Demandatam » [4] ait: « De ritibus igitur et moribus Ecclesiae graecae illud imprimis generatim statuendum decrevimus, nemini licuisse, aut licere, quovis titulo, et colore et quacumque auctoritate

[1] De mendacio, cap. 14, in princ. — [2] Loc. cit. a. 1. c. — [3] Loc. cit. a. 2. c. — [4] 24 Dec. 1743, § 3.

aut dignitate, etiam Patriarchali aut Episcopali praefulgeat, quidquam innovare, aut aliquid introducere, quod integram exactamque eorumdem observationem imminuat ». Et etiam esset irritum quodcumque contrarie statutum, ut ibidem postea Benedictus ipse asserit de particulari casu ab Aplca. Sede reprobato.

Ecclesiae orientales propterea omnino prohibentur, ne in Missis, divinisque officiis celebrandis et in administratione sacramentorum aliis utantur libris pro sacra liturgia, nisi eis qui correcti typisque impressi fuerint per S. Congr. de Prop. Fide pro negotiis rituum orientalium huiusmodi librorum emendationi deputatam a Sede Aplca. seu nunc a S. Congr. pro Ecclesia Orientali.

166. **Quoad Ecclesiam latinam** viget iuxta praeviam Codici disciplinam can. 1257 praescribens: « Unius Apostolicae Sedis est tum sacram ordinare liturgiam, tum liturgicos approbare libros », in quo ex dictis patet quod « Ecclesiae quoque orientalis disciplina referatur ». — Romani Pontifices sane in casibus gravioribus ordinant ius liturgicum Ecclesiae latinae Constitutionibus Aplcis. per seipsos datis, v. gr. Pius PP. X Rubricas Breviarii ac Missalis constitutione « Divino afflatu » [1], verumtamen passim utuntur S. Rituum Congr^{e}. opera, quae pro sua ordinaria potestate in Ecclesiam latini ritus per Romanos Pontifices eidem collata, universum liturgicum ius rite constitutum urget in praxi, interpretatur et, quatenus opus sit, quoad singula praescripta reformat et amplificat servatis servandis.

Ex huius Congr^{s}. responsis, alia facile noscuntur tamquam Decreta generalia, etenim sic expresse appellantur vel inscribuntur « Urbis et Orbis ». Alia, si consideretur rescripti forma, sunt particularia ex obiecto vel modo respondendi; multa vero particularia, utpote ad singulas Ecclesias vel religiones directa, sunt aequivalenter generalia, quippe quae vel interpretationem rubricae alicuius generalem tradunt, vel observanda esse ab omnibus edicitur ex Sacrae Congr^{s}. mandato.

Omnia responsa et decreta S. R. Congr^{s}., quae nunc etiam post Codicem vigent, reperiuntur partim in Commentario officiali, et ante huius initium edita in Collectione, quam Leo XIII fel. rec. per Dec. 16 feb. 1898 « aplca. sua auctoritate approbavit atque

[1] Kal. Novembris 1911, CO. III, 633.

authenticam declaravit; simulque statuit decreta hucusque evulgata in iis, quae dissonant a decretis in hac Collectione insertis, veluti abrogata esse censenda, exceptis tantum, quae pro particularibus ecclesiis habeant rationem indulti seu privilegii... Contrariis non obstantibus quibuscumque etiam speciali mentione dignis ».

In hac ergo collectione quae inscribitur « Dec. authentica S. R. C. », et quae constat nunc sex voluminibus, invenire licet pro maxima parte Decreta iuris liturgici. Hoc vero ius completur per alia Decreta subsequuta et in Commentario officiali Sedis Aplcae. discenda, atque fundamentaliter invenire licet in libris liturgicis.

167. **Libri liturgici** appellantur « qui solummodo Ritus, Preces, Sacrasve Caeremonias docent ac praescribunt, quae in cultu liturgico adhibenda sunt [1] ».

168. **Praecipui pro Ecclesia latina** huiusmodi libri ex Dec°. S. Rituum Congrs. [2] « Pluries a Sacra » sunt: a) *Breviarium Romanum,* b) *Missale Romanum;* hi duo cum mutationibus propter *Psalterium Breviarii Romani cum Ordinario Divini Officii* et *Novas Rubricas* ipsi adiectas ex const. « Divino afflatu » Pii X s. m. [3] et ob subsequentia Decreta S. Congrs. Rituum, c) *Rituale Romanum,* d) *Pontificale Romanum,* e) *Martyrologium Romanum,* et f) *Caeremoniale Episcoporum.*

169. **De potestate Episcoporum** specialia in hac materia addere oportet. Cum Sedes Apostolica etiam quoad minima ius liturgicum in huiusmodi libris determinaverit, prohibens quamlibet mutationem, additionem vel ablationem, ut videbimus, sequitur Episcopis ademptam esse in hac parte legislativam potestatem, uti constat ex can. 1257 supra relato. Praeterea iam in c. Visensi [3] ad dubium « An Praelati, Archiepiscopi seu Episcopi possint esse iudices ad declaranda dubia super sacris Ritibus et Caeremoniis exorta? S. R. C. Negative respondit ». Remanet igitur pro eis praescriptum sequens (can. 1261, § 1): « Locorum Ordinarii advigilent ut sacrorum canonum praescripta de divino cultu sedulo observentur, et praesertim ne in cultum divinum sive publicum... superstitiosa ulla praxis inducatur, aut quidquam admittatur a fide alienum vel ab ecclesiastica traditione absonum vel turpis quaestus speciem praeseferens ».

[1] 17 Maii 1911. CO. III, 242. — [2] 1 Nov. 1911. CO. III, 633. — [3] 11 Iun. 1605, n. 179.

Ipsi ergo tantum tenentur ius liturgicum urgere atque abusus i. e. praxes rubricis contrarias, si irrationabiles videantur, abolere, memores tamen prudentiae; si vero ratione non careant, atque a S. C. Rit. tolerentur vel approbentur, relinquere.

170. **De consuetudinibus.** 1° ex resp^{s}. S. R. C. [1] in c. Oscensi: « 10. Consuetudines quae sunt contra Missale Romanum, sublatae sunt per Bullam Pii V in principio ipsius Missalis impressam, et dicendae sunt potius corruptelae quam consuetudines », cui concordat can. 818 sic incipiens: « Reprobata quavis contraria consuetudine ». 2° e contra eadem S. C. R. [2] in c. Lucerina in solutione 1 et 2 dubiorum, sequentem rationem affert: « cum liber Caeremonialis (scil. Episcoporum) huiusmodi immemorabiles consuetudines non tollat ».

3° Quoad ceteros libros liturgicos quia promulgati fuerunt cum exclusione ceterorum eiusdem nominis qui erant in usu, et adiunctae fuerunt clausulae prohibentes quascumque mutationes inducendas, implicite consuetudines reprobantur saltem regulariter. 4. Demum [3] in Angelopolitana « 13. An decreta S. R. C. dum eduntur derogent cuicumque contrariae invectae consuetudini etiam immemorabili; et in casu affirmativo obligent etiam quoad conscientiam? — S. R. C. respondendum censuit. Ad 13. Affirmative: sed recurrendum in particulari ».

Idipsum extenditur etiam ad consuetudines contra Caeremoniale Episcoporum, iuxta resp^{m}. in c. Alexandrina [4]: « 2. An veteres huius Ecclesiae consuetudines,... abrogatae sint per ea rescripti verba: « Semper et a quocumque servetur caeremoniale ». S. R. C. respondendum censuit ad 2: « Recurrendum ad hanc S. Congr^{m}. in casibus particularibus ».

171. **Breviarium atque Missale Romanum.** Iuxta Pii P. V. CC. « Quod a nobis » die 9 Iulii 1568 §§ 5, 7, 8 et « Quo primum » die 14 Iul. 1570 §§ 2, 3. Breviarium atque Missale Romanum a dicto Pontifice promulgata et ab aliis RR. PP. correcta usque ad Leonem XIII et Pium X s. m. modo sunt observanda in omnibus ecclesiis catholici orbis, in quibus ritus Romanus observari consuevit aut debet, illis tamen exceptis quae aliis missalibus vel

[1] 16 Mart. 1591, n. 9. — [2] 14 Iun. 1608, n. 256. — [3] Die 11 Sept. 1847, n. 2951. — [4] N. 2646. 10 Maii 1826.

Breviariis usae fuerint per ducentos annos ante praedictas Pii V constitutiones.

Sub praedicta lege notetur non contineri ecclesias ubi tunc vigebat ritus diversus a Romano, nempe ille Ecclesiae orientalis, vel Ambrosianus vel Mozarabicus. Ecclesiis vero Ritus Romani exceptis in illis CC. sicut non fuit ademptum ius retinendi sua antiqua Missalia et Breviaria, ita simul permissum est ab eodem Pio V, ut possent adoptare nova Missalia et Breviaria Romana, dummodo in eo consentiant Episcopus et universum Capitulum (i. e. per vota maiora capitulariter et legitime data).

Quodsi ecclesiae illae exceptae usae fuerint praefata permissione, manent obstrictae Missali et Breviario Romano secundum editiones typicas, absque confugio redeundi ad Missalia et Breviaria eorum antiqua vel alia.

172. **Const. “ Divino afflatu „ Pii PP. X** [1] incipit laudans Psalmorum collectionem, qui foverunt ab Ecclesiae exordiis fidelium pietatem, et conspicuam habuere partem in sacra Liturgia officioque divino.

Demonstrat *quod in Psalmis mirabilis quaedam vis inest ad excitanda in animis omnium studia virtutum.*

Refert: I° antiquam etiam in recognoscendo Brev. Romano servatam providentiam, *ut integrum Psalterium intra unius hebdomadae spatium recitandum foret integrum;*

II° Quid consecutum est detrimenti huic normae ex Sanctorum officiis, scilicet: quod non pauci omitterentur psalmi, et *in orando varietas desideraretur. ad digne, attente, devote precandum* qua varietate indiget imbecillitas nostra:

III°. Postulationes Antistitum, ut *revocaretur vetus consuetudo ita tamen ut clero,..... non maius imponeretur onus.* His votis concedendum duxit Pontifex, cauto etiam, ne quidquam *de Sanctorum cultu decederet.* Viri docti industriique delecti a Papa, novam Psalterii dispositionem elaborarunt, S. R. Cong^{i}. probatam, cum mente Pont^{is}. congruentem: quam ratam habuit in rebus omnibus: idest, cum ant^{is}. Vers^{is}. Hymnis, suisque Rubricis et Regulis: editionemque authenticam evulgari iussit.

Quoniam vero Psalterii dispositio intimam habet cum omni

[1] 1 Nov. 1911. CO. III, 633.

Divino Officio et Liturgia coniunctionem, promittit S. Pont^x. Romani Breviarii et Missalis emendationem; sed interim instauranda censet quae in appositis Rubricis praescribuntur: ut Lectionibus statutis sacrae Scripturae cum Responsoriis de tempore occurrentibus debitus honor frequentiori usu restituatur: dein vero ut in sacra Liturgia Missae antiquissimae de Dominicis infra annum et de Feriis, praesertim quadragesimalibus, locum suum recuperarent.

« *Item* (prosequitur S. Pontifex) *ante omnia Psalterii ordinem, qualis in Breviario Romano... est, abolemus eiusque usum, inde a Kalendis Ianuariis... 1913, omnino interdicimus.* Ex illo autem die in omnibus ecclesiis Cleri saecularis et regularis in monasteriis, ordinibus, congregationibus, institutisque religiosorum ab omnibus et singulis, qui ex officio aut ex consuetudine Horas canonicas iuxta Breviarium Rom., a S. Pio V editum et a Clem. VIII, Urb. VIII, Leone XIII recognitum, persolvunt, novum Psalterii ordinem, qualem Nos cum suis Regulis et Rubricis approbavimus Typisque Vaticanis vulgandum decrevimus, religiose observari iubemus. Simul vero poenas in iure statutas iis denuntiamus, qui suo officio persolvendi quotidie Horas canonicas defuerint; qui quidem sciant se tam gravi non satisfacturos officio, nisi nostrum hunc Psalterii ordinem adhibeant.

Omnibus igitur Patriarchis, Arch^is. Episc^is., Abbat^s., ceterisque ecclesiarum Praelatis, ne Card^s. quidem Archipresb^is. patriarchalium Urbis basilicarum exceptis, mandamus, ut in sua quisque dioecesi, ecclesia vel coenobio Psalterium cum Regulis et Rubricis, quemadmodum a Nobis dispositum est, constituto tempore inducendum curent: quod Psalterium quasque Regulas et Rubricas etiam a ceteris omnibus, quoscumque obligatio tenet recitandi vel concinendi Horas canonicas, inviolate adhiberi ac servari praecipimus ».

173. **Post const^m. " Divino afflatu „.** 1° Dec. S. C. R. Urbis et Orbis [1]. *Mutationes in Breviario et Missali Romano faciendae ad normam M. pr. de diebus festis, decretorum S. R. C. 24 et 28 Iul. 1911, et Const, Aplcae. « Divino afflatu ».*

In eod. Dec^o. ante has mutationes dicitur: « quae sequuntur in novis Breviarii et Missalis editionibus imprimendis inserenda censuit (S. R. C.), si tamen Ssm̃o D. N. placuerit ».

[1] 23 Ian. 1912. CO. IV, 57.

Et post illas mutationes dicitur: Quae omnia... Sanctitas sua dignata est rata habere et adprobare, simul iniungens, ut in Missalibus et Breviariis iam editis, quae venalia apud typographos prostant, adiiciatur fasciculus Rubricas adaptatas ut supra continens.

2° *Dec. S. C. C. de privilegio officii divini iuxta veterem Psalterii ordinem recitandi* [1]. Sic legitur in eo: « qui impetrato, prout supra, indulto uti velint, quotiescumque privatim officium divinum persolverint, debere recitare pro singulis horis omnes psalmos et reliqua prout distribuuntur in Breviario Rom. a S. Pio V edito et a Clem. VIII, Urb. pariter VIII, et Leone XIII recognito, servato tamen quotidie novo Ordine sive Kalendario iuxta praedictam Const. Aplcam. et regulas seu rubricas eidem adiunctas praescripto pro dioecesi, capitulo seu clero cui quisque est adscriptus, ac firma abolitione indulti generalis dati die 5 Iul. 1883 pro Officiis votivis ».

3° M. pr. « Abhinc duos annos » Pii X [2] « De officiis divinis novo aliqua ex parte modo ordinandis ». De hoc Motu proprio valde notandum est ad quos extendatur. Legitur enim: « sinimus eos, qui ad officium persolvendum Rom. utuntur Breviario, tum e Clero saeculari tum e regulari utriusque sexus, his praescriptionibus non teneri nisi a Kalendis anni 1915. Qui vero aliud legitime usurpant Breviarium a Romano diversum », (qui proinde non tenentur Const[1]. « Divino afflatu » et adiunctis novis Rubricis in genere) « iis S. R. C. definiet intra quos terminos ad easdem praescriptiones accomodare sese debeant ».

4. *Decretum generale S. R. C.* in exequutionem praefati « Motu proprio » editum die 28 Oct. 1913 [3].

174. Rituale Romanum exhibet formulas et rubricas sive « ritus receptos et approbatos catholicae Ecclesiae, qui in sacramentorum administratione aliisque ecclesiasticis functionibus servari debent ab iis, qui curam animarum gerunt ». Hic liber publicatus fuit a Paulo V per const. « Apostolicae Sedi » die 20 Iunii 1614, ex qua simul cum Conc[1]. Trid[1]. can. XIII [4] videtur erui certo ipsum Rituale obligatorium evasisse ab ipsa sui publicatione. Praefatus canon sic expressus est: « Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in sollemni Sacramentorum administra-

[1] CO. V. 96. — [2] 23 Oct. 1913. CO. V, 449. — [3] CO. V, 457. — [4] Sess. VII, de sacramentis in genere.

tione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse; anathema sit ». Atqui iuxta const. Pauli V huiuscemodi ritus in Rit. Rom. congesti sunt. Ergo nec contemni, nec omitti, nec immutari possunt; iuxta Conc. Trid.

Probatur ex eiusdem const^s. verbis quoad ritus etiam aliarum functionum ecclesiasticarum, nam verbis quae consilium innuere videntur: « Quapropter hortamur in Domino... Episcopos... Abbates, parochos universos, ubique locorum existentes, et alios ad quos spectat, ut in posterum... constituto Rituali in sacris functionibus utantur », subsequuntur haec verba: « et in re tanti momenti, quae Catholica Ecclesia et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent ». Patet igitur exhortatoria verba prolata fuisse praevie ad obligationis adimplementum. Confirmatur hoc ipsum per Dec. S. Congr. Rituum [1] ad episcopum Trecensem: « In ea (ecclesia) Rit. Romanum, cuius leges universalem afficiunt Ecclesiam, integre servetur ».

175. **Memoriale Rituum** seu « Parvum Rituale » est liber quo ordinantur functiones quaedam liturgicae v. gr. hebdomadae sanctae in parvis ecclesiis parochialibus et conventualibus, quae ministris sacris carent, et primo est promulgatum a Bened. XIII a. 1725 pro huiusmodi ecclesiis in Urbe, et postea a Pio VII anno 1821 pro universo Orbe catholico.

176. **Pontificale Romanum** continet formulas et Rubricas functionum liturgicarum Episcopis propriarum, ac post diligentem revisionem ita promulgatum est a Clem. VIII per Const. « Ex quo » [2] ut, abrogatis omnibus aliis libris pontificalibus, unice observaretur, neque ullo unquam tempore mutaretur in toto vel in parte, sive ei aliquid addendo sive omnino detrahendo.

177. **Martyrologium Romanum** est liber quo uti debent omnes Ecclesiae ritus latini tam saeculares quam regulares, etiamsi legitime retineant proprium quoddam Missale et Breviarium, neque licet quidquam in illo addere vel demere vel mutare.

Ita ex Const. « Emendato » Greg. XIII (14 Ian. 1584) ubi etiam legitur: « Si quos alios habuerint sanctos in suis ecclesiis aut locis celebrari solitos, eos in hunc librum (i. e. Martyrologium) ne inse-

[1] 7 Sept. 1850. — [2] 10 Feb. 1597.

rant, sed separatim descriptos habeant, eumque illis locum atque ordinem tribuant, qui regulis hic descriptis traditur... et inferius... omnibusque aliorum Martyrologiorum omnium publice privatimque in ecclesiasticis Horis usum interdicimus ».

In novis autem editionibus certe possunt inseri, imo debent si decernatur iuxta formam a S. R. C. approbatam, Sancti ab ultima editione canonizati,, non vero ii qui solummodo declarati fuerunt Beati, nisi speciali ratione sit permissum a Sede Aplca [1].

178. **Caeremoniale Episcoporum** caret formulis liturgicis atque solummodo continet rubricas servandas in functionibus pontificalibus sive ab ipso Episcopo sive a praelatis inferioribus sive a ministris. Clemens VIII publicavit illud per Const. « Cum novissime » sub die 14 Iul. 1600. In hac praecipit praefatum « Caeremoniale Episcoporum in universa Ecclesia latina observandum esse ab omnibus et singulis personis ad quas spectat », simulque statuit illum librum « nullo unquam tempore in toto vel in parte posse mutari, vel ei aliquid addi aut omnino detrahi », neminemque posse peragere munera sacerdotalia aut alia in Caeremoniali contenta, nisi iuxta formam ibidem praescriptam, nec aliter muneri sibi imposito satisfacturum ; at laudabiles consuetudines immemoriales etiam eidem Caeremoniali contrarias non abrogavit « nec antiqua Caeremonialia in his quae huic Caeremoniali sunt conformia », quorum usum permittit. Talis liber quamvis correctiones successivas subierit per Innocentium X et Bened. XIII, immutatus remansit quoad ambitum obligationis et ita perseveravit, licet Benedictus XIV eidem Caeremoniali adderet undecim capita libri tertii ad praecavendas controversias de praecedentiis et honoribus in functionibus liturgicis.

[1] S. Rit. C. 31 Aug. 1860.

EXPLICIT HIC APPENDIX.
DEO GRATIAS SEMPER.

INDEX

CANONUM ET COMMENTARII

I.

Iuris breves notiones.

PAG

II.

Nonnullae sequuntur quaestiones.

III.

De Iure canonico.

IV.

Iuris canonici disciplina.

V.

Iuris canonici Collectiones praecipuae.

VI.

De Bulla promulgationis Codicis Iuris canonici.

VII.

De professione fidei catholicae.

Codex Iuris Canonici.

LIBER PRIMUS.

Normae Generales.

Codex iuris canonici. . . . 56

TITULUS I.

De legibus ecclesiasticis.

*

TITULUS II.

De consuetudine.

TITULUS III.

De temporis supputatione.

TITULUS IV.

De rescriptis.

TITULUS V.

De privilegiis.

TITULUS VI.

De dispensationibus.

APPENDIX.

De legibus ac libris liturgicis.

INDEX
ANALYTICUS - ALPHABETICUS

Primus numerus est progressivus in Volumine, secundus refert paginam.

FINIS.